Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
9
M
4 B
10

Digitized by Google



Iac. Coets ab Arches f. Ioh: Alexand: Böner sc Norib.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

Digitized by Google

JOANNIS BISSELII,
è Societate JESU,

ÆTATIS NOSTRÆ GESTORUM EMINENTIUM MEDULLA HISTORICA,

Per aliquot SEPTENNIA digeſta.

SEPTENNIUM I.

Ab Anno M. DC. I. uſque ad Annum M. DC. VII. incluſivè.

Permiſſu Superiorum.

AMBERGÆ,

Apud JOANNEM BURGER.

Anno M. DC. LXXXV.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

Digitized by Google

Digitized by Google

DIVO
JOSEPHO,
Novæ Legis virgineo
PATRIARCHÆ,

Virginis-Matris Sponſo,
Dei-Hominis Altori,
Theſauri Cæleſtis, in Terra, Cuſtodi fideliſſimo.

RUmor eſt, per manus recondita ſcribentium ad poſteros transmiſſus; (1) eâ nocte, qua tibi, JOSEPHE ſanctiſſime, mandatô Numinis indicta migratio fuerat è Judææ terris in oras Ægypti, Te, Matrè-Dei, Deôque Puerô, raptim abductîs, ex oppidi Bethlehemitici colle deſcendiſſe; feſtinantem in camporum plagam illam, quæ cœli regionem reſpicit, inter Orientem & Auſtrum mediô ſitu patentem. Ibi verò protinus errantem (quod fugientibus, & viarum ignaris, noctu facillimum eſt) deflexiſſe te, memorant, lævorſum: ac, per plana quidem molliáque, ſed inſidioſa perfidáque loca, traxiſſe greſſus, &

tuos,& comitis tuæ, quæ *divinum infantem* gremio ſuo vehebat. Iveratis enim per denſa tenebrarum, túque, tuáque conjux, *inſcii*, (non inſciô tamen puerô,) Gomorrham Sodomámque, Mortuúmque mare verſùs; heu! malè fauſtum jam olim, & *juſtis hominibus*, & ipſis quoque *cæleſtibus Angelis*, hoſpitium! ubi ſtirpium quoq;, (cum aqua terríſque damnatarum,) fœtore, cinere, nihilôque farti, pendent fructus. Hoſtibus iſta noſtris, Inferorum furnorum incolis, obtingant diverſoria! non *terreſtri* Chriſtianorum *Triadi*, JESU, MARIÆ, JOSEPHO. Quocirca, nec cœlum quidem, (in veſtri cuſtodiam ſemper oculatum) paſſum eſt, diutiùs oberrare vos: &, qui vos ad fugam excitavit *Angelus*, is idem, etiam tum pervigil, retraxit à fugæ periculis. Injectâ, quam aſſumpſerat ex aëre ſpiſſato, dexterâ, te, JOSEPHE dulcis, & in te tecúmque tuos, traduxit in ſemitam dexteriorem; & hinc, in callem, *regiámque viam*, quæ vos ferret, quò debebat; ad vicum *Materaum*, in hortum, & fruticeta ſuaveolentis *opobalſami*: quà proximè penetratur in Regiam tot Pharaonum, ac Ptolemæorum, Ægyptum. Hic vobis errorum finis; ſtatum, & è divini nutûs menſura fixum, *exilium*. neque mirandum; cùm, ad nos è cœlo

ſeſe

ſeſe demittenti Deo, Dei-filio, certô modô, volentíque, factum eſſet *exilium*, *totus iſte Mundus*.

Sint hæc interim è tua, JOSEPHE, proficiſcentis in Ægyptum, hiſtoria delibata: cujus rei geſtæ, pæne noſtrorum ad memoriam avorum uſque, monimentum ſupererat lapideum; *Ædicula* (ſinè dubio, memoriæ nomíniq; tuo quondam inſcripta,) cum *Ara*, Deo ſacratâ, ſed jam olim, & ab impiis utique, diffractâ. Stabant autem, ad pedem *Bethlehemai*, de quo dixi, *Montis*: &, ſiquo caſu non ſtant ampliùs hac tempeſtate; manet tamen in re, manet in mortalium recordatione, ſcriptum; JOSEPHUS, AB ANGELO REDUCTUS IN VIAM.

Roges hîc fortaſſis; Ecqua propinquitas, aut cognatio (ſaltem allegorica, vel comparationis,) inter præteritam enarrationem, & operis hujus mei propoſitum, interveniat? Aliqua, ſinè controverſia: ſi paucîs animum digneris advertere, *Patriarcha venerande*; méque ſinas, à Tuis momenti-majoris eventîs, ad hæc mea minuſcula, quadam rerum accommodatione, deſcendere: quæ talis eſt.

Hujc Operi meo, quod nunc *Ætatis noſtræ geſtorum eminentium MEDULLA* nomi-

natur *HISTORICA*, priùs, quàm ſuîs è ſcriniis in publicum prodiret, *titulus* aliquando fuerat, *Fama publica NUNCIUS ALATUS*: qui priſco Latio fuiſſet, *Mercurius*; Græciæ verò Chriſtianæ ſcriptoribus, bajulus novitatum, *Angelus*. Quid eſt enim aliud, ex inſtitutô primô ſuæ, quà vocis, quà functionis, *Angelus*; quàm *nuncius*, ac *narrator*?

Hic meus igitur, Sæculi noſtratis *Raritatum hiſtoricarum* lator, hic nuncius, & angelus, circumſpicere cœpit; Cujnam, provolaturus in exteras manus, ac populos, Tutelæ ſeſe patrociniòque permitteret? ubi ſecurè, ſi non *hoſpitaretur*, at certè lateret, ac *ſtabularetur*? Immò tandem, ubi ſaltem, à me relegatus, *exularet*? Neque deerant, quæ vagum ac palabundum, ad ſe viderentur, hinc & illinc, invitare loca, vel aſyla. Deſtinavit ille tamen, & elegit è pluribus, *unum* ſibi; jámque gradum, & affectabat ad eum, &, præmiſsô tabellario *metatore*, fiduciæ plenus inchoabat: itinere (ſicut apparebat) planô placidôque; nec implacidam metam inventurô. Sed ſecus, ac ſequiùs, evénit. Nam illæ, *felicitatis omnis inimicæ* larvæ, Punicæ nempe frontis *Vertumnus*, & comes ejus, *Læva ſors*, iter univerſum everterunt, intercurſu malignô: miſérque *meus* hic ange-

angelus, non ad *Mare* quidem illud *Mortuum* & bituminoſum, ſed ad amnem tamen limoſum impingens; è regione diverſorii ſtare ſuper ripam coactus eſt, en! aliquot jam annîs; non ad alloquium modò nullum, ſed nec ad limen, admiſſus. Fortunæ fuit hæc Invidia; quæ, ne diuturnitate longiore ſibi regnum ſumeret inſolentiæ; ceſſit, in præſens, fortunæ, penitúsque diſceſſit, *angelus*; quocunque mens eum, caſúſque, ferrent. Et abîſſe, ſaluti fuit. Occurriſti namque, diverſas in cogitationes ſeſe diſpertienti, tu, felix & *affabilis aberrantium patrone*, JOSEPHE: tuîsque doctus experimentîs, & ſolitus, *aliena mala putare tua*; manu prehenſum ANGELUM hunc, ad inſtar Abrahami Lothíque, *patriarcharum veterum*, induxiſti tabernaculo, *parvo* quidem illi, ſed tamen *Tuo*. Tegmen illi, præſidiúmque laboribus illius, obtuliſti *Sinum*, in quo tu JESUM habes, fovésque; *divinum puerulum, benedictum fructum* uteri Sponſæ tuæ: puerum, *gratiarum* omnium *balſametum*: cœleſte Patris æterni gazophylacium; *in quo reconditi ſervantur omnes theſauri Sapientiæ, Scientiæq́; DEI.* quô talî tantóque, ſic tecum conſpectô, puerulô, nulli diſplicere, nec *homini* deberet, nec *Angelo* poſſet, *Umbraculum*; ſub quo, cum

paupertate Regis Angelorũ, omnis habitaret *opulentia Beatorum.* In hoc aſylũ à Te receptus eſt, *clientelæ* titulô, meus etiam hic Geſtorum eminentium *Nuncius*, & *Angelus* : tuo, JOSEPHE, nomini dicatus. Hoc tibi, recepti ſub tutelam tectúmque nuncii-vagantis, ſignum ſtet, marmórque nuncupatorium. SICUT OLIM AB ANGELO REDUCTUS IN VIAM JOSEPHUS; ITA NUNC, A JOSEPHO REDUCTUS IN VIAM ANGELUS.

Hæc, quam poſui, videri cuivis ſufficiens poteſt, ad hunc animi ſtudiíque mei partum tibi dedicandum, ratio. *Clienti, magna ſatis eſt, Patrono ſeſe dandi, cauſſa; Patronus ipſe, prior ſe Clienti dans.*

Ad univerſos, in *communi*, mortales pertinet, hæc agendi viciſſitudo; par ut pari rependas, in officiis. At erga te, digniſſime meîs obſequiîs & cultu, JOSEPHE, mihi nonnulli præterea ſunt, à vulgo ſemoti, *domeſticique*, per Inſcriptiones venerandi te, tituli.

Primùm quidem; quòd olim ad Sponſæ tuæ, Reginæ-Cœli, tholum anathêma, *Ruinarum Decadem unam*, adpendi: cujus ſcriptionum generis ſimilitudinem, haud parvam, hæc geſtorum ævi noſtratis hiſtorica compoſitio

præ

præ ſe fert. Erubuerit autem illa (ſi ſic liceat, de cœleſtibus, humanô terreſtrîque tropô ſermocinari), ſibi quiddam eſſe donarii, ſinè te; cui tecum commune fuerit, in domeſtico *depoſito*, donum-donorum illud, *Emmanuel*, Dei filius, in terris educandus. *Amicorum* bona ſi diviſa non decet eſſe; *Conjugum talium*, quomodo cónvenit, ità ſciſſam eſſe dignitatem; ut altera ſit *in apice*: ſit alter, ac (quantùm eſt in me) ſedeat, *inhonorus?* Accipe proinde Tu quoque, JOSEPHE, gloriæ conſors, venerationis hoc à me qualecunque conſortium; à ſuppare lucubrationis meæ conſecratione tibi conſignatum.

Succedit hujc nuncupationis cauſſæ: quòd à teneris olim, adſcriptione publicâ, cætum intraverim eorum, qui, jam tunc, per Europam omnem orthodoxam, numerô (reor) *pluſquam viginti millium*, animîs conjunctis, & operâ mutuâ, Numini ſupplicabant: quando, per *quotidianam* DEIPARÆ LAURETANÆ Litaniarum recitationem, ſuæ quiſque, ſodalíumque, MORTIS-HORAM ſacroſanctæ *Triadi*, *ſub Præſidio* Virginis ejuſdem, & Tuo, Sponſe virginee, patrocinio commendabamus; totum hoc; ut (ad placitum divinum) feliciter emigraremus.

Et

Et *Mors* quidem, ut & *Hora mortualis*, in manu ſunt DEI: cujus munus ac donum eſt, ut aliis ea, nec ſubita contingat, nec improviſa; ſed lenis, lenta, providéque præparata. nonnullis autem, celer, & quaſi præcox, aut repentina; ſed non imparata. Verùm, qualis ea cunque noſtrûm cuilibet obtigerit; Tuæ, JOSEPHE, ſponſæque tuæ, dignationis eſt, & impetrationis; ſic vitæ, finíſque ſingulorum noſtrûm articulos, tanquam in horologio mundi Platonici, diſpeſci ſuaviter: ut inter hæc, neque *triginta tres anni* videri morienti *præfeſtini* ſoleant; neque *ſexaginta*, vel *ſeptuaginta tres* exacti, deceſſuro *graves*. quippe, quibus in omni vita, dies omnis *Hora* ſit, *à ſomno* torporis *ſurgendi*; ſibíque ſemper in anteceſſum *vigilandi*.

Præter iſta demum, quæ retuli, Tibi me meáq; transſcribendi, momenta; beneficii cujuſdam adhuc unius, in me tuîs ab auſpiciis profecti, non debet mecum, JOSEPHE, memoria ſepeliri. P. Jacobi Bidermani, viri nuper Societatis noſtræ cumprimis clari, ſequor (in hoc duntaxat) veſtigia gratæ mentis; quam is, in cauſſa caſûque perſimili, ſuîs in opuſculis, ergà beatum regni cœleſtis incolam, ALOYSIUM GONZAGAM, exprompſit, perpolitô, ſicut omnia ſua, verſu. (2) Meæ narrationis,

&

& à te relati muneris, JOSEPHE potens, hoc eſto, veluti columnæ cujuſdam *memorialis*, epiſtylion.

Ante triginta, plus minùs, annos, morbo preſſum gravî ſeſquiennalis propemodum, & alternîs maximè noctibus ſævientis, inſomniæ; non ſinè violentis ſpinæ dorſi, cranii, *piæque* matris (quam vocant) & oſſium capitis, concuſſionibus: tædebat, & agere quidquam, & fari, niſi mœſtum. Intellexeram tamen inter hæc mala, Divam, ordinis ſui Matrem, *Tereſiam*, aſceticîs in documentis hortantem univerſos, in ærumnis quibuscunq; conſtitutos, ad cultum & invocationem SPONSI Matris-Dei. Quòd ſi contingeret, ut, rogatus ille, diſferret opem; enimvero, tunc in eo ſemetipſam fore depellendi mali prædem. His ego, ſic cognitis, credidi: concepi fiduciam: imploravi præſidium, JOSEPHE, *manúmque* tuam *medicam*; &, unà tecum, *medicinæ vadem* cœleſtem, Tereſiam. Quid dicam in hæc? id, quod res eſt. deſiderii mei, votorúmque, compos effectus, ipſo, qui Divæ *Tereſiæ* feſtus erat, die, Tuîs ſanè ſub auſpiciis, JOSEPHE, quorum ſe prædem illa Virgo ſacra ſubſtituerat; recipere manifeſtè cœpi ſomnum legitimum, viréſque priſtinas; & (ut in auctoris *Proverbiorum*

bibli-

biblici ſententiam prorumpam) *verba compoſita*; *dulcedinem animæ*; *ſanitatem*, *&* *irrigationem*, *oſſium* (3). Suaviſſime JOSEPHE! proh, quot erant, in hoc vel unico,rurſus irrigatorũ, ac ſanitati redditorum, Oſſium meorum donô, beneficia Tua? Vigor corporis, alacer animus, ſtudiorum facilitas, laborum & ſermonis in publico vis, ſuccúſque reſtitutus. Quid Tibi ſoſpitatori, quid Sanitatis & Irrigationis oſſium meorum auctori,remunerationis offeram, quæ ſic-affectis ac percuratis meî partibus maximè congruat, & reſpondeat? Nónne ſaltem hanc *meam*, (quæ certè redditæ valetudinis fructus & partus eſt) MEDULLAM? Hæc igitur eſto nunc TUA!

Sic rogat

Scriptionis hujus Auctor.

(1) *Felix Fabri*, *in hodœporico Palæſtinæ*, *die* 15. *Julii*, *anni* 1483. (2) *Libro* 1. *Epigramm.* 110. (3) *Proverbiorum cap.* 16. *v.* 24. *&c.*

AD

AD LECTOREM.

De flagitatoribus Ruinarum: *& hujus operis recentioris argumentô, tractandiq; modô.*

QUo tempore RUINIS ILLUSTRIBUS componendis ſuccisivam, juxta curas alias, operam dabam; nondum alterâ confectâ *Decade*, fuêre complures (exteri maximè, politicîsque paſci bellariis aſſueti): qui verbîs claris, & apertîs, à me poſtularent, utì *Temporum* potiùs *noſtrorum* conſpicuas (quæ deeſſe vix ulli poſſent Anno) *Ruinas* ſuſciperem, eásq; *præ veteribus* omnibus, exſtruerem. Hîs juſtô volumine productîs, &, quantùm ſatìs eſſet, oſtensîs; tum demum ad interruptam Hiſtoriam *antiquiorem* me narratione reciperem.

Sic illi tum: quo ferè modô (ſi fas eſt, illa *magna*-veterum, *minutiis* noſtris accommodari,) Pollio quondam Aſinius aliquis, aut Auguſti libertus, Phædrus, auctores *Tito Livio* fuiſſent, Annales Romanos ab urbis origine condituro; ſcriptionis initium ab *Auguſti bellis*, & *Actiacâ* victoriâ, ducendi. retrò deinde, civiles ad motus Julii Cæſaris, Pompeji Magni, Corn. Syllæ, C. Marii, Corn. Cinnæ, gradiendi; porróque, per ſeditiones tribunitias, & ſeceſſiones

nes populares, ac tria bella Punica: donec veniretur ad *Regifugium* Tarquinianum, & jacta per Brutum in urbe fundamenta libertatis. Quis hoc ferendum in Livio cenſuiſſet *hyſteron proteron?* Et illis tamen impulſoribus meis arriſiſſet, opinor. tale quidpiam urgere videbantur, ac velle pertendere. Summatim! depulſi votîs & deſideriô ſuô, pars ſtomachari ſimpliciter; pars & ulteriùs progreſſi, mihi mittere veteris amicitiæ repudium; tantùmque non *profeſſas* indicere (mihi verò ridiculas) *inimicitias*. Quid multîs? Qui leviſſimè repulſam ferebant illam, ringebantur tamen; & abibant.

Ego verò, nil motus iîs, certéque non offenſus; in inſtituto pergebam, *Veterum duntaxat excidiorum*, ac funerum, argumentô: *noviſſima* contrà, tam tempora fugitans, quàm Exitia; *geminam* ob difficultatem. Harum alteram *Inſcriptio* creatura fuerat; alteram, operis *Perſona*.

Titulum, volebant illi ſollicitatores mei, procedere ſub eodem illô vocabulo, quo primùm cœpta moles hæc fuerat: ut adeò *Noviſſimorum* quoque *Temporum* eſsent, perinde, ſicut *primorum*, Illuſtres *Ruinæ*; ſervatâ (velut talibus loqui placuit) *decadum*, ſub uno primôque nomine, *concatenatione*. Verùm, per Salutem

tem te tuam rogo! quódnam, & quantum, pro *noſtratis* ævi rebus, & Actis, inſurrecturum fuerat *Inſcriptionis* iſtius odium? quàm infeſta multorum cenſura? Clamâſſent; antecedentibus in *Decadibus*, vix, ac ne vix quidem, ulli vel homini, vel urbi, regioni, loco, regimini, *Ruinarum* inſcriptam fuiſſe frontem, quaſi ſtigmate notatam; quin is, aut ea, vel illud, *ad Inferos uſque* corruerint. quod profectò, de quocunque tandem *Sæculi noſtri* lethô jactari, ſpargíque, nec modeſtia ſcribentis ſuſtineret; nec *ſubrutorum* poſteritas ſinè dolore concoqueret: vaticinante præſertim ſacrorum oraculô voluminum; *Caſurum ſuperbum, & corruiturum: nec erigendum.* (1) & alibi; *Ruinas Impiorum fore:* (2) *Juſtum*, è contrario, *cùm ceciderit, non colliſum iri.* (3) Quæ ſententiæ vulgò multorum, vitiis ſervientium, & virtutibus infenſorum, *Ruinas* infamant: ut proinde ſaporis, nequaquam publici, guſtum ſperare ſibi promitteréque ſit auſurus, iſte, cujcunque tandem *Caſuum recentiorum* affixus, *Ruinæ* titulus. Et hunc tamen extundere volebant à me; qui laboribus meis *odia* quærebant, & inimicos.

Difficultas, poſt hanc, *altera* ſurgebat, ex ipſa *Re*, *perſoniſq;*, noſtratium Annorum,

B mundi

mundi theatro per narrationes introducendîs: quantumcunque tu ferale RUINARUM epitogium illis detraheres; & aliud, in iis exponendîs, nihil, quàm *Acta Geſtáve*, profitereris. Quàm autem multi, vel hac ætate noſtrâ; quàm multi, magníque (ſibi ſaltem viſi,) neque pauca, neque modica, geſsêre præpoſtera; nullâque rubrícâ Faſtos ornatura? Protrahátne quis igitur in medium illa, quæ, nocte ſuâ premi diutiùs, & vel ad omnis auroræ deſperationem, præſtaret? quæ ſileri certè quidem ſcriptori minùs invidioſum foret? Alia res, alia conditio rerum, & ſtyli libertas, conceſſa compoſitori fuit *Ruinarum*. nam *Veterum* erant, & regum, & rerumpublicarum, atque negotiorum; ultra Cæſarum, & Auguſtorum, primas origines projectorum. Quis *leo mortuus*, ac ſepultus, aliquando refodientem ſe momordit? Aut cujúsnam catuli, progenitoris ſui Manes, rugitu minacî, poſt mille ſeptingentos annos, ulti ſunt? At *rhinocerotis* vivi, ſpirantíſque, vel intuitum, & umbram, (ſi contrà mutias) formidaveris: nedum, ut læſi, ferocientíſque, nares cornutas ſuſtineas. *Eſt*, in ſummam! *molis, ut operoſæ, ſic doloſæ; dicere de viventibus; & omnium tamen parcere vitiis*:

epita-

Digitized by Google

epitaphia condere genitoribus ; & nullâ verbi parte diſplicere filiis ſuperſtitibus.

Placet igitur, nihil gratificari votis, *Ruinas noſtri Mundi* poſcentibus ? Placet immò quiddam ; ſed mediô tamen incedere : nimirúmque, *nec nihil illis*, *nec omnia*, largiri. Demus *Hiſtoriam* : ſed, & nullô *Ruinarum* veſtibulô, ſola truculenta præ ſe ferentem, ac minitantem ; & non illo, quem petebant, retrogradô cancrinôque, per ſæcula priora, gradu ; ſed per *Ætatis noſtræ* ſeriem annorum, immò verò Septenniorum, planam. Idipſum autem adeò ſinè partium ſtudio fiat : ut nemo, qui *Suorum*, in hoc opere, vel legerit fortè, vel audierit, vocabula, querendi cauſſam inveniat ; Inter *Gehennæ* rudeta, ſui quoque ſanguinis ſepultum quempiam, proclamari. *Vita* cujuſque, ſicubi res exiget, referatur : *Mors*, illius meritis, nullo noſtrûm judice, relinquatur : niſi, ſiquando (quod vix accidet) ſuper eo ſecus, ac publicè, Mundus, & probus & improbus, deciderit. De cætero, promiſcuè narremus : ac miſceamus, non modò læta mœſtis, & ſacra profanis, (utì res, & geſta, ferent) ſed, Boëthianô ritu, *Proſæ* ſubinde METRA, ſoluti ſermonis *ſummam* refricantia : ſcripta quidem jam olim ; nunc autem reſcripta, pro-

ſæq; ſuperadjectæ Medullâ *vetuſtatem* animante, *recocta* ; velut *Aéſonis*, in aheno, membra. quibus tu, benigne Lector, ſi fáveris, ſatìs *vita*, ſatìs *juventa*, ſinè *Colchorum* omnî pharmacô, dabis; & unà valebis!

De METRIS *hujus operis.*

QUæres tamen fortaſſis, inter hæc; Quænam *occaſio* nos, ad METRA præſertim, traxerit? quæ primis duntaxat rerum Annis aliquantò crebriora ſunt: in poſteris verò parciùs ſata: ſed utrobique tamen eam ſervantia temperiem, ut oratio ſoluta verſui, verſus autem ſolutæ, lucem reciprocam affundat; & ſæpe totus ipſe ſit Hiſtoria. Nimirum aperiam, amice Lector, omne tibi, quod petis, *occaſionis* iſtius arcanum, fide quàm optimâ. Subauſculta tantùm: & crede.

Cùm peritiorum compluribus, duce Virgiliô, ſuam Æneidem apparante, quàm utiliſſima videretur *ſoluti* ſermonis in *verſum*, ac verſûs identidem in liberiorem orationem, translatio; cúmque, Fabiô quoque judice, *Nihil ſit proſâ ſcriptum, quod in quadam* (ut ipſius loquuntur Inſtitutiones) *verſiculorum genera redigi non queat*; ante viginti duos plus minùs

minùs annos, ab conjunctioribus quibuſdam ſtudiorum meorum æqualibus impulſus, *enarrationum hiſtoricarum*, ſtylô primùm ingenuô ſimplicîque, mox & alligatô pedibus, *EXERCITATIONES* conſcripſi, nominavíque, *PROSOMETRICAS*; commodô, non modò Parnaſſiæ juventutis, ſed & ejus hominum generis, quod, *carmine* ventis commiſsô, *proſam* ferè ſolam ſectatur: tanquam mendacium oleat, etiam *Veritas*, quoties ab Helicóne ſolô deſcendit.

In his autem, quas dixi, *narrationibus*, ne per rancida moroſáque rerum argumenta, nullôve temporum ordine deductas exegéſes, vagando, delicati lectoris guſtum aſperarem priùs, quàm excitarem; Res *Sæculi noſtratis* geſtas (ut antè dixi) jam tunc ſelegi. *Selectorum* autem, per annos ſuos, ordinem ſecutus; ea, quæ tralucere, ſuî nonnullâ raritate, præ cæteris videbantur, in ſtadium quæque ſuum, & legentium oculos, produxi; ſub MERCURII quondam *Synoptici*, nunc autem (quoniam dulciùs id eruditis quibuſdam ſapuit) ſub HISTORICÆ MEDULLÆ titulô ſpectanda.

De Apocommatibus, *&* Synopſi, *cujuſq; Anni.*

EXſugendam autem (utì cujuſque guſtus fuerit,) & non ſpectandam ſolùm, iſta ſe *Medulla* dabit; in *Apocommatibus* quidem potiſſimùm: utpote, quæ Selectiora ſtudioſiùs, & ex profeſſo, conſectentur. Nec tamen interim ex totò ſeſe negabit *Synopſibus*, ſeu Breviariis Annorum, quorum hæ *Compendium* quoddam *annale* ſunt. Et eæ quidem, quas dixi, *Synopſes*, nonnullis, ac præſertim primi voluminis Annis, ſteriliores obtigerunt; propter argumenta rerum narrandarum, periculosîs hiantia foveîs, ideóq; cauto prætereunda. Sed in aliis tamen, maximam ſuî partem, & ipſæ diffunduntur in amplitudinem: &, quô longiùs proceſſurum eſt opus, eò latiùs quoque, more fluminum ſtagnantium, exſpatiabuntur ea, quæ principiò *breviaria* tantùm & videbantur, & vi Græcæ vocis appellabantur. Sicut porrò quibuſdam in ſtagnis & amnibus ingentioribus (qualis Boryſthenes, ac Nilus,) etiam inſulæ ſubinde ſurgunt, & ex illis eminentia viridaria: ſic è *Synopſibus* quoque ſparſim emergere deprehendes acta quædam eventáque, ſuum ſeparatim Apocomma ſibi poſtulatura, ſi rebus

Digitized by Google

bus ab annuis avellerentur. nunc autem profluentem intrà narrationem rerum Anni ſui manent, æquali planè jure, quo Cornelius quoque Tacitus haud pauca ſuccinctis Annalium ſuorum Actis infert, quæ ſub titulum rectiùs Hiſtoriarum videri poterant intrare debuiſſe. Nunc autem, & iſta verſicolor illi ſcriptori *variatio* placuit; & nobis illius, in hoc, *imitatio*.

Do verò *breviarii* geſtorum Sæculi noſtri *Primum* hîc *Septennium*, enchiridii quodammodo pugillô clauſum; nequem moles gravet: poſt paullum autem, & *alia*, quæ compoſita jam ſunt, *Septennia*, formîs paribus, additurus.

Hujc animi propoſito, *munus* tibi chronicum *edendi*, munerum omnium præſes, DEUS, (*cujus in manibus noſtra tempora ſunt*,) tuæque, lector, cenſuræ propitius fautórque *pollex*, ſubſcribunto!

Vale.

APPROBATIO R. P. PROVINCIALIS.

JOANNIS BISSELII, è Societate JESU, *Ætatis noſtræ Geſtorum Eminentium* MEDULLÆ HISTORICÆ, *per aliquot Septennia digeſtæ*, SEPTENNIUM PRIMUM, *à deputatis Patribus cenſum, probatúmq.*, *Ego* JOANNES EVANGELISTA THANNER, *Societatis* JESU *per Superiorem Germaniam Præpoſitus Provincialis, pro poteſtate, à Patre Noſtro* JOANNE PAULO OLIVA, *Univerſæ Societatis* JESU *Præpoſito Generali, acceptâ, in lucem & typum dari permitto. Fidem facio chirographo, & officii mei conſueto ſigillo. Landſpergæ 4. Novembris 1674.*

JOANNES EVANGELISTA THANNER.

MEDUL-

Digitized by Google

MEDULLÆ HISTORICÆ SEPTENNIUM I.

Ab Anno 1601. uſque ad Annum 1607.

Hoc Septennio

MEMORABILIORA

continentur.

Principes terræ.
Michaël, Waywoda *VVallachiæ.*
S. RAYMUNDUS *Pennafortius.*
DUX BIRONUS, *Gallus.*
ELISABETA, *Regina Angliæ.*
Mahometes III. *Turc. Imper.*
OSTENDA *obſeſſa, & capta.*
Joan. Caſtelli *tentatum regicidium.*
JACOBUS I. *Angl. Rex periclitans.*
Theodorus Beza *Vezelius.*
MARIA, *Galliæ Regina, fluctuans.*
Demetrius Moſcus, *fœdè conciſus.*
Juſtus *Lipſius.*
CÆSAR *Baronius.*
Mæotus, *homicida deteſtabilis.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Annorum Ætatis noſtræ ARCHONTOLOGIA prævia.

PRINCIPUM NOMINA, locáq; , memorabilia.

I. REGUM, Principúmq; , qui, ſub ingreſſum Sæculi Chriſtiani decimi ſeptimi, Mundo præſederunt, in oculis *Nomina* conſtitui; dignitatis eorum præjudicata ſuadet auctoritas. Et quoniam, quod cœlo *Stellæ* ſunt, hoc orbi terrarum *excelſæ poteſtates* ſe præſtant; tanquam in Archimedis Siculi coſmicâ ſphæra deſcriptas cœleſtes Luces, ſic illuſtriſſimos ego mundi Principes ſuſpiciendos, conſigno; quietô quidem aliquantiſper rerum, ac dominatûs, ſtatu; ſed in ſuî mobilitatem paullò pòſt abiturô, nec ſtationem lucis inconcuſſam retenturô.

Stabant autem tunc in Orbis excubiis, cum ſupremo ſuarum quiſque ditionum arbitriô, faſtigii ſacri profaníque, quos ordinè nominabo, magnates.

II. In Italia, Clemens octavus, Pontifex maximus. In Germania, Rudolphus ſecundus, Chriſtianorum Imperator: In Thracia,

cia, Mahometes tertius, Turcarum caput. In Galliis, Henricus quartus, è gente Borbonia; Francorum, ac Navarræ, Rex. In Caſtella, Philippus tertius, Hiſpaniarum Rex, & Indiarum. Cracoviæ, Sigiſmundus tertius; tunc & Polonorum, jam antè verò, Suecorum, Gothorúmque, Rex. At Coloſwariæ, Sigiſmundus Bathorius, Transſylvaniæ Vertumnalis Princeps. In Adria, Marinus Grimannus, Venetiarum Dux. Taurini, Carolus Emmanuel, Sabaudiæ Dux, Pedemontii Princeps. Bruxellis, Albertus & Iſabella Clara Eugenia, Belgii Principes. Haagæ-Comitum, Mauritius, Comes Naſſovius; Hollandicorum Ordinum fœderatorum ſupremus, terrâ marîque, ductor. Hafniæ Cimbrorum, Chriſtianus, ſeu Chriſtiernus, quartus; Daniæ Norwegiæq; Rex. Apud Londinenſes, Eliſabeta, quam ex Anna Bolenia Rex Henricus octavus ſuſcepit; Anglorum Regina: dominatrix Hibernorum. Edinburgi, Jacobus, in Scotica ſucceſſione, ſextus; Mariæ Stuartæ filius, & Rex Scotorum. In Europæa Scythia, Boriſius (aliter noſtris, Georgius), cognomentô Fedrowizius Godunówus, Moſcorum Dux-Magnus; Imperator Albæ Ruſſiæ. Taphræ, quæ Tauricæ

Digitized by Google

ricæ Cherſonéſi metropolis eſt; necnon, ad paludem uſque Mæotidem, &, quæ circà ſunt, Casínus, Præcopenſium Tartarorum ſupremus militiæ Dictator. Siráſi (quæ Perſepolis antiquis erat) ad Araxen amnem, Rex Perſarum Parthorúmque, Schach-Abas. In Mauritania, Xeríphus (aliis Seríphus), cognomentô Hamétes; Feſsæ, Marochiíque, circumjectæque citerioris Africæ, Rex. Meáci denique, Daiſuſáma; trucidatîs regnorum æmulis, Japoniæ monarcha: potentiâque, qualis inter Inſulæ tantæ mortales eſse poteſt, verè ſummus.

III. Ab his tunc ergò, quos dixi, jura mundus; at à Numine, temperamentum, ac fata, capiebat. Quorum tamen ſiderum gubernantium converſiones, excuſsóſque centrô ſuô gyros, non ſinè publico Pacis diſpendio; nos jam, nullâ vitrorum explorantium ope, ſed experimentîs cladium ferreîs, & Martis Magiſteriô (prôh dolor!) acerbiſſimô, docemur.

METRUM.

Capita ſuprema, ſub ingreſſum Sæculi XVII. fulgentia.

Jura Petri Clemens, aquiláſque Rodulphus, habebant;
Maumetes Lunam, lilia Borbonius:

Arra-

Septennium I.

Digitized by Google

Arragonum populos, ac Solem utrumque, Philippus;
Regna Sigiſmundus Sueca, Polona, Gotha.
Dacica Battorius Trans-Sylvas ſceptra rotabat:
Adriacóque dabas vela, Grimane, ſalo.
Carolus Allobrogas, Belgas Iſabelláque, vírque;
Mauriti Batavas aura ſovebat aquas.
Chriſternus Cimbros, Tameſin frænabat Eliſa;
Præcopidûm Scythicos prædo Caſimus equos.
Perſarum Scháchabas tractabat regna; Xeriphus,
Quidquid Mauri orbis deſpicit altus Atlas.
Sub Daiſuſámæ, prócerum modò cæde cruenti,
Subdiderat gladium ferrea colla Japon. (1)
HI tunc culmen erant, ac publica nomina rerum:
Cùm, veterî exactô, ſe novus orbis agit.
Septima, poſt decimam, annorum ſeſe explicat Ætas,
Hoc mite, à Chriſto *quòd numeretur, habens:*
Cætera, pro vario regum, rerúmque, colore,
Diſcordes produnt, indice fronte, notas.
Ac, velut in Siculi vitreo Senis orbe volucrem
Circumit aſtrorum diſſona turba globum: (2)
Perſeos hæc faciem, ſoceri (3) *gerit altera vultum;*
Hôc gemit arctophylax (4), *hôc riget urſa, locô:*
Hic enſe Orion, alibi eſt ophiuchus (5) *ab angue,*
Terribilis: flagrant hîc Phaëthontis equi.
Talis erat facies, mundi tunc culmen habentûm:
Dum chlamyda, & Martem, ſpirat hic; ille, togam:
Dum ſavet hic aris; & vim ſtruit ille faventi:
Pars, oleæ (6) *mediam ſe gerit, atque tubæ.*
Qualiscunque tamen; tremulô modò pollice quaſſa,
Stabat adhuc aliquo machina firma pede:
Quæ nunc, innumerô jactata, volánsque, tumultu,
Quàm citò Terra, rota eſt; & rota, facta pila? (7)

TESTI-

Septennium I.

TESTIMONIA, & NOTÆ.

(1) *Indomabilis antehac vulgò regibus ſuis gens, & jugo recipiendo tarda. in quam idcirco rectè dictum illud Iſaiæ fuiſſet, cap. 48. v. 4.* nervus ferreus cervix tua. (2) *De ſphæra Archimedis, aſtronomi geometræq́ Syracuſani in Sicilia, vitreâ cryſtallinâve, vide Cl. Claudianum, in epigrammate 21. cujus initium eſt,* Juppiter in parvo, *&c.* (3) *Cephevs, Rex Æthiopum: cujus filiam Andrómedam, cùm ad Joppês maritimum ſaxum vinculis exſolviſset Perſeus; effeciſse ferebatur meritis ſuis, ut ſecum, & cum ſocru Caſsiopâ, nuptâq́ Andromedâ, Cephevs etiam inter ſidera reciperetur: Arcticô Circulo clauſus; & à tergo Minoris urſæ collocatus; Carolo Stephano aſſertore.* V. Cephevs. (4) *Boótes, ſidus, Urſæ majoris cuſtos; &, in modum bubulci, plauſtrum ſequentis, ſic ipſe poſt tergum ſeptemtrionum, quaſi teriónum boum, tardiùs, & velut cum anhelitu, ſubſecutor urſæ, incedens.* (5) *Cœleſte ſidus ejus nominis; effigie quaſi manu tenentis anguem, relucens.* Manilius, *in aſtronom:* (6) *pacis: cujus ſymbolum, eſt oliva; ſicut belli, tuba caſtrenſis.* (7) Dii, nos homines Pilas habent. *Plautus.*

De

Digitized by Google

De Principibus *autem, tam in proſa, quàm Metrô, prolatis*; *vide Joan. Marium Friſingenſem, in Chronico. P. item A. Janſonium, rerum in orbe geſtarum tomo 6. libris 24. & 25. Joan. Cluverum, in epitoma hiſtoriar. Henr. Spondanum, tomo 3. Continuationis Baronianæ*; *Admonitione, quæ præfixa eſt Proluſioni.*

ARCHONTOLOGIÆ
præ greſſæ meta.

Principum, ſuprà memoratorum, nec unus quidem, anno Chriſti 1648. ſuperſtes.

O, Rerum, ac mortalitatis noſtræ, fata volubilia! nimiôque plus caduca! Cum ſcriba Jeremiæ vatis, exclamare compellimur: *Ubi nunc ſunt Principes gentium, &, qui ſuper beſtias dominabantur? qui ludebant in avibus cœli? qui congregabant argentum, & aurum?* (1) Exterminati (prôh dolor!) ejectíque vivîs ſunt: & ex his, ad Tartarum, plures uno fortaſſe, deſcenderunt. (2) Extinctæ globi coſmici *ſtellæ* ſunt: quæque ſuîs olim in radiis aſtra fuerant, in Umbris nunc ſunt. Interciderunt: &, cum illis, ingens unà Mundus; *tanquam roris antelucani gutta, defluentis in terram,*

Septennium I.

ram, & in vaporem exſpirantis. (3) Animarum autem, quam nunc tenent, conditionem, quis meliùs novit, quàm is; qui ſolus neſcire nil poteſt?

METRUM.

Summorum capitum extinctio.

DUM nova venturis aperit ſe gentibus ætas,
Auſpice Romulei clave (1) recluſa Patris;
Quàm numeroſa ſimul, quantorum, ô, purpura regum,
Diverſi rubuit ſideris iſta die!
Ille quidem Auroræ populis præfulſit, ad Euros;
Sub, Libycis toſtâ Solibus, iſte plagâ:
Hic domito injecit Zephyro juga veſpertina;
Parrhaſiæ hic Boream flexit ab arce feræ. (2)
Denique dimenſis aureaq́ue, Jovisq́ue, ſedebant,
Ille ſuis rector tractibus, iſte ſuis.
Nunc tamen hi, poſt luſtra decem, nec plena, peracta
(Heu, brevitas noſtri floris, & auræ!) ubi ſunt?
Quô regnum ſibi quiſq; locô, quo Sole, vel axe,
(*Quærebam*) obtinuit? *quærere Muſa vetat.*
Jam cunctos una, inquit, habet lex mortis, & urnæ;
Cúmque his, terrigenûm grande ſatellitium:
Cætera ſcrutari, quid opus? Poſt funera, REGUM
Servorúmque, ſitus par, & in Occiduo, eſt.

TESTIMONIA.

(1) *Anno ſæculari M.DC. Clemens octavus, Pont. max. Jobelæum, apertâ (quam vocant)*

cant) Aureâ portâ, *promulgavit: Tranſalpinis anno 1601. fruendum.* (2) *Arcti, ſeu Urſæ Arcadiæ; in quam Calliſto, Regis Arcadum, & Parrhaſiæ, filia, transformata credebatur. De* priore *notâ, conſule Spondanum, Continuationis tomo 3. De* poſteriore, *Carolum Steph. V.* Calliſto.

ANNUS M.DC.I.

ANNI M.DC.I.
Geſtorum
SYNOPSIS.

I. IN *Sæculi decimi ſeptimi* lucem prodituris, cunctabundè deliberandum fuerat; ſi ſapere priùs, quàm naſci, cœpiſſent: propter multa, quæ Sæculi primum annum incurſant, *inauſpicata.* Nam, ſi *Divi Raymundi Pennafortii* felicem apotheóſin; ſi *Ludovici* quoque *Borbonii*, Gallorum poſtea regis, eo nomine decimi tertii; necnon *Annæ Mariæ Mauritiæ*, Philippi tertii, Regis Hiſpaniarum, filiæ, natales luces excipias (quarum prior in diem Septembris vigeſimum ſeptimum, poſterior autem in ſecundum ac viceſimum, incidit,) orbis reliquus conſpicuorum capitum *funeribus* paſſim ater, ac luctuoſus, eſt.

C II. Pri-

II. Primùm enim omnium, in Belgio, *Franciſcus Provincius*, nobili Bruxellis locô natus; ob *Gertrudeberga* tentatam ad Archiduces translationem, crimine proditionis à *Batavis* poſtulatus, Januarii die quinto capite mulctatur. In *Anglia*, paullò pòſt, cum Henrico Cuſio, ſecretorum participe; cum Chriſtophoro Blontino, vitricô ſuo, viris conſpicuîs; cum aliis prætere a minoris *radii*, non unô mortis genere ſublatîs, *Robertus Devoreuſius*, Eſſexiæ Comes, & *Eliſabeta* Reginæ nuper, in ſpem uſque nuptiarum, charus, gratiæ regiæ viretîs eradicatus eſt: ac, *Roberti Cecilii* malè tectîs odiîs, & æmulatione, die *Cineribus* Eccleſiaſticis ſollemnî, percuſſus ſecurî, ſub crimine proditionis, (in univerſum fortaſse falſô,) jacet.

III. *Meáci* præterea, Japonum urbe præcipuâ, Chriſtianâ pietate, militarique gloriâ, ſpectabilis, *Auguſtinus* Zunoca, vulgò *Zunocadómus*, à dynaſtia ſuâ, dictus; propter fœdus, cum proceribus duobus aliis initum, adversùs, Japoniæ mox imperatorem, *Daifuſámam*: ejuſdem juſſu, tribus obtruncatus ictibus, è medio tollitur. In *Flandria*, Caſtilionæus comes, Gallus, dum *Albertæa* caſtra, per vallo-

vallorum crates, ſpeculatur; globi plumbei, contrà-volantis, impetu caput, à collo decuſſum, amittit. In Transſylvanis, *Michaël*, Wallachiæ *VVayvvóda*, ſeu ſupremus Prætor; ob detrectatum, Cæſari *Rudolpho* debitum, obſequium, proptérque clandeſtína cum hoſtibus-Impetii fœdera, *Georgii Baſtæ*, Cæſariani ductoris, mandatô, militis Eburonici fariſſâ transverberatur.

IV. Apud inferiores Pánnonas, *Alba Regalis* (Stuel-weyſſenburgum Germanis dicta) tyranno Byzantino, *Mahometi tertio*, clade magnâ Turcarum, eripitur. nec tamen multò minore Chriſtianorum detrimentô, ſub idem ferè tempus, *Caníſa* (Styrorum, ad Orientem, ultimorum urbs, & Illyricæ quondam oræ particula) Ferdinandæis à copiis, Auſtriæq; magnîs viribus, circumſidetur: neque tamen capitur. In extremis denique Flandriæ receſſibus, *Oſtenda*, maritimum oppidum permunitum, & ab Hollandis dudum inſeſſum; ſub Julii menſis initium, ab Hiſpanis, & Archiducis Alberti copiis, obſideri cœptum rumore ſuî paſſim Europam implevit; ac *Trojæ* veteris quandam, neque ludicram, imaginem, oppugnantium conſtantiâ, repugnantiúmque

pervicaciâ, mundo renovavit. id, quod & progreſſus docebit annorum: & caſtrorum, Martíſque, glorioſus exitus repræſentabit.

METRUM.

Clarorum quorundam, aliorum quidem ſplendor, & ortus, Anno M. DC. I. aliorum autem, occaſus.

SÆcula poſt dorſum ad manes ceſsêre priora:
Alterius ſurgit curia magna fori.
Converſô rerum panduntur cardine poſtes;
Veſtibulique vicem primus *hic* Annus *obit.*
Auſpicium is, limênque tenet, portámque ſequentûm:
Ex hac, in reliquum ſit penetrale via.
Tu, quicunque gradum vitales carpis ad auras,
Ordirisque ortu poſteritatis-iter;
Ne magnô, naſci, conſtet tibi; limine primô
Hæc docili ſollers atria calce tere:
Cúmque probô indigeas ductore, notisque magiſtris;
Hos attende duces, has bibe mente notas.
Raymundum indigetem, Galli cunabula regis,
Hiſpanæq; ortum demito Mauritiæ:
De reliquo, Procerum quàm denſis ſtragibus atrox
Infortunatæ grandinat ira Deæ?
Reddere dum Belgas dominis Provincius *optat,*
Proditionis adit crimen; & enſe piat.
Cum Cuſio, & primis Anglorum, Eſſexius *heros,*
In Tameſim, regni defluit è gremio:
Colláque Cæciliæ *præbet ferienda* ſecuri;
Fortunæ-aularum nobilis invidia.

Hic,

Digitized by Google

Hôc, melior meritis, ac famâ, nec minor armis,
Orbe alio, Japonum Zunicadónus *amor.*
Iſta tribus, triſidô luit ictu, fœdera, ferri;
Hôc felix, Chriſto *quòd dedit antè manus.*
Caſtilionæam ſpargit glans plumbea frontem:
Waywodæum haurit Baſtias haſta latus.
Funera quid memorem, quæ Pannonis Alba, Caniſa
Illyris, & cœpit Flandrica Troja, dare?
Huic ergò innaſci quicunque accingeris ævo,
Quémque ſupra decimam ſeptima meta juvat:
Ingredere, ô! (ſtant, ecce, duces) ductoribus iſtis.
Poſt hos, vix dubiô te via calle feret:
Ac, ne te forium fallant inſignia; multô, en!
Rubricata Ducum porta cruore, patet.

TESTIMONIA.

AUCTORES, qui de his tradunt, paſſim in manibus ſunt. Spondanus, e. g. Proluſione tomi 3. continuationis Baronianæ. Cluverius, in Epitoma hiſtoriarum orbis. Jacobus Auguſtus Thuanus. Rudolphus Boterejus, in magno ſynedrio Pariſino Advocatus. Slejdani continuator, è Thuano, Boterejo, Bodino, & MS. Emmanuel Meteranus, hiſtoriæ Belgicæ lib. 21. Laurentius Beyrlinckh, tomo 2. ad Petri Opmeére chronologiam. P. A. (ſic enim prænominat ſe, nec expreſſiùs, hic auctor) Janſonius, tomo 6. rerum in orbe geſtarum, libro 25. Auctor Laureæ, quam inſcri-

Anni Acta.

inſcribit, *Naſſovica*, *ſive Currûs triumphalis Mauritiani*. *Joannes Marius Friſingenſis*, in *opere Chronico*, *Monachii linguâ Teutonicâ publicatô*: *aliiq́ complures*. *Quorum nos auctoritati, fideiq́, deinceps in cæteris quoque ſubſecuturis annorum Synopſibus, ſive breviariis, quoad ſingulorum quæq́ narrationes, ac bona fides, ſeſe exporrigent, inſiſtemus: ad res ſui fori etiam heterodoxis accitis.*

Id hôc loco præmonere, placuit: ne tot auctorum eſſent in poſterum nomina, vix ſine lectoris aliquo faſtidio, toties inculcanda. Semel ergò innoteſcat; quoties pauciores nominabimus, & plures tamen nominare poſſemus; quorúmnam è fontibus, aut ſemper, aut plerumque, geſtorum compendia hauriantur. Sed, ad Apocommata *veniamus. de quibus præmitti tamen nonnihil hic expediet.*

DE APOCOMMATIBUS.

SYNOPSIBUS, *ſeu breviariis Annalium ſingulis, ſubnectere placet APOCOMMATA*, geſtorum *videlicet* Selectiora, notabilioráve: *quæ, velut è reliquo* Synopſeon *corpore, vel excerpta, vel reciſa, ſepoſitáq́ conſiderationi curioſiori, ſeorſim ad manum, & ob-*

lecta-

lectamentum, eſſent, ſtudioſo talium, lectori. Quæ tamen ipſa, per me licebit, ſive ſimùl, ſive ſolitariè, vocari, cum Græcis itidem, EPICARPIA: ceu, cum Latinis, Ramuſculos, à ſtirpis ſuæ trunco, cum fructibus dependentes ad latera; *qui ſint (ſi ſic loqui ſinas) quaſi* Superfructarii. *quæ vox, in dipnoſophiſticis, eſt etiam Athenæo nota.*

Erunt autem Apocommatum, in hoc opere toto, quædam breviora, *velut duo poſteriora, de* S. Raymundo, *déq; Terræmotu: nonnulla* prælonga, *ſicut mox de* Michaële Waywoda, *&* *Septenniô 2. de* Gabriele Batorio, Henrico IV. *Gall. Rege, &c. Septenniô 3. de* Plurſio, *& aliis. Reliqua,* mediocria: *quale primum, de S. Raymundo, & alia, quæ lecturum ſic occupent, ut non laſſent.*

APOCOMMA I.

S. RAYMUNDUS PENNAFORTIUS,

Poſt annorum aliquot, ab obitu ſuo, centurias elapſas, quaſi ſerìs è cineribus redivivus phœnix, in lucem redit: catalogo Divorum, canonicîs ritibus, palàm illatus.

I. RAYMUNDUS, à *Penna Forti*, vel, propiùs ad Latini nitoris conſuetudinem, vulgò *Pennafortius*, nonnullis autem nudè plebejéque, *Raymundus à Penna*, nominari ſolitus; inter Catalános, Hiſpaniæ populos, ortu nobili, patriam habuit Barcinónem: quam urbem, ab ſe poſitam, à ſe quoque nominâſſe pater Hannibalis, Hamilcar, cognomentô Barchas & Barchínas, perhibetur.

Hîc in lucem editus, circa Chriſti milleſimum centeſimum ſeptuageſimum quintum annum; cùm, inter præcipuos temporum illorum eruditos. Bononiæ, Lombardicæ regionis urbe, Juris Civilis, ſacrorúmque Canonum doctor publicus, ac deinceps in urbe patria ſummi templi *Canonicus*, floreret; inſuper autem

autem & alterum quoddam, ejuſdem loci, templum *Præpoſitus* adminiſtraret: repentè, præter ætatis propemodum vires ac leges, cùm jam quintum ſupra quadrageſimum annum vivendo transcurriſſet; in *Divi Dominici Guſmanni* diſciplinam ſeſe transſcripſit; ſæculíque deſertô gelu, ſic divini Spiritûs ipſum æſtu perurgente, volatu velut aquilinô, Solis-Juſtitiæ viciniam expetivit.

II. Eô vitæ tramite ſibi delectô, tametſi divinarum contemplationum aſſiduus, & inconnivus; de moderatorum tamen ſuorum, Pontificúmque ſummorum, arbitriô, nihilominus & ad *exterorum* ſubinde commoda, Salutémque, ſacrô Sociorum comitatu cinctus, *evolabat*: ídque non in propinqua tantùm, aut Hiſpaniæ loca, ſed in Inſulas quoque circumjectas: quin & in ipſam denique, terrarum urbiúmque dominam, *Romam*. In hac ille complures exegit annos; *Gregorii Noni*, Pontificis Romani, ſacris confeſſionibus, & Apoſtolici palatii cognoſcendis cauſſis atque controverſiis, præfectus.

III. In roſtris inſuper, ac pulpitis Eccleſiaſticis, oris potentî vi concionibus; domeſticos autem intrà parietes, condendis ad pu-

S. Raymundus Pennafortius.

blicam utilitatem libris, operam navabat. Orator erat, in divinis ſuadendis perſuadendíſque, tum Barcinone, tum reliquam etiam per Hiſpaniam, & in ſacris legationibus obeundis, admirandus. In vitia publica vehemens; in abſtruſa verò penetranda, potens: animorum intimos quosque receſſus perfringebat. Verba, qualiacunque vibrâſſet, imprimere cordibus, quaſi ferreô quodam ſtylô, vel adamántinô ſcalprô, videbatur: ſive jam publicè mortales pro ſuggeſtu, ſive privatîs (quod ſæpius faciebat) alloquiîs, erudiret.

IV. Hic primus omnium, quos quidem ego ſciam, poſt *Gratianum*, Gregorii Noni voluntate mandatôque, *Canonum* ac ſanctionum pontificiarum, necnon Synodorum veterum, & quæ Patrum Concilia decrêſſent, diffuſum Oceanum, in *Compendii* cujuſdam veluti Sinum arctiorem compegit: ingentibus triennalium lucubrationum laboribus Opere concinnatô; cui noſtrâ quoque tempeſtate DECRETALIUM hæret, impoſitum ab auctore, nomen. Quòd autem *Raymundus* vir eſſet, Juris univerſi conſultiſſimus: ejus, tam in humanis, quàm divinis, expetere conſilia, ſententiámque de tribunalium officiis exquirere,

rere, coràm, & per epiſtolas, ſolebant Reges, ac Pontifices, & Epiſcoporum primi quique: fatebantúrque, non tam hominem ſe, quàm oraculum cœleſte, diviníque Spiritûs, audire mentem, ac linguam.

V. Propter hanc ipſam igitur eruditionis, cum ſumma ſanctimonia conjunctæ, famam, & experimentum; cùm *Raymundum* Gregorius Nonus Archiepiſcopum fieri Tarraconenſem compellere cœpiſſet; nec perpuliſſet tamen, obnixiſſimè renitentem; abſiſtere denique propoſito ſuô coactus eſt, ob detrectantis hanc ipſam, qua vir ſanctus ſuperas pariter & humanas opes in impedimentum advocabat, importunitatem, omni laude dignam. Intrà ſuæ tamen ſepta Religionis, *tertius* Ordinis ſupremus *Magiſter*, quem *Generalem* vulgus appellat, & is quidem à comitiis tunc abſens, Patrum congregatorum ſuffragiîs eſt declaratus. Quo tempore, cùm, ne præeſſet, nullis jam artibus effugere valeret; magiſtratum ſuſcepit ille quidem: ſed ſuſceptum, magnâque virtutis gloriâ geri cœptum, *primò* vixdum annô regiminis ſui circumactô, conatus eſt exuere. poſterô verò circumvolutô, ne *triennis* in imperio fieret, reipſa ſtatim exuit,

ac depoſuit; rarâ ſcilicet honorum, etiam apud dignos, fugâ; mirandôque ſanctæ quietis repetendæ deſideriô.

VI. Nec ea tamen ei quies *ſolida*, vel, quemadmodum optârat, contingere *diuturna*, potuit; quippe, ſub hæc ad Regis Arragonum, *Jacobi primi*, conſcientiam moderandam evocato: cum quo mox etiam *Majoricam* inſulam, aſſiduus indivulſúsque comes, petere coactus eſt. Illic autem, inconceſsîs indulgentem ſibi libidinibus, Regem (tanquam alterum novîs in Capreis Tiberium) cùm *Raymundus* aliquoties modeſtè juxtà, ſeveréque, dehortatus eſſet; & Rex (ut *difficilis eſſe, magnis in poteſtatibus, inolita pravitatis correctio ſolet*) monentem, emendationis procraſtinatione, ſemper eluderet: deſperatione denique ſanitatis in divinæ fiduciam opis conversâ, fugam meditari cœpit *Aula*, *cujus è moribus honeſtas exularet.*

VII. Sed hæc tentantem, Rex antevertit; & ad fugam ei mare clauſit, internecinâ propoſitâ, ſiquis *Raymundum* auſus eſſet in continentem transportare, pœnâ. Sed vir divinus, tametſi nave, nautîs, remîs, operâque mortali cunctâ, deſtitutus; ſuo duntaxat pal-

pallio, quod ſuper aquas expanderat, inſiſtens, ac velut in nauticum malum erectô ſcipione viatoriô, trajecit pelagus: à littore Majoricano, Catalánicum in littus uſque, flexibus obliquatîs, *centum ac ſexaginta milliarium* iter, horîs antemeridianis haud ampliùs ſex, emenſus. *Natâſſe cygnum, non hominem transfretâſſe*, pronuntiâſſes. Sed nimirum, ità ferri marî decebat eum virum, qui terrarum nulla, nec in ſe, nec in mundi dominis, ſcelera tuliſſet.

VIII. Is in Cœlum denique, poſt terram hanc *integrô*, ſolidôque tritam habitatámque Sæculô (quod mireris, in tam confecto laboribus corpuſculô) tribus Regibus feſtô die, manus inter ac plauſus Angelorum, evolavit; *annô* reſtitutæ ſalutis humanæ *milleſimô ducenteſimo ſeptuageſimo quintô.* Qui nunc idem, *Conſecrationis* ſollemniſſimâ cærimoniâ, poſt annos à primâ ſepulturâ trecentos, ac viginti quinque, piè refoſſus; redivivi *Phœnicis* more, quodammodo revolavit ad poſteritatem. *Clementis* enim *Octavi* Pontificis Auctoritate, reſcriptus in *Divos* eſt, *tertiô Calendas Majas* hujus Anni, Romæ, baſilicô principis Apoſtolorum in templo; *Dominicâ*, quam ab *Albis* nomi-

nominamus, luce: qua nempe, Divi Petri verbîs, QUASI MODO GENITI, ſacram Liturgiam auſpicamur; illius diei lætitiæ, procul dubiò multùm ominosîs: utpote, qua Cœlites, etiam tam priſci veteraníque, reproducantur in Eccleſiæ, mundíque, lucem.

METRUM.

ORTUS ad Heſperii Catalanas (1) *æquoris oras,*
Quà ſua Barchæo ſtant monimenta Duci,
Accola Raymundus *quamvis maris eſſet, & Aſtæ* (2);
Incola nec pelagi, nec cupit eſſe ſoli:
Strymoniæ ſed more gruis ſe librat in auras;
Quàque iter eſt aquilis (3), *relligione volat.*
Sidera mente petens, defigit in æthere ſenſum;
Hanc mitis requiem (4), *faſſa columba ſuam.*
Sed quò ſæpe volat, non ſegniùs indè, citante
Ala Deô, revolat, terreáque arva legit.
Hinc, ſacris comitum, volucris pia, cincta catervîs,
Et roſtri, & pennæ, gnava laborat ope.
De cathedris, in aperta fremit delicta; reorum
Nec raro, ut turtur, pectoris antra ſubit: (5)
Et, ſeu dicta vibrat, populum ſtringentia totum;
Cordibus in populi ſcribere viſus erat:
Seu privatam alibi monitor pervelleret aurem,
Hanc aptâ verbi perſodiebat acu:
Sive recompoſitîs Canonum *decreta priorum*
Digereret forulis, non rude mentis opus:
Seu conſultantûm inſtrueret tabularia Regum,
Seu mitratorum ſcrinia ſacra Patrum;

Omni-

Digitized by Google

Omnibus his viſus, non vox magìs eſſe, manúsve,
Quàm calamus, ſcribæ *cœlitis* (6) *in digitis;*
Quàm penna illa manûs, rapidiſſima verba rotantis,
In tenerum fixô pectus itura ſtylô.
Jámque tibi & bifidam tua gens, Raymunde, *tiaram;*
Supremúmque tuus deſtinat Ordo *locum.*
Hunc *tu, abitu vacuas; illam, fugis. Indè, palumbi*
More, rapis cautum, ſub loca ſola, pedem.
Ecce, etiam pelagus, nautas, navalia, cymbas,
Arragonum Regis lex tibi dura negat:
Tu freta deſtratis Balearica (7) *fluctibus intras;*
Morigeróſque trabis ſub tua vota Notos:
Inſeſſórque ſacræ, ſinè remo ac remige, lænæ,
Plana, velut cygnus, Tethyos arva ſecas.
Quin etiam, purô tandem velut ardea (8) *cœlô,*
Aligeros inter vectus ad aſtra choros;
Vile putas, hominum volitare per ora, vel aures,
Alitis aut famæ voce per alta vapi:
Ad nos, terna redux plus quàm poſt ſecula, DIVUS*;*
E buſto, Aſſyricæ prorsùs inſtar avis (9)*;*
Remigiôque potens, tantum durante per ævum,
Perrumpis tumulos, ſecula, regna, freta:
Trânsque Alpes, Tiberímque, novis allaberis alis.
Hic, ALBO *exhilaras Romula templa* DIE*:*
Hic Superûm radios; hic munera, congrua Divis,
Accipis. Indè Petri *feſta triumphat* humus.
Tu, Nabathæi inter nebuloſa volumina thuris,
Nube Arabum revolans, ſidera ſueta petis.
Hic, PHOENIX REDIVIVE*, ſedes; tot adeptus honores,*
Quot, niſi tam FORTIS *ſcandere* PENNA*, nequit.*

NOTÆ.

S. Raymundus Pennafortius.

NOTÆ, ac TESTIMONIA.

(1) Catalóniam, *ſeu* Cathaloniam *cum aſpiratione, provinciam Hiſpaniæ citerioris; rectiùs ſcribi contendunt*, Catalaniam, *Auctores illi, qui cum Beato Rhenano lib. 1. rerum German. cenſent, à Catis, ſeu Cattis, & à Scythia populis Alanis, olim captam, inſeſſam, & appellatam, terram illam.* Catalános *ergò populum illum* Janinus *etiam, Vita S. Ignatii Loyolæ ex Bartholina interpres, agnoſcit, & ſcribit, lib. 3. num. 20. Qui verò deducunt has voces à Gothis, ſeu Gotis; ii, cum Raphaële Volaterrano*, Gothalaniam, *Gotalaniámve, pronuntiant, pro Catalonia. Ego, cum Rhenano, & Janino noſtro, quantùm ad hoc, ſentio.* (2) Acta, *Græcè* ἀκτὴ, ῆς, littus; *etiam apud Latinos invaluit, auctoritate Virgilii, ſcribentis Æneid. 5.*

At procùl, in ſola ſecretæ Troades actâ,
Amiſſum Anchiſen flebant; cunctæq; profundum
Pontum adſpectabant, flentes —

(3) *De Aquila ſic S. Serapion ait, apud Joann. Caſſian. collat. 5. cap. 20.* Quæ cùm excelſiſſimô volatu ultra nubium fuerit altitudinem ſublimata, ſeſéque ab oculis cunctorum mortalium, & à

Digitized by Google

& à facie terræ totius, abſconderit; rurſus ad vallium ima ſubmitti compellitur. *Talis erat & divus* Raymundus, *ab altiſſima divinorum contemplatione ſæpius adactus, vi ſancti Spiritûs, ad animarum in terris prædam venandam: uti mox infrà dicitur.* (4) *Pſalmo 54. v. 7.* Quis dabit mihi pennas, ſicut columbæ? & volabo: & requieſcam. (5) *Canticorum 2. v. 14.* (6) *Pſalmo 44. v. 2.* Lingua mea calamus ſcribæ. (7) *Inſulæ, quæ Majorica nunc, & Minorica, dicuntur, quarúmque mare Divus Raymundus hic prodigioſè trajecit;* Baleares *veteribus,* & Balearicæ, *nominabantur.* (8) *Ardeæ volucres, tonitruis, & horrore tempeſtatum, impendentibus, terras relinquunt: ultráque nubes, ad ſudum, ac ſereniſſimas cœli regiones, aſcendunt; ubi nec fulmina metuant, neque procellas. de quo Petrum Sanchez vide, Parte 8. de regno Dei, cap. 3.* (9) Arabum è terris (*quæ confines Aſſyriæ ſunt*) venire *ſolitum*, phœnicem *alitem, Cornel. Tacitus innuit, Annal. lib. 16.* De phœnice, *vide Plinium quoque lib. 10. nat. hiſt. c. 2. & Cl. Claudiani carmen amœniſſimum; cujus initium eſt,* Oceani ſummô, *&c.*

S. Raymundus Pennafortius.

APOCOMMA II.

S. RAYMUNDI

Sera quidem, ſed interim glorioſa, Divorum in claſſem, reſcriptio.

SERO non fit, quidquid fieri, tempeſtivum eſt; ut aliquando tamen, dummodo magnificè, fiat.

Naſciturus, humanis in membris, DEI Filius, natus eſt, poſt ſæculorum quatuor decadas, & aliquantô poſteriùs: ſed natus tamen eſt, cum tripudio lætantibus Angelîs. Aſſumptura, rejectîs Diis ac Deabus, Chriſti cultum, erat, è vaticiniis antegreſſis, Imperii Romani coronata *ſublimitas*; noſtræque religionis *humilitati* (cujus illa nec vocabulum olim agnoſcebat) cum aquila, faſcibus, ac ſecuribus, *Auguſtale* faſtigium ſubmiſſura. Tardè fecit hoc: ſed fecit tamen, poſt annorum tres centurias, ac duodecennium; rerum humanarum *Conſtantino Magnô* potiente.

Capeſſituræ fidem, & Romana ſacra, Japonum inſulæ, regnáque; Peruvium item, & Mexicum, & Americanæ cæteræ gentes, erant. *In tenebris* iſtæ *ſedebant*, *& in umbra mortis*, per annorum, à Chriſto nato, ſæcula quin-

quindecim, &, quod ulteriùs excurrit: poſtquam, in omnem jam utique terrarum orbem habitabilem, *exîſſe ſonus* Apoſtolicæ tubæ credebatur. Et tamen denique Deum verum & unum receperunt.

In fatis demum, hoc eſt, in ſolius Dei liberâ deſtinatione, fuerat (ut innumera prætercam alia) ſuperorum in cenſum palàm referri *Brunonem*, Carthuſianæ ſanctimoniæ glorioſum Patriarcham: accenſeri Divis, *Iſidorum*, agricolam Hiſpanum: *Hyacinthum* demum, & *Raymundum Pennafortium*, Ordinis ſui propemodum originibus æquævos, heroas *Prædicatores*. Aliquot alii ſinguli, ſæculîs ſingulîs ſepulti, producti tandem luce radiôque ſollemnî ſunt; &, inter cœlites, religioſiori mundo commonſtrati.

Summatim! Divinis in rebus, & honoribus, quod differtur, etiam poſtquam ablatum videri cœpit; reddi tamen, millecuplô cum ſplendoris fœnore, conſuevit: *obtingitque major, ab ipſa tarditate gloriæ, majeſtas.*

Hanc ergò, pro *Divi Raymundi*, cæterorúmque generis hujus, prolatatîs honoribus, apologicam laudem, in ſe retortam habeant *Zoili*, pietatis irriſores.

D 2 METRUM.

S. Raymundus Pennafortius.

METRUM.

Bis tricena, vagi revolubilis orbita Solis,
Luſtra peragrârat, ſex & Olympiadas (1)*:*
Adde, quater decies reparatæ cornua Phœbes,
Ex quo Raymundi *lumina clauſit humus.*
Sed, quod clauſit humus, jam pridem à funere cœlum,
Et nunc recluſit conſcia Roma, *jubar:*
Transſcriptúmque, jubent, Superûm feliciter albo,
Concolor aſtricolis poſtmodo ferre caput.
Aſtra igitur, tellúsque, viri lætantur honore.
Solus, inexpletæ Nævolus invidiæ eſt:
Prôh pudor! (*exclamat*) Tantô pòſt intervallô!
TamVeterem Indigetem, cogitis eſſe Novum?
Quem, poſt ter centum nunc denique poſthuma brumas,
Extinctum, regelant thura, focíſque, Senem.
Impietas dentata, ſile! néve aſtra laceſſe:
Neu' flammas haſtâ, neu' jubar enſe, fode.
NON vetus eſt, *cujus juveneſcit gloria ſemper:*
Cujus, longô ævô, laus hodierna viret.
Non vetus eſt, *cujus nunquam miracula* (2) *marcent;*
Et Mors in Cinere eſt nunc quoque Viva ſuô.

TESTIMONIA.

(1) *Intercesſerunt, inter obitum* B. Raymundi, *& canonicam ejuſdem Conſecrationem, anni trecenti, viginti quinque.* (2) *De prodigiis, ad ejus invocationem ab obitu patratîs, cumprimis autem,* è ſepulcralis ejus pulveris contactu

tactu frequentatîs, *ad noſtram uſque ætatem: reperies etiam apud Abrahamum Bzovium, in Annalibus Eccleſiaſticis, Baronio ſuccenturiatîs; & apud alios, nonnulla memoratu clara.*

APOCOMMA III.

Anni 1601.

Terræmotus Oecumenicus.

ANNO ſæculi præſentis *Primô*, nominatímque *nocte*, quæ *Septembris diem vicesimum ſeptimum* eſt inſecuta; Terræ ſphæra, nuſquam interruptô ſui tremoris ac ſonitûs tumultu, concuſſa feraliter eſt. Cùm autem ab Auroræ plagis, in Occidentis uſque fines, ac trans Oceanum Atlanticum, univerſa quateretur; nemini tunc erat viſa minùs malorum, ac futuræ calamitatis, quàm in ſuo *Paride* quondam *Hecuba*, Trojæ regina, *parturire.*

METRUM.

Noctis iter medium, ſuperæ ſub pondere Libræ,
Ac paribus metis veſper, & ortus, erant:
Alta quies mundo. tantùm, duce Sidera Lunâ,
Nectebant tacitos irrequieta choros:
Cùm ſubitò exululans raucò boat horrida queſtu,
Atque inteſtinò Terra *fragore crepat.*

D 3 Unà

Terræ motus

Unà horror, tremulôque labans Natura tumultu,
  Inferáque ancipiti pendula regna ſitu.
Unà elementa fremunt, titubantibus anxia fulcris;
  Ac Stygia emotô fluctuat unda lacu.
Intremuêre Arabes: &, cum Babylone, Tigrique,
  Palluit, Eoô quidquid ab igne nigrat;
Græciáque, & Thraces, & cum Tiberique, Tagôque,
  Horruit, Heſperiô quidquid ab axe rubet.
In medio, quæcunque fretis pulſantur utrimque
  Littora, ſeu Boreâ, ſive refracta Notô;
A matutinis Euri arcibus, ad Zephyrorum
  Uſque plagas ſeras, Perruvióſque ſinus:
Omnia rauciſonô tonuerunt æquora planctu,
  Ac tremula alternis ſunt agitata vadis.
Tunc, jam luce orbi trepido, jam pace, reductîs,
  Quantum manè forum, quæſtio tanta fori eſt;
Quid ſibi, luctantis ſecum, ſuſpiria mundi,
  Quid nutantis humi machina laſſa, velint?
Monſtra canunt alii, rerúmque oſtenta novarum:
  Vulgus ait; Terræ eſt (quis neget eſſe?) tremor.
Aſsensêre ſophi. Non poſſum ego. parcite, docti;
  Cûmque ſcholæ veniâ, docta Stagira, tuæ.
Non fuit hic ſolitæ (verum ſi inquiritur) ordo
  Legis, & impulſæ vis-trivialis humi;
Nec preſſa aura ſolô. nam, quæ tam longa ſub Orcum
  Permeet, ut Solem jungat utrumque, ſpecus?
Non rear, hæc Euri, non ſpiramenta Favoni,
  Non Boreæ, aut clauſi flabra fuiſſe Noti:
Sed, ſi fatorum penetralia ferre ſub auras
  Vera licet; veri tangat Apollo fibras.
Credite! Terra parens, poſt plurima ſæcula prægnans,
  En iterum! haud fœtu dentis Agenorei,

Nec

Nec Pythone novô, redivivorúmque minaci
Agmine Titanum, Geryonúmve ſatu;
Turgida Marte novô, poſtquam Junonia partûs
Fabula jam exploſa eſt, germina dira fovet.
Iliaci velut alvus equi (1), *vim effundet, & arma;*
Densáque, ab immani, longáque caſtra, ſinu.
Turca illic, & Perſa, latent, ac Tartarus atrox;
Et cum Cimbro, Anglô, multus in arma, Gothus:
Et Celtæ congreſſus Iber, Naſsójus Ibero;
Quidquid & expertô ſenſimus exitiô.
Hic uteri tumor, hic trucium conceptus amorum eſt:
Sic, ô concipiat! *ſic, meus hoſtis,* amet!
Hic venter, non ille novem tantùm idibus, Indæ
Sed ritu barræ, (2) *per duo luſtra* (3) *tumens;*
Nunc, ſenſim exactô meditatur pondere, nixum,
Promit & inſtantis ſigna puerperii.
Ergò TREMOR, *feſſum motantis corpus, & alvum;*
Parturientis *erant lucta labórque* deæ.
Ille fragor, ruptique foris ſigna horrida mundi,
Non auræ, aut queruli turbinis, ira fuit;
Sed vox prægnantis, ſed nati lacryma Martis,
Sed tuba, ſed magni claſsica longa mali.
Denique, ſubſultante tonans Natura tumultu,
Belligerâ fuerant tympana quaſsa manu.
Quid tibi, terra parens, dirarum, atque ominis atri,
Hôc partu, hac talî fertilitate, precer?
Imprecor hoc. Mediô nixu defecta, Sepulcrum
Ut gnati fias ocyùs ipſa tui:
Cúmque ſit informis, lucique inviſus, & aſtris,
In ventrem redeat partus ut iſte ſuum!

Terræ motus.

TESTIMONIA.

(1) *De Trojano equo, ejúſque inſeſſoribus, ex ejus ventre, in perniciem urbis, erumpentibus; facundè Maro ſcribit, 2. Æneid. ante med.* (2) Quid tibi vis, mulier, nigrîs digniſſima barrîs? *ait ad anum, deformem quidem, atque decrepitam, & adhuc tamen laſcivam, in Epódon libro Q. Horatius. ubi vocem,* barrîs, *de belluis Indis aut Africanis, ebore pretioſîs, lexicographi interpretantur: ut* barrus, *ſit elephas mas.* barra, *ſit elephas fœmina (ſi tamen apud priſcos uſquam legeris; cùm τὸ* barrîs, *ablativus, utrique ſit ſexui communis, & tam à barrus poſſit, quàm à barra, deſcendere)* Barrus *autem mas, non poteſt dici parturire, vel párere; ſed duntaxat generare.* (3) *Elephantem, ſeu barrum, tenerum, poſt ſuî conceptum, à matre barrâ duobus ſolere quinquénniis geſtari; docet apud Achillem Tatium, librô 4. Leucippês, Charmides, verbîs iſtîs.* Κύει μὲν αὐτὸν (ἐλέφαντα) ἡ μήτηρ χρονιώτατον δέ. καὶ γὰρ δέκα ἐνιαυτοῖς πλάττει τὴν σποράν. μετὰ δὲ τοσούτων ἐτῶν περίοδον, τίκτεται, ὅτ᾽ ἂν ὁ τόκος γέρων γένηται. Διὰ τοῦτο, οἶμαι, γίνεται μέγας τὴν μορφὴν, ἄμαχος τὴν ἀλκὴν, πολὺς τὴν βιοτὴν, βραδὺς

τὴν

τὴν τελευτήν. βίον γὰρ αὐτῷ, λέγουσιν, ὑπὲρ τὴν Ἡσιόδου κορώνην.

Auctores porrò narrationis illius, de celebri & œcumenico anni M. DC. I. terratremore, ſignatè ſunt, Joannes Marius, librō Chronicorum iſtius anni: & P. A. Janſonius, rerum in orbe geſtarum Tomô 6. de eodem hôc annô.

APOCOMMA IV.

MICHAEL, Wallachiæ WAYWODA.

Hujus Apocommatis Summarium capitum, ſeu Numerorum, ne hôc ſtatim locô curſum hiſtoriæ interrumpat ſuî prolixitate, reſervatur Operis hujus fini, uſque poſt Indicem totius libri.

I. HOc, & ſequentî Septennio, crebra Bathoriorum, ac ſubinde Baſtæ quoque, mentio fit: in omnibus verò Septenniis, *Daciarum*, hoc eſt, Transſylvaniæ Wallachiæque cum Moldavia, memoria non infrequens. Cùm ergò dubium vix ſit; quin narrationibus iis haud parùm lucis collatura ſit expoſitio quoque rerum, à *Michaële*, Wallachiæ *VVayvodâ*, geſtarum, ejus hîc *Vitam* in armis, & *Interi-*

D 5

Interuum in perfidia, jure ponderéque diffuſiorum Apocommatum, interſerere, conſilium fuit: ut eò, quoties viſum tibi, vel collibitum eſſet, reſpiceres.

TRANS Danubium, Europæ fluvium ingentem, qua parte Primam is inter Mœſiam, ac veteres Cingéſos, medio fluens inceſſu, paullatim Orientis rectum limitem deſerit; & in Septemtriones priùs deflectit, quàm in Euxinum ſe Pontum effundat: regio jacet, populis quondam Geticis inſeſſa, ſub *Alpeſtris*, & *Tranſalpinæ*, nominibus celebrata Geographis antiquis. Eam *Aluta*, tunc dictus, & *Hieraſſus*, amnes includebant; alveîs ſuîs, per obliquum fluitantibus, etiam terris illis faciem & figuram invehentes. Illis in locis *Romani*, ſecundîs aliquot præliis, indigenas priſcos partim ſubegerant; partim, exteræ dominationis intolerantes, longiùs indè ſubmôrant: donec illuc & coloniam deduxêre militarium virorum; terrásque, quas dixi, *Provinciæ* jure, ſed titulô *prætoris*, Pomponius quidam *Flaccus* obtinuit: Tiberii Cæſaris auſpiciîs eò miſſus. Is *Flaccus*, ob res illic pacis ac belli ſtrenuè geſtas; necnon, ob contuſam Rheſcúporis, Thracum tyranni, viciniam, Romanis gra-

vem:

Digitized by Google



MICHAEL Wallachiæ WAYWODA.

Digitized by Google

vem: Cornelii Taciti, Romanorum annalium conditoris, & Ovidii Naſonis, poëtæ, Geticis tunc in regionibus exulantis, eximia laudum præconia ſibi promeritus eſt. (*a*) Nec incelebrior, provinciales apud populos fuiſſe *Flaccus* hic perhibetur; illíque veterum Getarum tractui, ſuo paullatim ab nomine, FLACCIÆ vocabulum induiſſe. Quod tamen poſteri deinceps, adulterato (ſicut fit) antiquæ pronuntiationis ſonô, ſenſim in FALACCIAM converterunt: *Falacciam* autem, unâ mediarum litterarum aſperatâ, *Falacchiam* effecêre; donec, & elementô nominis primo transmutatô, *Vallachia* tandem, & *VVallachia*, prodiret, hodierna vox. Hæc porrò terrarum imperii Romani portio, cùm, à quo tempore ſubigi primùm eſt cœpta, belli victoriæque jure, ſub *dominatu* manſiſſet; à *pretoribus* ut plurimùm adminiſtrata: poſt hæc, imminutâ ſenſim ac nutante Romanæ potentiæ majeſtate, per Optimates & *Satrapas* eſt coërcita: quos gentes illæ *Palatinos* appellant. Hi, *reguli* ferè, ſed fiduciarii; ſub auſpiciis adhuc Cæſarum utriusque Solis, regimine vicario gentes curabant illas: *Tetrarcharum* propemodum, *Exarchorúmque* quadam auctoritate. Cæte-

Michaël, Wallachiæ Waywoda.

Cæterùm, omnibus his, ſive Prætorum ii, Satraparúmve, ſive *Palatino* nomine, tam Wallachis, quàm omni circùm Viciniæ, præſiderent: gentis Flacciacæ patriâ voce, WAYWODÆ tribuebatur appellatio; nota dignitatis, & inſigne *præfectura*. Quod monere, placuit: nequis, antiquitatum ignorantior, auditîs, aut apud nos toties lectis, WAYWODARUM nominibus; *propriam* ſibi vel hominis, vel ſtirpis alicujus, nomenclaturam ſomniaret: néve cognomentum opinaretur, aut agnomen, vocem illam; quæ *magiſtratûs* tantùm ac functionis eſt: in *Michaële VVayvvóda* tamen *antonomaſiâ* quadam præfulſit.

II. WALLACHIA porrò, multùm arduis, iíſque continuatis, innexa ſeptáque montibus; præcipuè quà ſe porrigit in Occiduam cœli plagam: ab ortu Solis *Danubium* habet; ac, ſuper hunc, *Peucen*, Iſtri celebratiſſimam priſcis Inſulam. Ab occaſu, *Daciam* reſpicit mediterraneam; *Tranſſylvaniæ* nunc appellatione famoſam. Meridiana *VVallachiæ* regio, tum Danubiô, quem modò dixi, finitur, ſuperiorem Mœſiam prælabente; tum & *Bulgarorum* terrîs, hac tempeſtate Turcico dominatu preſſîs. Quà denique Boream excipit,

pit, & Arctica frigora: *Moldaviam* altrinſecus, & aliquid *Ruſsorum* oræ, tangit. *Situs* eſt hic, quem deſcripſimus. At *habitudo VVallachiæ*, ſuis incolis haud quaquam pœnitenda; terráque, non *victu* tantùm, ac vitæ ſubſidiis, ſed *copiâ* quoque rerum, ad *delicias*, inſtructa. Non aurum illius viſceribus, non argentum, deeſt. Ferri, ſalíſque foſſilis, uberibus venîs, quin & bituminis alicubi ſcatebris, effodientium ſedulitati quæſtum parit. Ab *equis* tamen præcipuè celebratur: quorum, præ cæteris, nobili ſatu propaginéq; *VVallachi* meritò gloriantur. Vineta quoque non ignorat illa gleba; nec temétum ſui Solis, indigenæ (*b*). *VVayvvodarum* jam olim Sedes, ac regia, *Tergovvizza*, vetus eſt urbs: quam & Tergoviſcum, ac Tergoveſtam, apud quoſdam reperio nominatam. Oppidum id eſt, ad *Jalonicze* fluminis dexteriorem ripam ſitum; cum arce, caſtellóque munitiſſimo (*c*): rei Chriſtianæ, quoties à bono Satrapa tenetur, propugnaculum; ſub improbo, rebellionis aſylum.

III. Hujus igitur, quæ qualíſque deſcripta per transcurſum eſt, *VVallachiæ*, ſupremus Prætor, ac *VVayvvóda*, MICHAEL, patrum, ac noſtrâ pæne, memoriâ; vir fuit, quantùm armo-

Michaël, Wallachiæ Wayweda.

Digitized by Google

armorum hoſtiúmque domitor & *victor*, tantùm ambitionis, ac celſiora ſemper aucupantis animi, *ſervus* effrænis. Hic, pro re communi Chriſtianorum parùm admodum aliquando facere ſtaréque viſus eſt: eáque maximè bellorum tempeſtate, quâ *Sigiſmundus Bathorius*, ductâ recèns in matrimonium *Mariâ Chriſtiernâ*, ſeu *Chriſtinâ*, Caroli Styrorum Archiducis filiâ; *Ferdinandum* (qui poſtea, *Secundi* nomine, Cæſar & Auguſtus fuit) affinitate ſibi, ſororis è nuptiis, conciliavit. Tunc enim barbara Turcarum gens, occaſione captatâ, nuptias ut illas diſturbaret; *Sináne* Baſsâ ductore, Danubii fluenta ſpatioſa pontibus trajecerat: &, in ipſa *VVallachiæ* viſcera populoſiſſimo ducto milite, caſtra locaverat; in *Tergoviſta*, Wallachorum (ut dixi) regiæ, conſpectu. Quâ tempeſtate MICHAEL, temporum amicus, *Aquilarum* relictâ fide, cum barbaris, Lunæ veneratoribus, ſocietatem belli coivit. Nec ea vel ſuſpicio fuit, vel conjectura, calumniantium. Quod enim admirandum ſequentium annorum *Michaëlis VVallachi* geſta facient, *Ottomannicæ* domui cumprimis infeſta; repertus tunc eſt, *Ottomannicarum* & ipſe partium: cùm *Sigiſmundus*, armatorum Tur-

Turcarum ſexaginta millium formidandum exercitum, numerô militum ſuorum plurimùm impare, proſtravit partim, ac partim disjecit, atque profligavit: cùm, divinitus immiſſo terrore, *Sinan* quoque, (quem dixi,) Turcicus Prætor, priusquam cum *Bathorio* manum conſereret, aut pedem conferret; & *ſolum*, & *conſilia* belli, vertit: pernici fugâ, per formidinem pánicam, ablatus. Sed à tergo reliquerat, in arce caſtellóque Tergowiſtano, Baſſam *Haſſánem*, cum quatuor adhuc millibus ſuæ gentis: præſidium arci, caſtellíque propugnatores. In iis, & *Michaël* tunc *VVayvvoda*, cum aliis, Thracicæ tyrannidis haud impatientibus, utì diximus, eſt deprehenſus; omnes Sináni, ſub Haſſáne, jurati; præterea que Janizarorum duo millia. Quo die, quódnam aliud ab occupatore *Sigiſmundo* nomen, quàm, *Transfuga*, Waywoda meruit? quo proinde nonnemo ſcriptorum eum confidenter traducit. (*d*)

IV. Sed tunc quidem, quotquot à victore *Sigiſmundo* reperti propugnatores erant in arce caſtellóque *Tergovviſtæ*; ſtrage promiſcuâ conciſi ſunt omnes. Solus *Haſſan*, prætor Turcicus, cum *Beais*, quos vocant,

Michaël, Wallachiæ Waywoda.

Digitized by Google

duobus, ſalutem, pretiô redemptam; *Michaël* autem, & impunitatem transfugii recentis, & dignitatem inſuper antiquam, (ſub Cæſaris tamen arbitrio fidéque) retinuit. A quo proinde temporum articulo, tam diverſa Martis viciſſitudine variatô; *VVallachus* inténdere cœpit animum, in omnem hinc quidem ſtabiliendæ præfecturæ veteris, illinc autem tam infamis maculæ delendæ, commodam occaſionem. Eam ipſi ſors tandem, ac dies, aperuit. Vidimus nos interdum, admiratíque ſumus, arbores; diuturnæ brumæ, vel gelidi ſideris, acrimoniâ, ſic aridas & hirtas: ut aut nullum pollicerentur, aut deſperato proximum, virorem. Eaſdem autem, repentino vicinæ domûs, aut arcis, incendiô ſubortô, ſpectavimus; propter æſtûs, hortum afflantis, vehementiam, ſubitò ſe, tantúmque non ſub oculis noſtris, in frondem, ac flores, induiſſe. TALIS ferè plerisque *Michaël* viſus eſt WAYWODA: truncus quidam, & oleaſter, ſub Thracii tyranni clientela (quoad in ea manſit) aſper, horridus, & ſpei Chriſtianis conclamatæ: cùm, ecce, præter omnium opinionem, excitatis in Dacia mediterraneâ belli flammîs immanibus, &, caſtrorum ardore provinciarum vaſti-

Digitized by Google

vaſtitatem ſpirante; *VVayvvodæ* virtus ac vigor emicuit. Sed, operæpretium fuerit, ex altiore paullùm repeti narrationem: nequid eorum, quæ cognitu neceſſaria fuerint, in obſcuro ſit.

V. DACIAM, quam modò dixi, *Mediterraneam*, hodiéque vulgò *Tranſſylvaniam* appellari ſuetam, rexerat, ante Sæculum hoc noſtrum, *Stephanus Bathorius*; Stephanô Palatinô, Catharináque Telegdiâ, genitus. Ac rexerat ille quidem *Principis* titulô: ſed, per ſummam Cæſarum injuriam, (ſic adigente jugô neceſſitatis) Otomannidis fœderatus, ac vectigalis. Is *Stephanus*, rebus humanis exemptô Sigiſmundo Secundô, Poloniæ rege, ſucceſſor evocatus in ſolium Sarmaticum: Tranſſylvaniæ Principatum *Chriſtophoro* reliquit *Bathorio*, fratri; legibus & oneribus iiſdem innexum, gravatúmque, quibus ipſe provinciam antehac adminiſtrârat. At *Chriſtophorus*, expletâ neceſſitate fati, ſuperſtiti ſibi filio, *Sigiſmundo*, tunc etiamnum impuberi, verùm juveni poſtmodum manu bellíſque prompto, per manus eundem dominatum tradidit; conditionibus iiſdem, quibus eam pater ac patruus obtinuerant. Verùm *Sigiſ-*

Michaël, Wallachiæ Waywoda.

mundus, ubi primùm, ætate firmatior, animô conſiliíſque ſingula circumſpexit acutiùs : in memoriam ſibi redegit ætatum præcedentium tempora, quibus *Dacicæ* quondam gentes, aliæ quidem Cæſaribus, aliæ verò regibus Hungaris, Chriſtiana jam ſacra profeſſis, paruiſſent. Id, dolens, ſe Principe, ſuíſque majoribus, ſecus ſequiúſque cadere ; ſtimulîs actus altioribus, ad *Albam Juliam* procerum Transſylvanorum conventum indicit. Eſt ea, Transſylvanicarum urbium facilè princeps : Marúſæ fluminis impoſita ripis ; cuj flumini Rhabóni quondam nomen fuit. In illis optimatum comitiis, à Sultano Turcico Sigiſmundus Bathorius, ídque plerorumque popularium aſſenſu ſummo, deſciſcit : jugum Otomannicæ domûs avitum, decreti recentis, edictíque publici, tanquam acinace, diſſcindit. Et, quoniam è nobilitate quidam, nec numero, nec virtutibus potiores, obſtabant ; in quibus & *Sigiſmundi* germanus erat, *Balthaſar* (e) : eos ipſe maturâ, priuſquam in ſeditiones mens diſcors adoleſceret, ſeveritate coërcet. Et alios quidem ſuppliciîs aliîs è medio tollit : *Balthaſarem* autem, propter conceſſum Tartaris in Pannonias tranſitum, proptérque *VVayvodæ* titu-

titulum arroganter ſibi ſumptum, ſtrangulatione multat. Huic, ut ſceleris & conſpirationis participem, ſic pœnæ collegam, addit, ſupremum Transſylvaniæ libellorum magiſtrum: & utrumque, nec inſciis popularibus, nec invitîs, in arce *Moreſsuáro*, mori compellit. Hæc, quæ memoravimus, à *Sigiſmundo Bathorio* geſta ſunt, ex Junio ferè menſe, Sæculi ſuperioris, anni M.D.LXXXXIV. propemodum in adultum jam autumnum. Cæterùm, inter hæc, ſanctione publicâ decernitur, ac promulgatur, nullo diſſentiente; Ratam ac propriam fore victorum, omnem, quæ *Turcis* in poſterum extorqueretur, prædam. In quæ, rapinarum ac ſpoliorum ſpe novâ cunctorum illectis animîs; ingenti celeritate, *quadraginta millium* coit exercitus: expediuntur arma, ſigna militaria, ſacramentum, commeatus, itinera. Diripiuntur, adverſo tractæ Danubiô, Byzantinorum helciariæ naves; Orientis, ac barbaricæ regiæ, cunctîs opulentæ rerum copiîs: quas in Pannoniam inferiorem, (utpote Janizarorum, omnísque Thracum militiæ, ſtipendium) Sultanus ſubmiſerat. Id peſſimè *Sinánem* Baſſam habuit; gementem, deplorantémque tot ac tantarum opum jactu-

E 3 ram

Michaël, Wallachiæ Waywoda.

ram tantam, quantam à multa retro memoriâ nunquam Hungarici ſenſiſſent Turcæ. Poſt hæc, tam ſecundîs imbuta principiîs, *Transſylvanorum* alacritas; ad *Temeſvvariam* ſigna convertit, ulterioris, ac Trans-Danubianæ, Pannoniæ, ſub Hungaris quondam, urbem; tunc autem Turcis obnoxiam, adversùs Chriſtianos, munitionem. Quòd autem inter hæc, in Transſylvaniam, ritu grandinis infudiſſe ſe Tartaros, certis auctoribus *Sigiſmundus* acceperat: relictâ tantiſper, ac dilatâ, Temeſwariâ, rapit in Daciam rurſus agmina; Tartaróſque, quocunque locô conglobatos eos, aut palantes, reperiſſet, ingenti frequentíque clade pulſat. Non tamen hos intrà fines gloriæ, *Sigiſmundi* ſe virtus tenuit; clariorum ſemper belli facinorum affectatrix. Quanquam enim eô, qui ſecutus eſt, anno, mediis Auguſti menſis caloribus, *Chriſtiernam*, ut diximus, *Auſtriacam*, nuptiarum apparatu magnifico genialíque, ſibi copulâſſet: nihil tamen ſibi quietis, nihil otii ſumendum ratus, in animi remiſſionem; ad caſtrenſia confeſtim opera reverſus eſt; quippe, juvenis, & ætate fervidus, ac virium vegetus; &, præter hæc, *Rudolpho Cæſari*, ſupra recentem affinitatem, adver-

Digitized by Google

adverſus tyrannum Byzantiorum, fœderatus. Igitur, tum ſuopte *Sigiſmundus* ductu, tum per *Albertum Kyraldum*, legatum ſuum, & in *Tranſſylvania*, & in *VVallachia*, prælia erebra, ſecundiſſimo victoriarum curſu, facit: expugnatîs inſuper, arcium validiſſimarum præſidiis, *Tergovviſta*, *Divi-Georgii*, *Bocareſta*; multis quoque Thracum millibus Iſtro demerſîs. Quibus acceſſerunt, captus, in conflictu, *Moldaviæ* regulus, *Aaron*: &, Aaroni ſuffectus, *VVayvvoda Stephanus*. quem poſtremum deinde Sarmatæ, *Sigiſmundi* clementiâ conſervatum, palo transfixum (crudele memoratu!) cedere vitâ pariter, ac præfecturâ, coëgerunt; *Jeremiâ* ſubrogatô. Circumſedit autem & denuò Temeſwariam *Sigiſmundus*, per legatum *Joſikam*, ſupremum libellorum magiſtrum: firmiſſimum, ad amnem Temezam, propugnaculum, barbaricis tunc præſidiis inſeſſum; compluráque præterea proſperrima virtutis edidit, ac fortunæ militaris, ſpecimina. Propter quæ, *Sigiſmundi Bathorii*, Tranſſylvanorum Principis, fama celebris, tanquam *Achillis* cujuſdam, aut *Scanderbégi* redivivi, per Europam Aſiámque cunctam latè volitabat. Eam porrò *Sigiſmundus* coronaturus fuerat: ſi,

Michaël, Wallachiæ Waywoda.

quàm ordiri bene, tam & orſis inſiſtere, mens bellacis & turbulenti Juvenis didiciſſet: quem, præter impetus quoſdam naturæ variabilis, rumor erat, immiſſis etiam veneficiîs poſthæc in væcordem mentis inconſtantiam fuiſſe conjectum. Uſqueadeo, poſteaquam in ſummo fueris: niſi conſiliô firmitatéque, *tanquam funambulus baltére*, ſtationem libres; citra lapſum, aut promovere pedem, aut referre, difficillimum eſt. In curſu felicitatis, modus; in modo, mentis temperies; in utroque, *conſtantia* prudentibus eſt tenenda.

VI. SÆCULI ſuperioris annus ibat octavus, ſupra nonageſimum: cùm animo *Sigiſmundi* Transſylvani repentè ſedit, vitæ veteris, & faſtigii, contractio: contráque *principatûs*, in quem natus & educatus fuerat, aſſuetudinem, convolvere ſeſe: deſcenſûque ſpontaneô modeſtiorem fortunam experiri. Pulcrum illi, piúmque, facinus eſt viſum; in animi deinceps tantùm curas, altô publicarum rerum otiô, ſuam abdere purpuratam dignitatem. Eô conſilio ſecum expeditô: circiter I.V. Aprilis, (*f*) optimatum in *Albam-Juliam* coacto conventu; *Cæſareos* præterea legatos, accerſitos, in curiam intromittit: in quibus erant,

rant, *Archiepiſcopus* Wacienſis, & *Jureconſultus Bezius*. His coràm, *Tranſylvaniam* omnem, ac *VVallachiæ* jus dominicum ſupremúmque, Cæſari *Rudolpho Secundo*; dein, ab hoc capite, *Domui* deinceps *Auſtriorum Archiducum* cunctæ, jure *cedit* hæreditariô: pro ſe, próque ſuis, *ejurat*. Et, quoniam *Cæſar*, præmonitus, germanum ſuum, *Maximilianum Archiducem*, deſignârat, *Tranſylvanorum* poſthac *Principem*: eum *Sigiſmundus*, quanquam tunc abſentem, ſed tamen ordinum omnium ſuffragiis & applauſu, ſibi ſubrogat, ac *Daciis* imponit. Stipulatur tamen invicem à *Rudolpho* ſibi duas in *Sileſiis* exarchîas, *Oppelienſem*, ac *Ratiborienſem*: unà cum millium quinquaginta Philippeorum, in annos ſingulos, auctariô; quoad vita ſibi ſuppeteret. Adactis in ſacramentum *Cæſaris*, atque *Maximiliani*, clientum omni nobilitate vulgóque (quippe, *Sigiſmundo* primas, ad exemplum firmandum, obſequii partes obeunte): tranquilla cuncta viſa ſunt, & inagitabilia. nec apparebat, undénam turbari rectè cœpta concluſáque poſſent: *Stephano* præſertim *Joſikai* quoque, libellorum ad cancellos ſubſtitutô magiſtrô, peſſumdatô; quem & ipſum perduellionis ac

Michaël, Wallachiæ Waywoda.

Digitized by Google

novandarum rerum criminis convictum, & nuper in cuſtodiam datum, in arce poſtea *Zathmarienſi*, capitis ſuppliciô leges verberârant: Cùm, ecce, quà minimè gentium debuit, ab ipſo publicæ quietis auctore capitéque, fomes, ac mox incendium, inquietudinis eſt exortum.

VII. *Sigiſmundus* enim *Bathorius*, transactâ jam abdicatione *Tranſſylvaniæ*; cùm, digreſſus in *Sileſiam*, fortunas illic ſuas univerſas, ac ſedem, collocâſſe viſus eſſet: repentè, lymphato ſimilior, quàm expenſi conſilii viro, turbari cœpit, & turbare. Sive mutabilis genii fuerit hæc indoles: ſive, quod diximus, magicorum carminum virus: ſive denique, per ſimulatam commiſerationem ejus ſimplicitatem irridentium, ſtimulus quidam, ab iis, quibus *Auſtriacæ* domûs felicitas nimia paullatim videbatur, illum incitârat: *Sigiſmundus* certè, ſepultâ jam pæne cunctâ *Principis* antiqui memoriâ, maximîs itineribus, Auguſto menſe, Poloniam emenſus, ac Sepuſiam; Claudiopoli præſtò fuit. Hæc urbs, *Coloſvvaria* Tranſſylvanis; at Germanis *Clauſenburgum* dicitur. Illic *Bathorius*, in vetus, quo nuper ſuos omnes clientes ſolverat, fidei ſacramentum,

tum, *Dacos* adigit. Et quoniam, inter hæc, *Maximilianus Archidux*, jamjam *Caſſoviam* uſq; cum legionibus progreſſus fuerat; *Tranſſylvaniæ* præfecturam, vice Cæſaris fratris, orſurus, utì conditiones & pacta præſcripſerant: eum *Sigiſmundus* deterrendum antè, quàm penitiùs ibi pedem poneret, ſeriò ſibi deſumpſit. Ablégat ad eum idoneos; ſimùl, uxorem *Chriſtiernam* adigit, utì per litteras cognatum roget, hortetúrque; *deſiſteret cœptis; ac profectionem tanti moliminis, aut retrorſum, unde veniſset, è veſtigio verteret; aut, ſi fortè glorioſiùs ei videretur, aliorſum obliquaret. Si miles omnino, ſi tanti vis & apparatus exercitûs, eſſet in commodum publicum effundendus: hoſtem in vicinia, Turcam, eſſe. captam à Thracibus* Agriam, *Hungarorum urbem, exſpectare Cæſareos liberatores. Eam, avidi bellorum* Maximiliani *milites, expugnatum irent, ac reſtitutum. De cætero, quò minùs ſuis ipſe pactis, & abdicationi Tranſſylvaniæ nuperæ, ſtare queat;* Oppelienſis, *ac* Ratiborianæ, *ditionum obſtare ſterilitatem: inertéſq; terrarum, non tam agros & campos, quàm uligines & arenas: ſi præſertim* Tranſſylvanici *ſoli longè diſpari diſcolorique fœcunditati componantur.*

VIII.

Michaël, Wallachiæ Waywoda.

VIII. *Cæſar*, à fama fratréque celerrimè de rebus tam inexſpectatis edoctus: tametſi, pactorum interverſam fidem, dolenter admodum gravitérque ferret; ſimúlque jam eminus animô prævideret eam, quæ poſtmodum eſt inſecuta, provinciarum diſturbationem: tamen imperandum adhuc iræ, quantumvis juſtæ, cenſuit. Quocirca, non modò caſtris & armis perſequendi, ſed vel increpandi *Sigiſmundi* rigorem, ac jus ultimum, abſtinuit; quamdiu ſanandi turbidi *Principis* locus aliquis, ac ſpes, allucebat; *ab* Auſtriorum *avitâ* clementiâ *ratus alienum; armatâ manu, peccantem ad obſequium redigere, quem, ſponte ſuâ paullò pòſt rediturum ad officium, confidebat:* quippe, mobilitate potiùs animi, quàm pravitate rebellionis, in transverſa raptum. Non enim ignorabat; *Etiam ſupremis in poteſtatibus priſcum illud utile ſemper, ac decorum, eſſe*, Sapientem verbîs priùs omnia, quàm Armis, experiri: *pluráque ſæpe diſſimulatrice morâ, quàm feſtinato gladiô, componi.* Quare, mittere legatos, ſatis habuit: & eos tamen ipſos, necdum extrema denuntiare juſſos. Evenerat autem inter hæc, ut *Maximilianæi*, dum in Transſylvaniam contendunt; in *Sigiſmun-*

giſmundi Principis impedimenta quædam inciderent, ad *Tokainm* urbem: in quibus currus erat argentô, pretioſâque ſupellectile, gravis: quem interceptum miles, ad *Archiducem* abegit; inſperatam, & non ingratam ductori ſuo, prædam. Pro curru, quem dixi, jure mutuorum excurſuum, direptô: *Sigiſmundus* invicem Cæſaris legatos, cuſtodiâ circumſeptos, attinuit. (*g*) Nihilô ſegniùs interim, feſtinare *Princeps*; agere, molirique, clam atque palàm, quidquid ad veterem repetendam in *Dacis* potentiam, expedire viſum eſſet: ſacramentô Cæſaris laxare populares; ſe Dominum atque caput Daciarum venditare; *Bathorios* univerſim, gentium *Transſylvanarum* hæredes, oſtendere, doceréque. Quin etiam, quo tempore vel inprimis eſſet viſus ad æquiora cum Cæſare pacta deſcendere; deprehenſus *Sigiſmundus* eſt, non *Varadinum* duntaxat, quod *Magnum* cognominant (munitionem, ad extremos Occiduæ Transſylvaniæ limites, famoſam) ſed *VVallachos* etiam, Cæſaris obſequium amplexos, illicere; novas ad res, & imperium ſuum acceptandum. Verùm, conſtanter utriſque perfidiam abnuentibus; & MICHAELE cumprimis, *VVallachiæ* WAYWODA,

Michaël, Wallachiæ Waywoda.

WODA, non firmitatem modò, ſed, ex turbatis adeò rebus, dolorem animi ſingularem (*b*) apertè declarante: *Sigiſmundi* conatus impræſentiarum reciderunt in irritum. Nec habeo dicere; ſimulâritne *VVayvvóda* mœſtitiam, de *Bathorianâ* levitate conceptam; an ex animo potiùs frontem deprompſerit? Extrema certè *Michaëlis* acta, conjecturam faciunt proclivem; eum, ex æmuli, victoríſque quondam ſui, tam famoſo delicto, non penitùs occultâ lætitiâ caruiſſe.

IX. Tantâ ſpe, quam è *VVallachorum* ac *Varadini* defectione conceperat, dejectus *Sigiſmundus*; cognatas ad opes, tanquam ſibi fidiores, convertit animum. Nec id neceſſitati tantùm rerum præſenti tribuebat, ſed ambitionis quoque nonnullius ſimulacrô, quo credebatur vehementer exoptare; familiæ ſuæ ſanguinem, avitîs in *principatibus*, per quemcunque, dummodò *Bathorianæ* ſtirpis, extendere: propterea, quòd is, è *Chriſtiernæ* ſuæ, faſtiditis faſcinô, thalamis, ſatìs manifeſtè perſpiceret; *improlem ſe deceſſurum*. Quare novis cum gente *Sarmatarum* conſiliis miſceri cœpit: eo maximè ſpei fultus ſubſidiô, quòd ea natio, gratâ *Stephani*, Regis nuper ſui, recorda-

cordatione, *Bathoriana* domui cunctæ mirificè ſtuderet. Hac ille fiduciâ ſubnixus, *Andream*, Livoniæ *Cardinalem*, Warmiæ Præſulem, ortu *Bathorium*, proximáque ſibi neceſſitudine connexum, ex ultimis Boruſſiæ finibus accerſit. Ei ditiones *Dacicas*, Rudolpho nuper & Auſtriacis emancipatas, permittit; hæreditariis deinceps titulîs invadendas, ac gubernandas. Ad poſſeſſionem hanc, olim in exitium ſibi verſuram, vir, alioquin optimus, *Andreas* (ut homines ſumus, futurorum neſcii, præſentium inconſulti,) non tardus advolitat. Ad perniciem ſuam, quam *purpura ſacræ* modeſtâ ſatietate ſemper evitâſſet, ultrò feſtinat & anhelat. *Dacos* omnes, * præter *Varadinum* & *VVallachos*, ſuum in nomen ac ſacramentum adigit: gentem, quod nemo negaverit, eâ tempeſtate *variam*, & *mobilem*; ut, quæ ſolius unius intrà tempus æquinoctii, *dominum* jam *tertium* in cervices acceperit. Ne tamen omnium nudus *Sigiſmundus* deinceps, & deteriore, quàm unquam antehac, conditione rerum, ageret: urbes ei nonnullas *Andreas*, ex pactis & dignitate poſſidendas, ſeponit; vitæ reſiduæ *patrueli* ſolatium, & alimenta. Cæſar interim *Rudolphus*, Pragâ legationem jam alte-

* Michaël, Wallachiæ Waywoda.

alteram, (quoniam incaſſum prior, & detenta, fuerat), adornat: novas, & eas quidem æquiſſimas, concordiæ conditiones allaturam. Ea, triduô jam profectionis exacto, priùs, quàm ad *Sigiſmundum* perveniret; vulgante famâ, rerum *Tranſſylvanicarum* incredibilem converſionem diſcit: attonitáque malô, graviter id, nomine Cæſaris, & indignanter, accipit. Neque tamen, ne tum quidem, de pacis integranda ſummâ deſpondent animum: propterea, quòd *Clementis Octavi*, Pontificis Maximi, ſollicitudine, *Nuncius*, quem is expedierat, *Apoſtolicus*, in *Tranſſylvaniam*, ſub idipſum temporis, itineribus maximîs contendere diceretur: ad *Sigiſmundum* & *Andream*, Bathorios, pernicioſis à cœptis retrahendos. (t) Sed & *Cæſaris* legati tunc, & *Romanæ ſedis* Orator, æquè contumacem utriuſque *Bathorii* conatum reperêre: plúſque verborum apud aures illorum, quàm medicinæ, factum.

Et hæc quidem, de *Sigiſmundo*, narranda paullò prolixiùs, & ex alto repetenda, viſa ſunt: non ob *VVayvvodæ* duntaxat geſtorum, quæ ſubnectentur, integram enarrationem; ſed, quoniam tùm ipſius *Sigiſmundi*, tum cæterorum *Bathoriæ* gentis procerum, nonnulla;

poſte-

poſterioribus in actis, interſpergenda memoria recurret. Nunc ad propoſitum revertatur ordo.

X. TANTIS, ac tam turbidîs, Daciarum tempeſtatibus, WAYWODA *Michaël*, opportunitatem nactus; virtutis ſuæ militaris, & in Cæſarem fidei, vel *expromendæ*, vel *venditandæ*; non aliâs idoneum magìs ſibi tempus oblatum ratus eſt, ad inſignem illam eluendam maculam, quam, è conflata cum Otomannidis amicitiâ, quondam in ſe ſuſcepiſſet. Simùl & callidè divinare cœpit: hanc, ſui quondam victoris (Sigiſmundi Principis) inquietudinem, fortunarum ſuarum fore ſtabilimentum; & è *Bathoriorum* degenere fruge, ſuæ gloriæ campum, ac ſegetem, eſſe ſurrecturam. Ergo, vehementer Imperii majeſtatíſq; *ſimulatô* ſtudiô, *Michaël*, ad *Cæſaris* & *Auſtriacorum* tutandam cauſſam, totîs armorum viribus ſe convertit. Verùm, per gradus periclitandam eſſe virtutem ratus; ab hoſte *Chriſtianitatis* manifeſto, decrevit, tantiſper ordiri belli motum; quoad *Tranſſylvanicas* ad turbas ipſo præliorum nimbô raperetur. Ad hoc facilè ſe videbat perventurum: quòd & *Sigiſmundus Bathorius*, ab repetenda Byzantini ty-

Michaël, Wallachiæ Waywoda.

ranni ſocietate, nequaquam eſſe ferretur alienus; quippe, qui per Chiauſium, è Thracia devocatum, clam aliquid jam ejuſmodi tractandum ſuſcepiſſe perhiberetur: &, quia cognoverat, *Andream* quoque, poſt fruſtra tentatam apud Cæſarem ejus actorum approbationem, cum eodem *Turcico Sultano*, legatîs expeditìs, de mutuo fœdere conſilia volùtare: Pontifice ſummo nec gnaro, nec unquam approbaturô. Non diſtulit igitur Wállachus, in caput ipſum, ex quo penderet omnis mali nexus, aciem inimicam convertere. Primùm omnium, in Turcas, qui Pannoniam inferiorem, cis Danubium, inſederant, *VVayvvóda* ſigna movet. Cæterùm, ne, tanquam inauſpicatò, rem tanti moliminis aggrederetur: quanquam jam antehac, teſtibus, *Archiepiſcopo* Wazienſi, *Peζióque* Jureconſulto, legatîs, *Rudolpho* Cæſari *VVallachiam* ſuam univerſam, obſequiô juratô, permiſiſſet; (*k*) tunc tamen, legatione ſuorum ſpontaneâ Pragam adornatâ, datam *Auſtriacæ domui* fidem renovat. Simùl, eádem operâ, Chriſtianis Europæis, in hoſtem hæreditarium, armorum ac virium nervos omnes pollicetur. Neque promiſit effuſiùs, quàm continuò reipſa præſtitit. Collectâ nam-

namque ſuorum, ut quidam tradidêre, *magnâ* (*l*) manu: vel, ut alii, non pluribus, quàm *quinque militum millibus* (*m*) univerſim, ſed electiſſimîs; *Telzam* ac *Damovizam* amnes transgreſſus: in *Bulgariam* etiam advolat, pernicitate mirâ: fluminibúsque, Danubiô Sileſtriáque, ſuperatis; obſtante nequicquam hoſtium tranſiſtranâ ſtatione, paullò ſupra *Nicopolin* urbem, in Turcarum *millia tredecim* impetum facit; neſcias, improviſior, an incautior? Ripæ namque Danubianæ partem illam, multò deſertiorem ſibi *Michaël* animô finxerat; quàm eam revera poſtmodo reperit. Sed ipſa ſupervenientis inexſpectata celeritas, erroris pericula correxit: & *VVayvvoda*, Baſsîs licèt duobus in acie curántibus, viris fortiſſimis, ſine mora congreſſus; velitatione primùm, mox acri diuturnóque præliô, Turcas ingenti clade fundit ac fugat. Profligatîs deinceps iis quoque Thracum agminibus, quæ laborantibus Otomannicis, ſed aliquantò ſeriùs, ſubſidio venerant: arbitratus, *Victoriæ nobiliſſimum fructum in illius uſu celeri conſtitutum eſſe, non in deſide lætitia*; confeſtim ad ipſam *Nicopolin*, nondum planè deterſîs à priore conflictu gladiîs, rapitur. Eam, ab Otomanni-

Michaël, Wallachiæ Waywoda.

mannidis inſeſſam, ſed, qui ſatìs virium ad propugnandum non haberent, in poteſtatem ſinè mora redigit. Et, quoniam eam, à tanta ſui militis paucitate, retineri, difficile videbat, & inconſultum; ſubjectìs fœno ſtraminíque tumultuario facibus, in cineres urbis pleramque partem vertit. quod autem Turcarum intus repererat, unà cum præſidii præfecto, trucídat. Haud diſſimilem *VVallachi* victoris vim, currente per ſeriem flammâ calamitatis, experta ſunt, etiam *Bodúnum*, *VVacrádum*, *Plevvinta*, *Florentinta*, cum *Orchavvîto*, cæteríſque *Bulgaricis*, circùm Nicopolim, oppidîs: & pagi, plus centum, incendiô deleti: Turcarúmque, quod in his occurrerat, jugulatum. Jámque, victricibus ubique ſignîs, continuata præliorum, deditionúmque, felicitas erat, ad *Albam*-propemodum-*Regalem*. Fuítque *VVallachica*, per ea bella cuncta, victoriæ fructus potiſſimus, ac pulcherrimus, non tam, ingens opulentiæ barbaricæ præda, vel auri copia: quàm, *in tanta fortitudine, Chriſtiana moderatio.* Nam ex hoſtium omni numero, cæsîs iis duntaxat, & ejectis, qui Sultano Thracico ſacramentum & fidem addixerant; cæteris omnibus eſt vitæ fortunarúm-

rúmque facta gratia. Præter hæc, *Chriſtianorum*, & *Bulgaricæ* gentis, ad *millia ſexdecim*, utriusque ſexûs, in libertatem aſſerta; deinceps in *VVallachiam*, tránſito rurſus Danubiô, colonorum conditione, legibúſque, deducta ſunt: ac per agros, cultore vacantes, diſtributa. (*n*) Quo factum eſt, ut, excuſsâ ſervitute, captivitatem relinquerent; & ſedes in Europa ſtabiles invenirent.

XI. Hæc autem dum à *VVallacho* geruntur; *Cæſar* interim, ad *Georgium Baſtam* adjecerat animum: cujus operâ conſilióque *Transſylvanicos* motus in tranquillum reponeret. Erat BASTA, Cæſarianorum agminum, in *Hungaria ſuperiore*, ſupremus ductor: heros, tum ingenio manúque promptus; tum *ſanæ religionis* præcipuo ſtudiô celebratus. Is ad *Caſſoviam* cum exercitu tunc agebat: cùm eum *Rudolphus* tranquillandis Daciis, adversùm *Bathorios*, juſſit intentum eſſe. Priùs tamen, quàm *Baſta* ſe, diſpectîs omnibus, à Caſſovia commoveret: Cæſar *VVayvvodæ Michaëli*, vicarias legati partes, *Baſtæ* ſuppares, eſſe committendas exiſtimavit. Ergò, partim tutelæ certioris cauſsâ; ſimul autem, & honeſtando *Michaëli*, tot illuſtrium geſtorum

Michaël, Wallachiæ Waywoda.

Digitized by Google

auctori, daudum hoc arbitratus: *Transſylvaniam* ei, modîs omnibus ad obſequium reducendam, commendat, ac permittit. Nec impromptus mandatorum *VVayvvóda*, quin inſuper, & inprimis, exhilaratus; eam, quam ad premendos *Bathorios* jam olim ſuſpiraverat, januam ſibi liberaliter nunc, & ex voto, patefactam: in utrumque curas animi cunctas cœpit inténdere; *Cardinaliſq;* cumprimis motus omnes, itinera, conſilia, nuntiósque, præſpeculari. Quibus dum invigilat accuratò ſtudiô; cognoſcit, *Andream*, contrà longè, quàm, ſuis ad Baſtam litteris, Rudolpho Cæſari largè promiſiſſet, cauſſæ melioris conditiones, ac mentem ſaniorem, abjeciſſe: ſecúmque *Turcicum* oratorem diebus aliquot perliberaliter habuiſſe. Sultanum Byzantinum *Andreæ* depactum eſſe, legatô, quem diximus, interprete; primò quidem, annui tributi diminutionem remiſſionémve luculentam, aureorum nummûm grandium (ut fama narrabat) quinûm millenûm. Deinde, *Transſylvaniarum* & *Moldaviæ* poſſeſſionem, ſtipendiariam quidem; ſed tamen æternam, & in poſteros quoque *Bathorianos* tranſituram. In has ergò leges *Andream*, expeditô cum muneribus Conſtanti-

ſtantinopolim etiam ſuomet Legatô, fœdere mutuô deſcendiſſe, Waywoda Michael didicerat. Quin, neque ſocietate Sultanicâ contentum, *Jeremiæ* ſe præterea, *Moldavorum* & ipſi Satrapæ ſtipendiario, bellorum omnium ac pacis juratô commerciô, junxiſſe. Jámque tunc ambos, ſub tyranni Mahometis auſpiciis, in unum ſigna caſtráque miſcuiſſe: primúmque mox alarum omnium & legionum impetum, in *VVallachiam*, ínque caput ſuum, effuſum iri. Præter hæc omnia; ſuper infeſtationem publicam, intelligebat *VVayvvoda*, privatas etiam in cervicem ſuam, apud portam Turcicam, inſidias componi: nec ignaro, nec invito, nec exſorte conſiliorum, *Andreâ Bathorio*. Quæ profectò cuncta, non tam crimen, & obtrectatio Bathoriorum, ab æmulis & ſuſpicacibus conflata; quàm *Michaëlis VVallachi* juſtus timor, & indignatio legitima, fuerunt: ſi *modò vera legati promp ſerunt*; quos, ab *Andrea* Conſtantinopolim commeantes, *VVayvvoda*, ſub illud ipſum tempus, mirificô fortunæ beneficiô, comprehenderat, & excuſſerat. Eos ille, tanquam comparatos in caput ſuum ſicarios, ultimô denique ſuppliciô multavit. Poſt quæ, ſic geſta, tantò jam mi-

F 4 nùs

Michaël, Wallachiæ Waywoda.

Digitized by Google

nùs cunctandum uterque rati: Bathorius quidem Andreas, cum *Jeremia*, regulô Moldavorum, in Wallachiam; *VVallachus* autem in Bathorianos, cum inſtructiſſima (nam auxerat militem) triginta millium multitudine, ſeſe ſtativîs ejiciunt: & in hoſtem ambo ſuum agmina rapiunt. Accerſierat è Sarmatis auxiliares copias *Andreas*; conciliante Polonos illi *Joanne Zamoſcio*, regni ſummo, quem appellant, *Cancellariô*. Qui *Bathorius* ex eo, contra *Cæſarem* & *Auſtriacos*, impenſiore ſtudiô favebat; quòd *Griſilden*, Bathoriani ſanguinis mulierem, habebat in matrimoniô. *Zamoſcianis* igitur ſubſidiîs, & omni *Sarmatiâ*, *Michaël* hoſtem intercluſurus; omnium primò *Coronoſtadium*, vicinum Polonis oppidum, incurſat. Id, fortiſſimô captum impetu, valido militis, ſibi fidi, præſidiô firmat. *Ciculos* autem, in præſidiis partim *Bathorianis* oppreſſos; partim, in vicinia *Coronoſtadii*, ſub ſignis Andreæ Bathorii deprehenſos, adjungere ſuis partibus allabórat: præcipuéque *Moyſen Zeclérum*, eorum ductorem, & anteſignanum. Nec irritô conatu. Septiduum enim iîs in locis demoratus; cùm, ſpe gratiæ præteritorum facinorum, immunitatéque publicorum onerum

rum & exactionum, ab indulgentia Cæſaris impetrandis, eos implêſſet; paſſim illos ſibi conciliare cœpit: dein, unà cum *Transſylvanis Saxonibus*, quotcunque reperire volónes potuit, ſuis *VVallachis* admiſcére. De *Saxonibus* autem Transſylvanicis, déque *Ciculis*, quæ memoravi; ne cui mira videantur, Dacorúmve gentibus aliena: paucîs adhuc monendos eſſe, populorum ac nationum illarum imperitiores, haud abs re cenſeo.

XII. Transſylvaniam igitur, ſeu, quæcunque *Dacia Mediterranea* nomine cenſetur, terram, præter indigenas Vetuſtiſſimos, tres aliæ nationes, *coloniarum* in morem, exercent; more, legibus, loco, feréque linguîs etiam, diſsonæ: neque ſeciùs tamen *Transſylvanorum* omnes, in commune, titulô deſcriptæ. *Primi* ſunt *Hungari*; jam olim, rege Pannonum *Divo Stephano*, Dacorum infuſi terris: Dacíſque, totâ per Hungaros expugnatâ captáque provinciâ, jure victorum immixti. *Deinde* Saxones: qui, quibus olim armorum viribus, & victoriæ curſibus, inſulam *Britanniam*; iiſdem ſubinde Septentrionis hunc quoque diverſiſſimum, aviúmque, tractum penetrârunt: multitudine, reor, impulſi ſobolis, intrà patrios

Michaël, Wallachiæ Waywoda.

fines ægrè ſe porrò continentis; & indole bellicæ fortitudinis: quæ, quàm latè famam, tam libenter & ſedes ſuas, ſpargit. *Tertium* inquilini-populi genus ſunt, *Ciculi*: quos perperam nonnulli *Siculos*; rectiùs alii *Zacléros*, & *Zecléros*; imperitum vulgus, etiam *Secleros*, nominant. Hi vicini *Moldavis* ſunt, Europææ-Scythiæ-veteris antiquus ſanguis, ac reliquiæ: gens effera, ſed armîs bona. Priſcorum eſt morum, & inſtituti, tenax, tam pertinaciter: ut, *æqualitatis* apud omnes ſtudiô, neque *patricium* quemquam, neque *ruſticum*, appellent; natalium omnî diſcrimine ſic exſectô radicitus, ut reliquum terrarum orbem, ſecus ſentientem, agentémque, damnare ſuperſtitionis, aut incompoſitæ reipublicæ, velle videantur. Horum, ad Moldaviæ latus Occiduum, tuguria pagíque jacent; *ſeptem* diviſi *regiunculîs*: quas ipſi *Sedes*, geographi verò, *Comitatus*, indigitant. Nec abſurdum fuerit, eorum vocabula quoque noſcitari; quippe, Scythiam avitam, etiam ipſâ pronuntiationis aſperitate, redolentia. Sunt autem; *Sepſi*, *Kyſdi*, *Zyk*, *Orbái*, *Gyrgio*, *Marcus-Zeekh*, & *Aranyas-Zeekh*. Ex quorum nominum poſtremis duobus, *Zeclerorum*, qui *Ciculi* nobis ſunt,

Digitized by Google

ſunt, ortam eſſe propaginem; conjectura, meô judicio, nequaquam *Goropiana*, ſive, nimiùm è longinquo petita, fuerit. (*o*) Omne porrò *Tranſſylvana* pubis robur, quale per nationes has deſcriptum eſt, in aciem & caſtra, multitudine *pluſquam nonaginta millium*, procedit.

XIII. *VVallachorum* igitur *VVayvvoda* (ne longiùs ab inſtituto recedamus), Tranſſylvanicis Saxonibus, atque Ciculis, ſub ſigna ſua centuriatîs, continuò Tranſſylvaniam, ingenti conſternatione *Bathorianorum*, ingreſſus; primô ſtatim inſultu *Coronam* capit, urbem ampliſſimam, *Braſſoviam* vulgò dictam.

Poſt hanc, arcem Tranſſylvaniæ validiſſimam, *Forgaróſam*, ad deditionem compellit. Captarum autem, tam fortium, munitionum, nuntiô perculſus *Andreas*; ad Cibinium, *Daciæ* (quam vocant) *mediterraneæ* metropolin, *Hermanſtadium* Germanis dictam, & ad Auſtrum poſitam, caſtra promovet. Movet eodem & *VVallachus*; edoctus ab transfugis, & ob id Albâ-Juliâ celeriter profectus. Illic, ad ſextum circiter lapidem, citra *Fogariſſinum*, haud ità procùl *Ciſſiniô*, Cardinalem, cum ingenti ſibi peditum equitúmque manu præſtò factum,

Michaël, Wallachiæ Waywoda.

factum, aſſequitur: neque dubitat, confeſtim invadere. Paullum tamen moræ, cùm inter ſe duo grandes exercitus ſtadiìs haud plus octo diſtarent, interpoſitum eſt: non à militum, aut Ducis, cunctatione (nam ardebant in conflictum) ſed ab *Apoſtolico Nuntiô*. Qui, geminô ſtipatus *Bathorianô* feciali, virîs primæ nobilitatis; perinde, ceu *Magnus* quondam *LEO* proceſſerat obvius *Attilæ*, *Dei flagello*, quà Padus ac Mincius in ſe miſcentur: ſic iſte, demulcendi tunc hoſtis eundem fortaſſis animum apportavit. Sed non eundem eloquentiæ ſuæ ſucceſſum abſtulit. Quanquam enim ſint, qui tradant, *VVayvvodam*, pontificiâ cohibitum reverentiâ, dilatô prælio, reſpondiſſe; *Se noctem in conſilium advocaturum: ac poſtero die Bathorianis, vel linguâ ſatisfacturum, vel gladiô*: clarior tamen, ac fidei propior, rumor invaluit; auditô *Nuntiô*, nec votorum potitô, ſinè mora fuiſſe dimicatum. Et (*p*) *Michaëlis*, in prælium ruentis hortantíſque, ſunt, qui verba quoque referant; brevia quidem, & pauca, ſed, apud ardentem jam antea pugnæ cupiditate militem, oppidò potentia: cùm præſertim orationis prolixioris, nec ipſa, quæ premebat, pugnæ neceſſitas patientiam

tiam admitteret ; & *VVayvvoda*, dextrâ lævàque circumferens oculos, ac manus univerſúmque corpus intentans, plus geſtibus ſuos, quàm ſermone, ſtimularet ; *Hinc jus, hinc æquum, hinc bonam cauſſam, pacta, fœdera, jusjurandum, & Cæſarem, ac Deum, ſtare: cum ingentis gloriæ, cúmque victoriæ ſimul, & ſpoliorum incredibilium, exſpectatione. quæ, quippeni rapere præfeſtinarent? Illinc autem, quid aliud relucére, quàm ruptam fidem, convulſa promiſſa, violatum fœdus, contaminatum ſacramentum; corporum fluctuationem, vecordiam mentium, dolos, inſidias, truculenta cum Turcis conſilia, fœderum cruentam impietatem: ſub duce, Sacris deſtinatô, profanum militem; ſub galéro, galeam; ſub purpura ſanctâ, profanum pectus, aversúmque cœlum? Ex his, quid aliud tandem vel ipſos hoſtes exſpectare poſſe, quàm, quod nunc jam in oculis eſſet? animorum metum, corporum trepidationem, prælii fœmineam deprecationem, victoriæ diffidentiam; & ideò, fugam, ante pugnam?*

Hæc *VVallachus*: & ſtatim, ardentiſſimîs omnium animîs, ſigna canunt. It in altum clamor: è ſclopétis, ac militaribus tormentis, globorum grando. tum, utrobique collato pede, diſtri-

· Michaël, Wallachiæ Waywoda.

diſtrictíſque rhomphæis, prælium comitti cœptum. Præliantes, *Nuntius* iterum *Apoſtolicus* interpellat, ingenti voce. nam, à repulſa prima, redierat. Clamat, *Indignam Chriſtianis animîs rem! Chriſtianum utrimque ſanguinem prodigi*: quæq́ue cætera tempus & cauſſa ſuggerebant. Sed, ſurdas apud aures, orator hic erat; nec, per dimicantium tumultum, exauditus. Quin etiam, ne porrò mentium ardorem refrigeraret, cuſtodiendus *Petraſco*, Waywodæ filio, patris imperiô, traditur. Uſqueadeo *Sedis Apoſtolicæ* reverentiam, in ejus *Nuntio*, Martis furor obſolefecerat. Cùm autem, *quinque* ſolidas horas fortiſſimè concurſum eſſet, Apoſtolorum *Simonis & Judæ* ſollemni die; tandem à *VVaywodæ* partibus fortuna pugnæ ſtetit. E *Bathorianorum* viginti quinq; millibus, plures, quàm *ter mille*, campus & mors hauſit. reliquos, vulnera, fuga, captivitas, ac rerum omnium deſperatio, peſſum dedit. Caſtrîs *Cardinalis*, &, præter ſigna militaria quàm plurima, quadraginta quinque tormentîs currilibus bellicis, exutus; incredibilem ſupellectilis, equorum, auri, copiæq́ue reliquæ, vim poſt ſe reliquit: à *VVallacho*, cum ſarcinis & impedimentis omnibus, occupatam. Jacturæ caput & ſumma fuit,

fuit, *univerſa Transſylvania*; quam ab *Andrea* lævîs auſpiciis inſeſſam, *VVayvvoda* tunc Cæſaris in fidem recepit: *Andreâ* contrà, totam eam deſerente; neque minùs ab ea totâ deſertô. Jámque reliquum ei nihil erat; quàm ut, cum paucis ſibi fidioribus, in diverſum equîs abreptus, per devia ſylvarum ac montium fugam intenderet. Pugnatum ad *Cibinium* fuerat. Sed ab eo loco mox, ſecundùm victoriam, *VVallachus*, *oſor tarditatis in bono ſucceſſu*, caſtra retrahit. Tum, exercitu promoto, feſtinat, *Albam Juliam*, &, ſiquid aliud ex itinere validiorum urbium occurreret, occupare. Satisque gnarus, *non pugnando, nec ſemel vincendo, ſed penitùs debellando, laboris ad metam, & ad gloriæ ſummam, perveniri*; per vias omnes, & calles, diſpergit, qui, quídnam rerum moliatur, aut ubi locorum lateat Andreas poſt cladem, explorent. Eum, quoad ſuperſit, turbarum hoſtilium fomitem, & redivivam facem, fore veritus; præmiîs ingentibus propoſitîs, ad ſe perduci *Juliam Albam*, ſeu vivum ac ſpirantem, ſeu trucidatum, mandat.

XIV. Secundùm hanc, de *Bathoriis*, victoriam, æquè vulgò claram, quàm auctori nuper operoſam: quo more ferè rapidum ac vora-

Michaël, Wallachiæ Waywoda.

Digitized by Google

voracem fluvium, perruptis tandem obicibus liberum ac ſolutum, non obſtantia ſaxa, non ſylvæ, nec humanæ manus & opera, remorantur, quò minùs obvia ſecum cuncta raptet: eodem ritu, *VVayvvodam* non campi, non urbes, non exercitus, tenuêre; quin occupante victricéque manu, quæcunque ſe contrà ferrent, corriperet, aut profligaret. Igitur, pauciſſimîs interpoſitis diebus, ac ſcilicet, ipsîs *Calendis Novembribus*, in poteſtatem ejus *Coloſvvaria* venit. mox, fortiſſimorum illic mille, præſidii cauſsâ, relictîs; perpetuis militum lectiſſimorum excurſionibus, omnis, circùm *Coloſvvariam*, ſeu patens, ſeu clauſa mœnibus, regio victori ſubigitur. Cùm autem inter hæc & BASTA quoque, *Caſsoviá* tandem profectus, ſuperveniſſet: conjunctîs jam utriuſque copiis, etiam *Husta*, munitiſſima trans *Tibiſcum* urbs, ac theſaurorum *Andreæ Bathorii* cuſtos, deditione capitur. In eam urbem, jam antè, *Tranſſylvanorum* pecunioſiſſimus quiſque, tanquam in propugnaculum inexpugnabile, transportârat; quidquid fortunarum moveri potuit. Super hos, & *Iſthuánus* Bathorius, *Andreæ* patruelis, ab adverſo ſtatim prælio, fugâ *Coloſvvariam* primò, mox *Huſtam*,

Huſtam, ablatus; opulentiam ſecum magnam, & belli nova conſilia, transtulerat. Illic, & litterîs expeditîs, & crebro nuntiorum curſu recurſúque, *Polonicum* iterum, ut antè, nomen, adversùs *VVayvvodam* concitat. Id dum laborat, & copias auxiliares evocat; conatuum ſuorum ſucceſſus parùm ſecundos habuit. Sarmatiarum enim Rex, *Sigiſmundus*, Uladislai, Gaſimiríque, qui poſtea rerum apud *Polonos* potiti fuerunt, pater, decretis gravibus, & illo Rege dignîs, *Zamoſcium*, & omnes imperio ſuo juratos, deterruerat: conteſtatus, adversùm jus, & leges, ac majeſtatem, factu-rum, quisquis *Bathoriis*, pactorum ac fidei violatoribus, ſuis è terris ſubſidia mitteret, aut portaret: quíque, tam liquidô *domûs Auſtriacæ* jure, contra rem *Cæſaris*, interpoſitis armîs, veniret. Hac ergo tam vaſtâ ſpe deturbatus *Iſthuanus*, nováque rurſus fugâ præceps; relictis magnam partem, quæ nuper Huſtæ depoſuerat, impedimentis, evolat. &, quoniam *VVayvvoda* victor exércitus in tergis hærebat, quà ſe proxima ſalutis aperire via videbatur, illuc fugam intendit. Verùm, ab *Georgio Baſta*, non *Andreas Cardinalis*, utì perperam nonnulli tunc credidêre; ſed hic ipſe, de quo

Michaël, Wallachiæ Waywoda.

narramus, *Iſthuanus*, Andreæ patruelis, *Somblii* comprehenſus, & arctam in cuſtodiam compactus: malorum ultima tamen impræſentiarum effúgit. Præteritorum namque gratiam, & impunitatem, extorſit: utique, poſteaquam & *Vivàram* Waywodæ tradidit; *Tranſſylvaniæ* firmiſſimum oppidum, ac *Bathorianorum* bis mille præſidiô detentum: quibus *VVayvvoda* tunc extruſis, ſuos, ut ſibi fidiores, ſubſtituit. Inter hæc, jam dudum Huſtam deportata Cardinalis illa, de qua dictum eſt, ac Dacorum prócerum, opulentia: quoniam belli jure, quo quid optimo, capta fuerat; militi, non *egenti* minùs, quàm *avidò*, conceſſa fuerat. Supra *denas aureorum nummûm myriadas* pretium illius prædæ creditum erat aſcendiſſe. *Tranſſylvanorum* optimatium plerique, qui *Bathorianæ* modò factionis, & partium, fuerant, Cæſaris in fidem, ſub *Michaëlis VVayvvodæ* vicariâ poteſtate, redierunt. Jámque paullatim manus dante *Mediterraneâ* cunctâ Ripensíque *Daciâ*; comitia provincialia cogebantur: quibus ſacramentum *Rudolpho Cæſari*, tanquam hæredi legitimo, ſupremóque *Daciarum* domino; *Michaëli* verò *VVayvvodæ*, velut vices obeunti Cæſaris, obſequium jurabatur.

XV.

Septennii I. Annus 1601.

XV. SUB illud autem ipſum ferè tempus, *Tartarorum* (quod mirum erat) *Turcarúmque* complures, famâ, quæ de *VVayvvodæ* geſtis ac gloria paſſim crebreſcebat, impulſi; relictâ domo, ſolóque patrio, ſéque, familiáſque ſuas, *VVallachorum* in terras transportare cœperant: &, ejuratâ *Mahometis* ſuperſtitione, ſacra *Chriſtiana* complecti; ſalutari *baptiſmatis fonti* capitibus ſubjectis. Hi ſuas quisque, deſignatas ab *VVayvvoda*, ſedes & agros acceperant. Quin & eádem tempeſtate, *Mahometis*, ut præ ſe ferebant, *Sultani* miſſu, Conſtantinopolì profecta legatio, primæ dignitatis virorum; ad *Michaëlem* in caſtra venerat: ſocietatem illius & amicitiam, ſive verè ſynceréque, ſive (quod nonnullis viſi ſunt) dolô malô, pérque ſimulationem, ambientium. Hos *VVayvvoda* (gloriosè, ſi per fidelitatis conſtantiam; callidè, ſi per fidei fictionem) comprehendi, tanquam nefarios adversùm *Cæſarem* ſollicitatores, juſſit: ac, Cæſaris examini diſcutiendos, adſervari. Sed & *Coloſvvariæ*, primorum de copiis ſuis ducum nonneminem, ultimô ſupplicio ſuſtulit: quòd is *Sérdari*, Baſſæ Turcico, ſuam operam, muneribus addictam, ac pretio, *Michaëlis* in caput,

Michaël, Wallachiæ Waywoda.

& proditionem, locâſſet: conſciîs, & conſilii participibus, *Tranſſylvanis* quibuſdam turbulentioribus. Quos ille, ſicuti perfidiæ conſortes invenerat, ſic pœnæ ſocios conſtituit. Ad extremum, ut omnia, quæ *Cæſarem* adhuc aſperare poſſent, aut curis onerare, de medio tolleret: ne *Cardinali* quidem pepercit. Eum, ab octavo jam ac viceſimo die menſis Octobris, poſt malè geſtam præliô rem, fugas ac latibula circumferentem; ii, quos *VVallachus* ad eum perſequendum emiſerat, omnibus in locis perviis inviíſque ſcrutabantur. Hi, diu multúmque fruſtrà conquiſitum; ad quintum tandem Idus Novembreis, fortuitò planè, montanos inter tractus intercipiunt, ſeptem, non ampliùs, viæ comitibus ſtipatum: & ſtatim (ſecus, ac *VVayvvoda* præceperat,) crudelem in modum contrucidant. Caput, à cervicibus reciſum, ſariſſæque cuſpidi ſuperinfixum, ad oſtentationem præferunt: idémque non multô pôſt, unà cum trunco cadaveris reliquo, *Juliam Albam* deportant; munus, *VVayvvodæ* (qui, cæde compertâ, ſibi juſſerat utrumque ſiſti) non ingratiſſimum. Temperare tamen ſibi non potuit; quin, conſpectîs *Cardinalis* exuviis, ſolveretur in lacrymas; incertum, ex ani-

animíne penetralibus, & fideliter? an verò, *Cæſaris Dictatoris* ad tempus ſumptâ fronte, non ſynceriùs *Andreæ* cædi, quàm ille ſoceri *Pompeji* fatis, indoluerit? Luctum quidem profectò decenter aſſimulavit: flevítque, vel rerum humanarum fluxo ſtatu mentem percellente; vel fortaſſis, & auriculari Cardinalis *digitô*, cruentô laceróque, ſibi tunc oblatô. Præciderat eum, avulſerátque de manu cadaveris dexterâ, ſtatim à cæde, neſcio quis interfectorum: cujus nunquam poſtea compertum nomen eſt. quippe, nec illo mutilatore, nec ullo, cæterîs ex interfectoribus, aliô, ſui nominis propalatione tam ſceleſti facinoris infamem gloriam ſibi prenſantibus; ſed, ſi ſaperent, Bullæ potiùs Cœnæ Dominicæ fulmen à Pontifice formidaturis. Cæterùm, quoniam is annulô, pretii gemmæq; planè regiæ, ſplendebat; cujus fulgor & æſtimatio jam olim multorum oculos, & incertum, an non & *VVayvvodæ*, perſtringere ſolitus fuerat: & digitum pariter, & gemmam aurô clauſam, ſtatuerant bajuli, non ad alium juſtiùs lucroſiûſq;, quàm ad *VVayvvodam*, eſſe deportandam. Nec indelectatum eô donô fuiſſe ferunt. Ac *cadaveri* quidem (& quippeni, tantæ ſtirpis, at-

 que

Michaël, Wallachiæ Waywoda.

que purpuræ!) funus ipſe magnificum duxit; in illuſtre cœnobium elato defoſsôque. *Caput* autem, odoribus, ac præcipuè balſamô, diſfertum, adversùs corruptelam & temporis vitium, penès ſeipſum attinere voluit. Id autem ille, poſthæc legatis *Rudolphi* Cæſaris & monſtravit: &, quò fidem inveniret indubitabiliorem; ex adverſo ſpectandam collocavit faciem Cardinalis funerati, jam antea coloribus expreſſam; ac genuinam eſſe, collatîs inter ſeſe lineamentis, evicit. Id autem nec gratìs Waywoda fecit, nec ſordidè propterea donatus. Nummum enim prægrandem, *Decem* Cæſarum imaginibus, in auro ſolido, multâ cum arte fuſis, inſignitum, à Rudolphinâ liberalitate retulit: *Uno* pro Capite, *denas* facies; & pro mortis effigie, tot in metallo nobiliſſimo ſpirantes Imperatores.

XVI. Poſt quæ *Michaël*, universâ jam domitâ ſubactâque Transſylvaniâ; cùm ei jam ad gloriam nihil eſſe reliquum, præter *conſtantiam*, videretur: CLAVES quoque DACIARUM, deditionis plenæ ſignum, ad Cæſarem Rudolphum miſit. Ac Cæſar, ob tot, tantarúmque, tam brevi temporis curriculô ſecundiſſimè fluitantium, rerum eventus, pluri-

plurimùm exhilaratus: *VVayvvoda* Wállachi geſta, per litteras, ac libellos Auguſtales, ad Imperii Romani Septemviros, & optimates, magnificè prædicavit. Quibus fiebat, ut ingens, & magnitudine celebritatis plenum, eſſet *VVayvvoda* nomen: primùm quidem generatim, ad omnem terrarum, quàm latè patet, orbem; ne *Turcis* quidem id, ac *Tartaris*, inficiantibus: qui vim armorum illius reformidabant. Deinde verò, propioribus de cauſſis, apud *Chriſtianas*, ac ſynceræ religionis gentes, illius erat exiſtimatio magna, virtutíſque commemoratio plauſibilis. Ad ſummam! Deletîs Daciarum rebellibus, ſedatîs nutantium populorum motibus, incensîs Otomannidarum coloniis, evaſtatîs Thracum Triballorúmq; municipiis, conciſis aut profligatis tot barbarorum copiîs; in ſuo *VVallachus* nomine, nomen ac memoriam mortalibus refricabat cœleſtis caſtrorum Ducis, *Archangeli Michaëlis*: qui cœlô quondam, & *Draconem* Luciferum, & omnes conjurationis illius conſortes ſpiritus, extruſerat. Videbatur igitur in ore vulgi *Chriſtiani* paullatim (pauciſſimîs tantummodo vocibus immutatîs) Eccleſiæ *vetus hymnus*, & Pæánis præſertim illa pars, in *Michaëlem* quoque

Michaël, Wallachiæ Waywoda.

que *VVayvvodam* haud ineptè congruere: quæ pſallebant Sacerdotes, & ſacrati Deo chori, *Collaudantes, venerantes, omnes quidem milites; ſed præcipuè Primatem victoris exercitûs*, MICHAELEM, *vi, virtute, conterentem Boſphoron.* (†)

XVII. SED deſinat, quæſo, cæca futurorúmq; neſcia mortalitas! deſiſtat aliquando tandem, judiciorum ſuorum præcipitiîs, humanorum facinorum extremos exitus, vel immodicâ ſuprà ſortem prædicatione, vel præfeſtinatîs ante deſperatam frugem conclamationibus, antecurſare. NIMIRUM, Nihil in ingenio mortali, ſuapte vi, conſtans ac ſempiternum eſt: & omnium minimè, bonîs in ſtudiis, in belli vel pacis artibus, rerúmque publicarum clavô tractandô. *NULLI difficilis eſt, ad tempus recta mens, & aſſumpta Bonitas: nulli nimis arduus gloriæ* (ne *veræ* quidem, ac ſolidæ,) *gradus incipiens; aut aliquouſque ſuſceptus aſcenſus, & progreſſus. Ardua* potiùs, operoſáque, *Virtutis DURATIO*, conſtantiæque tenor, *eſt*: illic potiſſimùm, ubi totus bene geſtæ rei ſtimulus, *Ambitio* ſolùm fuit, aut lucri cujuſcunque privati quæſtus; pietatis alicujus, aut religionis, aut obſequii,

quii, verſicolorî prætentu velatus. Quoties enim ipſi nos, librîs, auribus, oculis; quoties etiam experimentîs cognovimus, aut nuper, aut olim, in *minoribus quoque poteſtatibus*: pernicioſiùs autem, nec infrequentiùs, *in magnis?* Novimus, inquam, homines (quod & alibi, verbîs non multùm diſparibus, queſti ſumus) qui, dignitatibus compendiíſque rerum, aut honorum ſuorum, inhiantes, aliquantiſper *temporis*, ac præſentium neceſſitudinum, *vultum* induerent: qui ſe diffingerent in omnem modeſtiæ, temperantiæ, fortitudinis, ac ſanctimoniæ quoque, perſonam: qui ſeſe nutibus & arbitriis certorum quorundam hominum venditarent, ad uſque turpiſſimæ ſervitutis humilitatem & opprobrium: eorum, ajo, quorum potentes, in ſuffragium ſuî, linguas, ac promotricem operam, ſentiebant: & ideò prenſabant eos. Qui tamen iidem, bipedum omnium falſiſſimi fictiſſimíque, poſteaquam, quod votîs omnibus anhelaverant taciti; velut *inviti* tandem, ac reluctantes, indepti ſunt: cunctorum opinione celeriùs, *Fabritium* & *Curium* exuerunt; *Curiones*, *Antonios*, atque *Clodios*, reſumpſerunt. Nec eorum modò, quos jam *infra* ſe ſpectabant deſpectabántque,

Michaël, Wallachiæ Waywoda.

ſed *patronorum* quoque, quos callidè circumſcripſerant, obliti, pertæsíque; ſuperciliis dominicîs, cothurnîsque tyrannicis ſuper ipſas innocentiæ probitatísque cervices incedebant, & *virtutis* colla proculcabant: plerumque tumentes, imperioſi, cúmque lictoriis faſcibus, & ſecurium diſtricto terrore, volitantes; ſuperbi, grandiloqui, turgentes, & ampullati: cúmque ſuæ cupiditates aliud ex alio culmen illis oſtenderent, celſiora ſemper ſpirantes; &, quantùm ſuimet circumſpectores, tantùm aliorum omnium contemptores. Homines, ad admiſſiones æquè, miſericordiámque, clauſis auribus & animîs: ſævi, feroces, implacabiles; ac ſubjectorum, non (utì lex dictabat) bono ſalutíque nati, ſed carnificina conſularis, exitium prætoriorum, & hominum Superûmque teterrimum odium. Hi ſub extremum, importabili jam factâ fatorum-humeris eorum arrogantiâ, crudelitatísque mole; caſum & fortunam lævam ſubeunt, ingentium, ſed malè ſubnixorum, pegmatum, in amphitheatris; quæ, laxatis prægravatísve machinîs, in ſemetipſa, cùm minimè præformídes, punctô temporis collabuntur: &, cum ruina ſonorâ ſtruis unius, multorum millium trepidationem, ſæpe verò ſtragem quoq;, trahunt. XVIII.

Septennii I. Annus 1601.

Digitized by Google

XVIII. Ex hoc hominum genere, dominationum ſupremarum avidô, MICHAEL fuit hic, WAYWODA. Cujus, à vertice gloriæ, jamjam inſeſsô, declivis poſt hæc in caſum altitudo, cœpit, indiciîs nequaquam obſcurîs, vacillare: donec mentem ejus, ambitu quodam inteſtino, tanquam indeprehensâ carie, vitiatam, ſuus tandem interitus, uno pæne momento, peſſum daret. Initium vergentis in deteriora prolapſionis, contentio fuit honorum. quæ ferè labes, maxima quæque regnorum, ac regnantium, jam olim pondera ſubêdit, ac vertit: hodiéque noſtrâ, quâ ſcribuntur hæc, tempeſtate, divina pariter humanáque jura polluit univerſa. Cauſſam porrò materiémque certaminis ambitioſi, rerum ipſa, vel neceſſitas *VVallacho*, vel occaſio, miniſtravit, & objecit. Quæ talis fuit. Agebant, ſub unum idémque tempus, in *Daciarum* occiduis limitibus, locîs haud ità multùm inter ſe disjunctis, cum copiis uterque ſuis, illic quidem *Georgius Baſta*; cum *ſuprema Legati poteſtate* Cæſaris exercitui Germanico præfectus: alibi verò, ſuîs cum *VVallachis*, ac nuper adjunctîs ſibi *Tranſſylvanis*, Waywoda MICHAEL. Quod *Rudolphi* Cæſaris, ſic utrique præſcribentis,

Michaël, Wallachiæ Waywoda.

bentis, conſilium, fuerint eâ fortaſſe tempeſtate, qui, rebus parùm perſpectîs, parùm probarent. Et ſanè, rem perfunctoriè duntaxat, nec ad plenum, expendentibus; videri *Rudolphus* tunc potuit, tantumnon conſultò, diſcordiarum, inter duces duos, jácere ſemina deſtinâſſe. Quod enim & priſca bellorum ætas ſæpiùs, & utinam non aliquoties noſtra quoque, creberrimîs damnorum irreparabilium experimentîs, ſenſit; idem *Cæſari* tunc caſtrorum detrimentum, ac ſummæ rei vulnus inevitabile, videbatur in mentem venire, ſuſpicionémve, debuiſſe. *NUNQUAM enim, aut profectò rariſſimè, locîs ac negotiîs iisdem, bene reſpublica vel togata geri, vel armata, poteſt; quoties in prætexta paludamentóve, duo ſunt, æquali, ſub unum idémque tempus, cum poteſtate.* Quid enim? In mortaliúmne, tam avido dominationis, ingeniô, cenſebimus, vel congruere, vel expedire; quod tamen nec in plantarum arborúmque genere natura probat, ut *duo* ſimul *cacumina* germini ſuperſtent? nec in ædificiorum formis ars, ut unius unicíque tecti plura ſint *faſtigia*; nec in theatris, ac regalibus ſoliis, ordinata ſeries patitur, ut gemini, pariter ſupremi, *gradus* emineant? Quidni pro-

proinde, rebus etiam in humanis, eádem rectæ rationis æquitate, bellô paceque *præſideat unus* aliquis? *pareant verò*, ſuâ quiſque ſorte, *cateri?* ne, ſublatô jubentium & obſequentium diſcrimine, tandem in medio deſtituta Salus publica, tranquillitáſque, laceretur. Quid, obſecro, *Duo* jubent, ac mandant, *æquali cogendi jure*; quod *unum*, ac junctîs operîs, *ab omnibus* exſequendum eſt? Quod equidem *conjunctim* fiet; ſi (quod admodum rarum eſt) concordibus ambo dictatores ſententiîs, atque ſtudiîs, in unum & commune bonum contenderint: *diviſim* autem ac ſciſsîs in diverſa ſenſibus, aut certè perplexo conatu; quoties, æmulatione pravâ, diſcordantia præceperint. Idque tunc vel inprimis lubricum eſt; quoties præſidentium alter, cum ingentibus copiis & auſpiciis; alter autem, cum grandi præterea recentíque merito, cûmque numeroſo clientium favore, ſuum ad imperium accedet. Id quod in *Baſta* tunc, *VVayvvodâque* Wallacho, caſus obtulit, ut fieret. Habebat militem *Baſta* copioſum, fortem, *Germanum*: nec, quem in hibernis tantùm, aut præſidiis, videbat; ſed &, quantus ex omni poſſet Imperio repentè congregari; ſiqua neceſſitas major ingrue-

Michaël, Wallachiæ Waywoda.

grueret. Habebat & *Cæſarem*, fulcrum, ac momentum rerum gerendarum ampliſſimum. Cum *VVallacho* ſtabat, è diverſo, grandis, ac tot modò victoriarum conſcientiâ multùm e-lata, militaris manus. animus, in Duce, ſuî magnificus æſtimator. præconium quoque famæ publicæ, quæ *VVayvvodam* in iis, quorum particeps fuerat, *Baſtæ parem*; in aliis, iíſque pluribus, quæ ſine *Baſta* ſolúſque patraverat, *ſuperiorem* prædicabat. Accedebant his denique, provincialium, propemodum omnium, homini populari *Dacóque*, quàm *extero* (qualis *Baſta* fuit) addictiora ſtudia, voluntatéſque promptiores. Quid enim *Tranſſylvano* tam propinquum, quàm, accola Tranſſylvaniæ, *VVallachus?* aut (ſi nuperam *Bathorianorum* aciem, *VVayvvodæis* oppoſitam, ſeponas, & oblivione deleas,) cujúſnam gentis adſpectus, tam gratus *Tranſſylvanis*, támque concolor eſſe poterat; quàm *VVallachorum?* quippe, populi ſanguiníſque, modicè divaricatîs ramîs, ab eádem utrimque communi propagine, radice, nominéq;, pullulantis. Nam & hi *Daci*: nec aliud illi. Quod, ut in univerſum ſemel ac ſimul intelligatur: quoniam gentium illarum mentio frequentior in has curas noſtras intra-

intrabit : paucîs, quod res eſt, ex antiqua juxtà recentioréque tabularum fide geographicâ, demittatur in animum, & cognitionem.

XIX. POST inferioris igitur Pannoniæ, quam *Hungariam* hodie dicimus, partem illam Ultra-Danubianam, quæ Jazygibus quondam, cognomentô *Metanaſtis*, habitabatur, quæque, per obliquum, ad Orientem hibernum ab Occasûs æſtivi plagâ porrigitur, *tres* deinceps *Daciæ* jacent, Eurum reſpicientes. Earum una *Ripenſis* nominatur, ab Iſtri margine. Secundam, quoniam à flumine Danubio longiuſculè receſſit, *Mediterraneam* appellaverunt. Ultimam autem, *Alpeſtrem*; propter montes: cuj tamen, & *Tranſalpinam* adjungunt. Harum, *Dacia* RIPENSIS, à fontibus propemodum amnis *Tibiſci*, (quem *Teiſſam* hodierni vocant) ad Aquilonis tractum exſurgit: indéque fluminis ejuſdem ſiniſteriori ripæ, quàm longè Tibiſcus properat in Danubium, prætenditur. & ultra *Rhabónis* ſaltem confluentes, *Aucham rivum* adjacet; quem *Craſſon* hac tempeſtate nominare ſolent. Hôc procurſu regionis, ad *Serrorum* uſque montes, hæc *prima Dacia* progreditur. Et iſta tamen, quantumcunq; *Daciæ* vocabulo glorie

Michaël, Wallachiæ Waywoda.

glorietur; *Hungariæ* quoque parte, nomine-que, noſtris terræ menſoribus cenſetur. ac tum, cùm iſta, quæ componimus, gerebantur; Hungarici, vel maximè, juris & gentis erat; quippe, quæ *Caſſoviam* (vulgò Kaſckam) *Tokaiam* item, & *Bekýnum*, ac *Temeſvvariam*, urbes inferiorum Pannonum, intrà limites ſuos contineret. Poſt hanc, quam deſcripſi modò, *Daciam*, vaſto, tandémque ſpatioſum in circulum coëunte, montium tractu, *Dacia* procumbit MEDITERRANEA. *Cárpathus* eſt mons, immani vaſtitate: quem, qui nunc accolunt, *Crapákum*, voce corruptâ, pronuntiant; Boreis objectum. Ab hoc monte, regio, quam *Secundam* dixi *Daciam*, Alpibus ex omni circumquaque parte, quantumvis inæqualiter, ambitur, & cingitur. *Gepidarum* fuit hæc olim ſedes: inter Tibiſcum nunc, & Alútam, amnes coërcita. Nunc autem, aliquantò latiùs diductîs utrimque finibus, ab amne *Maromoniſio*, terrarum ea pars ad extremos & incipientes *Ciculorum* margines, in Orientem profertur. Hujus *Daciæ* magna portio, circa cíſque medium ferè fluminis Rhabónis, *Trans-lucum* veteribus appellabatur; ac, ſiquid ad verum conjectura divinare valet,

valet, hodiernæ *Trans-ſylvaniæ* toti vocabulum, ex præſtantiore parte terrarum, impoſuit. In hac *Daciâ Mediterraneâ*, locorum urbiúmque præſigniores nominantur: inprimis, *Alba Julia*, quibuſdam & Apulum olim dicta; noſtris *VVeiſſenburgum*: Decébali quondam, ab Ulpio Trajano Cæſare victi domitíq; regis, ſedes: ſed, illâ tempeſtate, TARMIS appellatione celebrata. Poſt Albam, *Slotna* prædicatur: urbs, auri foſſilis, ac latentium in propinquo metalli cæteri venarum, indagine nobilis. Poſt Slotnam, celebratur *Ulpia Trajana*; priſcis *Zarmizogetûſa*; recentibus autem, *Varhella*. Viſitur hæc trans amnem *Sargetiam*, qui *Decébali* regis aliquando theſauros occultaverat: in valle, quam *Haczákam* indigenæ nominant. Præter has verò, de quibus dictum eſt, dicendúmque ſæpius erit, urbes ſunt, *Segeſvvária*, *Claudiopolis*, *Vivára*, *Cibinium*, *Fogaraſſa*, *Braſſovia*; quæque ſunt aliæ, minores hîs; aut æquales quidem magnitudine, ſed quarum tamen ob ignobilitatem, minor in actorum monimentis haberi ratio ſolet. Nec tacendæ, *Biſtricia*, ſive *Nœſenſtadium*; *Mydvvyſcha*, vini, cunctíque victûs, opulens; & *Sedrepſa*; geminúmque *Novóforum*,

H

Michaël, Wallachiæ Waywoda.

rum, ſeu, Neumarkhium. De Mediterranea ſunt hæc Daciâ memorata. Sed ultra *Mediterraneam* hanc, ſive *Secundam*, quam depinximus, Daciam, *Tertia*, partim ſurgit, partímque jacet, ALPESTRIS, ac TRANSALPINA, *Dacia*. Cooritur hæc, ultra *Transſylvaniam*, ſed obliquîs tractibus, ad hibernum Solis ortum, à lævo fluminis *Alúta* látere. Procurrit autem ad Septentrionum, & ortûs æſtivi, medium ſitum: ſuorúmque limitum progreſſu, transſilit fluvios, *Ararim*, *Náparim*, *Ordeſſum*; aliáque, vel innominata priſcis, vel noſtratibus quoque, plus nimiô barbara ſæculis, torrentium amniúmque nomina: donec *Hieraſſum* tandem flumen attingat; quod hodie, monoſyllabô multùm inglorio, *Pruth* appellant; ab illo priſco Græcorum *Pyreto*, per improbam imminutionem, & corruptelam, deductum. His finibus igitur, ac limitibus, *VVALLACHIA*, quæ *Magna*, *Majórq;* dici nonnullis ſuevit, coërcetur.

Super eam autem, trans flumen *Hieraſſum*, in eundem Boreæ transverſum tractum, excurrit MOLDAVIA: pars & ipſa quondam (ſi modò ſyncera tabularum eſt fides) iſtius *Alpeſtris* Daciæ. Stringit autem hæc regio,

gio, *Baſternarum* veterum, ac *Beſſarabiæ*, limitaneas oras. Porrò, poſtremæ, ſeu *Tertia*, quam delibavimus, iſtius *Daciæ*, potiſſimúmq; *VValachorum*, provincia, meridie tenus ad uſque Danubium pertinet; eámque ripæ partem, quæ *Traiani Pontis* rudera disjecta monſtrat, ſitu ſuî ſtringit. Hujus urbes, & oppida, ſunt: *Tergovviza*, Waywodarum Wallachicorum arx, & prætorium: *Braila* præterea, *Treſcortum*, *Aczúda*, *Rebnika*. Cætera, pagîs habitantur, ac villîs. Haud ità procùl Treſcortô, bituminis quoddam genus egeritur: quod præſtantiſſimæ lentæque ceræ vicem & uſum ſuppeditat; & id quidem in candelas etiam, ac nocturna lumina.

CÆTERUM, ex omni, quod hucuſque deſcriptum eſt, *Dacico* genere nominéque, non unum eſt idémque cunctorum ingenium, vitæ victûsq; mos, & legum inſtitutum. *Daci* namque *Ripenſes*, qui ſunt hodie, viciniæ ſuæ campeſtris affectibus ac ſtudiîs contacti; *Pannonum Inferiorum* cultu moribúſque degunt, ut plurimùm. At verò, qui *Mediterranei* nominantur, trans Alpes jam, ac velut aliud in ſolum trajecti; diverſiùs multò ritibus, linguâ, religionibus, agunt: ut, quos

Michaël, Wallachiæ Waywoda.

partim *Arianorum* rediviva Secta, ſub appellatione *Trinitariorum* ; partim autem *Calvini* quoque pernicioſus error, à Cœli recto tramite deviare compellat. *Alpeſtres* denique, Ruthenorum afflati contagiis ; vulgò quidem *religionis* ſe *Græcæ* ferunt (*q*) : verùm, moribus quibuſdam, ad exſecrabiles Deorum cultus, & aras, aut relapſi poſtea ſunt ; aut ab iiſdem, jam olim, nunquam bonâ fide receſſerunt in ſolidum. Id ex eo conjicias : quòd etiamnum illis in pretio divinationes & auguria ſunt; non illa plebeja, divinorum ignari ſimplicíſq; populi, ſed exquiſita, Tuſcorúmque veterum cæremoniîs deſcripta. Quòd item, in ſermone quotidiano, *PER JOVEM*, pérq; *SANCTAM VENEREM*, dejerare gaudent. De reliquo, civilitatis eis pérparum ; bonarum artium, ac litterarum, vix quidquam : habitationum, ac vitæ, conſuetudo, multùm ſaltuoſa, plurimúmque Scythica. Verùm, iſta ſuper *tribus Daciis* monuiſſe, quoniam & uſus admonebat, & opportunitas invitabat, hàc tenus ſufficiat. Ad res, & acta, *VVayvvodæ VVallachi* revertamur.

XX. HUJC (quod res denique monſtravit) providentî *Cæſar* conſiliô *Baſtam* ad latus

latus appoſuit, inſtructiſſimô cum exercitu. Neque tamen eâ mente, multóque minùs, aſtutiâ; quò contentionum occaſiones, & æmulandi prava ſtudia, duobus his ſummis viris objiceret. Nam & *Rudolphus* ab ejuſmodi *Machiavelli* cuniculis, ſynceritate candidioris indolis, abhorrebat: & *Georgii Baſta* probitas, omnia ſemper alia, quàm aſtum, per tot retrorſum annos promiſerat, ac præſtiterat. Quem quidem virum, & heroëm, ex animi, tum magnitudine, tum moderatione, celebratum compérimus, ab omnibus univerſim, quos equidem volutârim, illorum temporum compoſitoribus. Solus *Joannes Cluverus*, buccinator Cimbricus, orthodoxæ (quis non videat?) religionis odiô, de tanti Ducis laudibus, neſcio quid, ſed nec verè, nec multùm, decerpere viſus eſt. *Cujus tamen malitiâ, virtus aliena non obſcuratur.* Adjunxit igitur (ut in viam regrediamur) *VVayvvoda* Baſtam Cæſar; non, ut gloriæ, (quâ ſuperior hic erat illô) corrivalem: ſed multò magìs, ut hominis inquieti, rerûmque turbidarum ſtudioſi, ſtrenuum cuſtodem. In ſumma! Tanquam ſylveſtris, nec adhuc bonâ fide morigeri, caballi frænum & habenas, in *Baſta* Cæſar injecerat *VVallacho:*

Michaël, Wallachiæ Waywoda.

ne, malè cicur, dato tempore, diſpectóque compendiô, rediret hic ad ingenium. *Transſylvanis* igitur in partibus, hiberna Ductores ambo pariter agitare: Teutonicos *Baſta*; populares autem ſuos, clientésque, *VVallachus*, moderari: ſua, quibus in locis utrique videretur opportunum, præſidia locare: ſua negotia paludata, cum auctoritate, curare. Quæ, cùm ægriùs *Michaël*, quàm, ut diſſimulatione premere valeret, animô ferret: *Georgium*, victoriarum jam tum ſocium, multîs, clandeſtinísque, criminationibus inſequi cœpit. In ducem clariſſimum, per internuncios, dicta minùs benigna molliáque jácere: nominis illius ac famæ claritudinem parùm reverenter habere: quin immò, nec in epiſtolis ab acerbitate ſe verborum continere. Neque tamen interim hæc ab eo, quem per injuriam laceſſebat, penitùs impunè ferre. Certabatur itaque mordacibus, ac, ni citò fomes ſopiretur, in incendium publicum erupturis, *ſatyrîs*: &, quantùm arrogantiæ ſuæ *VVayvvoda*, tantùm ſuæ dignitatis, & cauſſæ melioris, *Baſta* rationem habebat: ad ſuum Cæſarísque jus, ſi ſic uſus tuliſſet, aſſerendum, etiam armîs atque caſtris decertare, certus, & animoſus. Nec mul-

multùm ab extremis his conſiliis rerum caſus abfuit. Tenebat *Huſtam* urbem, (quam, unà cum theſauris *Bathorianis*, expugnatam, ac direptam, ſuprà memoravi) præfecti nomine dignitatéq; Dacus quidam; è *VVallachi* Waywodæ caſtris, ordinum nuper ductor, in oppidum illud translatus, & eidem, ſolius auctoritate *Michaëlis*, cuſtos ſupremus, cum præſidio firmo lectiſſimorum, impoſitus. Suſpectum id *Baſtæ*, ſi quando ſors & mens læva ſic ferrent; ut *VVayvvoda* fidem ac ſacramentum Cæſaris exueret. Videbat item, & Wallachiæ Transſylvaniæque populis, paullò fidioribus, & omni præterea Cæſariano militi, periculoſiſſimum fore; ſi propugnaculô tam valenti defectrix aliquando perfidia, vel nefandum transfugium, communiretur. Quæ cuncta tametſi ſive ſuſpicaretur *Baſta*, ſive formidaret; ſupprimi tamen conſilium tam perſpicax, ſatiùs adhuc duxit; ac tutiora nihiloſecius interim capeſſenda decrevit. Cauſſatus igitur ſtativorum ſuorum, in tanta ſui militis multitudine, tum anguſtias, tum penuriam; ſupra vetus illud Waywodæ Wallachicum præſidium, novum aliud ipſe *Germanicorum* militum, *Huſtam* mittit. Sed non latuit vafrum *VVay-*

Michaël, Wallachiæ Waywoda.

Digitized by Google

vvodam Baſta mens. Et idcirco, præmonitus clanculum à *Michaële* prætor Huſtanus, recepturum ſe *Baſtaos* præruptîs verbis negavit. Nec aliter, ac verbis edixerat, reipſa præſtitit. Venientibus *Germanis* clauduntur *Huſtaa* portæ: rigentéq; tum vel maximè brumâ mediâ, ſub dio Cæſarianus miles agere noctem adigitur. Gnarum id *Baſta*, pérq; moleſtum erat. Neque tamen abſiſtit, urgere cœptum; nec *VVallachus* è diverſo, quod *Baſta* juſſerat, detrectare. Jámque civile bellum, inter bina, ſub unius *aquila* ſacramento centuriata, caſtra parabatur: evocante *Baſtâ*, quidquid in *Sileſia* copiarum equeſtrium hiemabat; & quidquid, præter has, in *Hungaria* finibus agebat vicinioris peditatûs. Stabátque numeroſa ſub ſignis, & in procinctu jam, ad dimicandum, acies. Neque ſibi defuturus *VVayvvoda* fuerat; univerſis *Daciarum trium* viribus ſuccinctus. Sed recompegit diſciſſos Ducum animos *Jureconſultus Petzius*; qui ſe pacis inter utrumque, priſtinæq; concordiæ, ſequeſtrum gerebat. Eum ego virum, tum in hoc, tum in pleriſque motibus Transſylvanicis Imperiíque, reperio, providum inprimis, & clarum, extitiſſe: quódque rarum in *litteratis*, ſingulari

lari quadam auctoritate viguiſſe, non domi modò, ſed foris etiam, & inter *arma*; *quæ vulgò* tamen *Doctorum voces non exaudiunt.* Uſqueadeo videlicet in ingeniis, plus plerumque *dexteritas*, in rem intenta publicam, quàm vel reconditiſſima, ſed ſuis tantummodo ſolitudinibus incubans, *eruditio* promovet. Hoc itaque tanto taliſque pacis interprete, *Michaël*, ac *Georgius*, in concordiam repoſiti; poſt illa, pacatiùs aliquantò viſi ſunt inter ſeſe, tranquilliúſque, degere: niſi, quòd & *Baſta tantum tribueret amicitiæ renovatæ, quantum equo ſternaci cautus inſeſſor*: & *VVallachus*, è veteris philoſophiæ profano ſcitô, fixum in animo retineret; *Inimico reconciliato ſponderi plus, quàm credi, debere, vel præſtari.*

XXI. MAGNUM fuerat *Michaëlis VVayvvodæ* jam olim, & ante vaſtationem quoque *Nicopolitanam*, nomen, apud regem Otomannidarum. Et hinc ille Prætoribus quoque Turcicis, in amicorum numero, præcipuáque gratiâ, fuerat. Cujus rei luculentum debet argumentum eſſe, quod ſubjungo.

Tartarorum ſupremus militiæ ductor, *Hanus*, Mahometis, Turcarum monarchæ, ſtipendiis, ad *Varadinum*, (munitionem urbémque

H 5 Pan-

Michaël, Wallachiæ Waywoda.

Pannonum inferiorum) belligerabat. Ab hoc *VVayvvoda-VVallachus*, locorum quorundam, ad ſe jure fiduciario pertinentium, militares vexationes direptionésque, pecuniâ grandi numeratâ, redemerat. Hac autem non obſtante penſione, *Tartarus* nihiloſecius (ut gens eſt, in *Chriſtianum* nomen manu Scythicâ, mentéque Punicâ,) datam emptámque fidem ruperat: ac, ſuper argentum captum, raptô præterea complura ceperat alia; prædam avexerat; *VVallacho*, verba dederat, & vacuas poſſeſſiones reliquerat. Eam *VVallachus* injuriam, ad *Sérdarem*, *Baſſam Turcicum*, accuſatione miſsâ, dolenter ac graviter expoſtulârat. Et *Serdar*, nondum tunc eò provolutus inimicitiarum, ut in *Michaëlis* perniciem ſicarios emeret, (velut in loco memoratum eſt) *VVayvvodæ* juſtiſſimam eſſe querelam, cenſuit; ac, ſecundùm cum datô judiciô, ſummâ Mahometis Imperatoris ſui voluntate, Tartarum *Hanum* rapuerat ad ſupplicium; ac ſtrangulatione, magnatibus reis ſollemnî, collum illi fregerat. (*r*) Poſtea verò, quàm *Michaël*, virtute militari, Cardinalem *Bathorium*, & omnem ipſi nuper obnoxiam *Tranſſylvaniam*, occupârat; ab ipſomet *Mahomete* (Tur-

(Turcici nominis *Tertio* tyranno) prenſari, pæne ſupra Waywodæ ſortem & captum, cœptus eſt. Expeditâ quippe Byzantiô legatione, quæ victori *VVallacho* gratulatum iret; etiam epiſtolîs invitatus eſt, ac verbîs indulgentiſſimîs, ad Otomannicam ſocietatem: datúmque prætoribus ejus gentis negotium; ut, quocunque temporis articulo deſcendiſſet in fœdus illud *VVayvvoda*: duces Thracum ii, qui vicinis in locis *VVallachiæ Moldaviæq;*, cum imperio forent & milite, ſine mora legiones ad eum, ſignáque, traducerent. Cùm autem hæc, & horum ſimilia, *Michaël*, ſive verè, ſive diſſimulatione callidâ, *detrectaret*; immò, propiùs verum, *differret*: non abſtitit tamen cœptô *Mahometes*. Illud enim ipſum, quod animo verſabat *VVallachus*, Sultanus altè conjectans; tunc denuò, poſt jam omnes, & Transſylvaniæ nuper, & *Baſta* compoſitos turbarum fluctus, antiquam ſollicitandi *VVayvvoda* viam remetítur. A *porta* (quam vocant) *Byzantinâ*, gerendæ rei tantæ ſcientiſſimos promptiſſimósq; legat. Per hos, donis Orientalis opulentiæ quàm exquiſitiſſimîs, tum ipſum inprimis *Michaëlem*, tum ab eo, negotii proximum cardinem, filium illius *Petraſcum*,

Michaël, Wallachiæ Waywoda.

ſcum, percolit, & corrumpit. Eos iſti legatos, haud indonatos, nec ſine pignoribus fœderum mutuîs, & epularum magnificâ comitate, remittunt Byzantium; cum *montium* (ut ajunt) *aureorum* clandeſtinîs pollicitationibus. Ab eo jam igitur temporis puncto, deprehenſi manifeſtè ſunt, *VVallachorum utrique* creſcere propemodum in immenſum animi: quos tam potens, ac paratum in omnes neceſſitudines, aſylum inflaverat. *UTque vix unquam nimia ſe felicitas capit, ac conſeneſcit; rumpitúrque faciliùs, quàm intrà modum ſpiret:* ambo defectionem à *Cæſare*, nec occultiſſimè, ſpectare viſi ſunt. Tum & aliquantò clariora mentis alienatæ ſigna colligi cœpta ſunt; machinæq; verſutæ voluntatis obſervari, quibus illi, novas ad cupiditates, ſibi viam præſternerent. Nec id magìs amore, tyrannidis Byzantinæ conſtabiliendæ; quàm, odiô *Baſtæ*, quod adhuc alto ſub pectore, poſt malignè coalitam nuper gratiam, ſcintillabat. Sed, rem ad verum æſtimanti, potiſſima novandarum rerum illecebra cenſeri debet extitiſſe, *ſupremi dominatûs* irrequieta cupiditas in *VVayvvóda* Wallachorum. Hujus autem, ad omne votum explendæ, non multò pòſt offerri viſa,

non

non jam occaſio duntaxat, ſed pæne violenta *neceſſitas : cujus ſpecies colorem citò reperit.*

XXII. SUB idem enim tempus, *Sigiſmundus Bathorius*, Transſylvaniæ quondam ſtipendiarius tetrarcha; cùm, dolore profligati, tandémque trucidati quoque, patruelis ſui, *Cardinalis*, in Sarmatiam profugus abiiſſet, ac mœſtus: diverſa cœperat inſtaurandi belli conſilia ſubſidiáq; circumſpicere. Paullatim autem, ſollicitationibus aſſiduîs, ſuas in partes, aliquot è vicinia, remotíſque, commoverat. Et occultiùs quidem *Sultanum* (utì quibuſdam tunc perſuaſum erat) *Byzantinum*; apertiore verò conatu, *Polonicum* omne, *Moldavicúmq;*, nomen in arma concitârat. Conſilii fuit armorúmque ſumma, recuperare *Transſylvaniam*; exauctorare denuò *Cæſarem*; depellere Cæſaris legatum, *Baſtam*; detrudere finibus, & munitionibus occupatîs, Wallachiæ *VVayvvodam*. In eo negotio, pro *Bathorii* reſtitutione, *Sultanus Turcicus*, ipſe per ſe, ſuáſque litteras & oratores, apud gentem Polonam interpoſuiſſe ſuam operam ferebatur: propterea, quòd ei ſe *Sigiſmundus* (utì Turcæ prædicabant) arctiſſimîs rurſus pactîs obſtrinxiſſet. Ac, præter hunc, *Joan. Zamoſcius*,

Michaël, Wallachiæ Waywoda.

ſcius, Sarmatici regni, poſt regem, facilè *directorum* primus, pro reducendo *Sigiſmundo* nullum non extremi moliminis conatum expedierat. In quo, (ſiqua *Mario* fides, annalium collectori,) cauſſam occaſionémque *Zamoſcius* haud exiguam præbuit Aquilonaribus, trans fretum Balticum, gentibus; regnô Gothicô *Sigiſmundum* excutiendi, Ducémque Sudermanniæ, *Carolum*, introducendi. Facta ſunt enim hæc, & tranſacta; dum *Polonici* regni *Prorex* cauſſæ regiæ tutelam armatam negligit: &, contrà rectum juris ordinem, alorſum legiones convertit; ſummatímque, ſuum munus ac partes deſerit, & *affinitatis* ſtudiis obſequitur. Cæterùm, in belli tanti ſocietatem aſſumitur *Jeremiæ* quoque, *Moldavorum* ſupremi Satrapæ, credula ſimplicitas: utì foret, (ſicut opinor) in cujus caput, opportunum cladi, Martis injuſti fortuna fallax ad extremum degrandinaret: belli ſociîs ab ictu calamitatis ſe ſubducturîs, & infirmiſſimum quemque ſub diſcrimine relicturîs. Sed, utut hæc eſſent; comparatur immanis, à *Bathorianis*, exercitus; & in *Michaëlem*, Wallachiæ Waywodam, nominatim belli ſigna, teſſeræque, volant. Neque tardus ad reſiſtendum *VValla-*

VVallachus; in commune tamen tam atrocis belli periculum *Baſtam*, ac *Cæſarianos*, non aſſumit. Id ſeu conſultò, ſive per feſtinationem rei tam inexſpectatæ, ceciderit ità, ne *Baſta* veniret in partem laboris & gloriæ; non multum ad narrationis veritatem intereſt. Mihi, pro cauſſarum latentium momento, parùm id compertum eſt; ac prioribus quoque ſcriptoribus ſilentiô prætermiſſum. Cæterùm, utrimque moventur agmina; locantur caſtra; conſeruntur manus. Ac ſunt, unius anni qui prælia gemina, *Moldavicîs* in campis commiſſa, memorent: in quibus auctoribus *Janſonius* eſt. De *tertio* quippe certamine, referemus in loco. Quod verò pro comperto tenetur apud omnes, iſtud eſt; *Bathorii*, *Jeremiæq;* copias ingentes conglobatas. Ad has, præter *Polonos Zamoſcianos*, & militem *Moldavicum* numeroſum, colluvie miſtâ conveniſſe transfugarum Transſylvanorum, & è Turcis ac Tartaris, multitudinem infinitam. His porrò nec opinatò *Michaëlem*, per Alpeſtria ſaxa, locóſque vaſtos, & arduos, ſic obviàm properâſſe, narrant; ut adventûs ſui famam adventu præcurreret. Continuò deinde, víxque reſpirandi ſpatiô captô, militem ſuum, quantum-

Michaël, Wallachiæ Waywoda.

tumvis aſcenſu, periculîs, itinere, fatigatum; nihil tale præſtolantibus *Bathorianis* immiſiſſe, memorant. Nec *VVallachos* milites eam celeritatem detrectâſſe: quippe, *VVayvvodâ* ſuis victoriæ certitudinem, prædæ copiam, & pugnæ, nullo ſocio conſerendæ, gloriam ſibi ſolis ſepoſitam, oſtendente. Certè quidem, non ſuſtinuêre *VVallachorum* ferociam *Bathoriani*: ſed, per eandem ſylveſtrium locorum aſperitatem, ac præcipitia, per quæ viderant haud antè multò victores penetrâſſe, dilapſi, dejectíque, ſeſe receperunt in avia tutioráq; Moldaviæ loca. *Sigiſmundus* autem, ac *Jeremias*, fortunâ belli fractâ, ſuis, quas retinuerant, copiolis diffidentes, in *Sarmatiam*, fugâ præcipites, evaſerunt. Ibi, *Zamoſcii*, ſicut antehac, favore, mercenariô conſcripto milite, paullatímque legionibus inſtauratîs; ubi ſatìs virium recollegiſſe ſibi viſi ſunt, arma rurſus, & expeditionem, movent. Et quoniam, adversâ nuper pugnâ, gratuitâque provinciæ vaſtatione, *Moldaviam* à ſe multùm alienatam eſſe, cognoverant: eâ nunc prætermiſsâ, Danubium versùs, haud procul caſtellô, cuj nomen *Ortano*, progreſſi, caſtra faciunt; ac mox, pugnam quoque: *triginta millibus* in aciem eductîs.

ctîs. Sed eadem illos tunc, quæ priùs, certaminis infelicitas excepit. *Michaël* enim, incredibili celeritate, tumultuantibus adhuc, & incónditis, ſuperveniens; Moldavorum *octo millibus* deletîs, Sarmatîs, Transſylvanîs, ac Sigiſmundô, profligatîs: *Transſylvaniam* victor, & ovans, repetivit.

XXIII. HIS ità geſtîs, Moldaviam *VVayvvoda Michaël*, armis ac terrore, quin & multorum ſponte ſum̃â, recipit; & in leges, nomine quidem tenus, *Rudolphi* Cæſaris, *reipſâ* verò, *ſuas* (quod animô jam pridem volvebat) adigit. Et, quoniam ipſe feſtinabat in *Podoliam*, belli *Bathoriani* patrandi cauſsâ, quò ſe partes receperant: *Moldaviæ* ſubactæ, quam in *Cæſaris* jam, & *Auſtriacæ domûs* verba, jurare coëgerat, *Petraſcum* imponit, filium. Eum, paternas obiturum vices, *Græcâ* non minùs appellatione, quàm *fide*, jubet, *Hypotetrarcham* eſſe, dicíque, *Moldaviæ*. Sed id auditum *Rudolpho* Cæſari, ſuſpicionem pariter, bilémque (nec abs re) movit. Auxit utramque *VVayvvoda*, paullò pôſt; ad impudentia pro ſe, ſuíſque, poſtulata, ſcriptîs ac legatione proſiliens. *Ea ſe geſſiſſe; ſic de Cæſare, de nutantis Imperii ſalute publicâ, de re Chriſtianâ cunctâ per Europam,*

Michaël, Wallachiæ Waywoda.

pam, eſſe meritum: ut inter tot ambitioſorum immenſa vota, quibus vel ignaviſſimus quisque fortiſſimorum præmia concupiſceret, ipſe ſperare meritò debeat, modeſtiæ ſuæ paucis, iiſque ſobriis, deſideriis haud ægrè datum iri locum: nec inſolentiæ ſe, vel invidiæ, notam ex eo fore ſubiturum. Daret Cæſar, ſibi, filióque, generique toti; quæ, majeſtatis Auſtriorum atavitâ munificentiâ, fortaſſis ultrò quoque, nullo vel ſupplicante vel ſuggerente, fuerit indulturus: Filio quidem Petraſco, Moldaviæ regimen, ratum, & immotum; Sibi verò, legitimóque poſterorum ſanguini, propriam perpetuámque totius Tranſſylvaniæ poſſeſſionem. Præter hæc, adjiceret, extra Dacias, Varadinum quoque Magnum: adderet Huſtam, Nagbániam, &, quæ cætera loca Pannoniæ Dacicæ, Ripenſem contingerent, aut Mediterraneam Daciam. Efferret, ſuper hæc, & exornaret, Rudolphus iiſdem ſe titulîs imperiiſque, quibus antehac Sigiſmundi Bathorii principale faſtigium, conceſſu Cæſaris, effulſiſſet. Stipendia præterea, trahendis in diuturnitatem caſtris, & annona, militi ſuſtentando, præberetur annua. Cautum inſuper ſaluti ſuæ, quin & libertati, Cæſar vellet: Saluti quidem; ſi quando VVayvvoda, tot adverſis circumſeſſus armîs, Tranſſylvaniâ pelleretur

tur

tur ac VVallachiâ, nummûm aureorum centenûm millenûm ſummam annuam in alimenta vitæ, numerando: Libertati verò ſuæ Cæſar proviſum vellet, ſi quando contingeret, per captivitatem ſe fieri, Turcici, vel cujusvis alterius hoſtilis arbitrii: de Cæſaris, & imperii Principum, aurô collatitiô, redimendo ſibi, lytrum conflando. Hiſce poſtulatis, ac conditionibus, ſi ſtaret Cæſar; viſurum eum, non multò pòſt, juris ac jugi ſui, quidquid ab uſque Caſpio mari populorum, & ad eum diem indomitarum gentium, cis Budam & Solnócum, habitaret.

GRAVIA ſunt hæc *Cæſari* viſa; tentandæque, ſi minùs ſuccederent, *defectionis* inſtrumenta manifeſta: ſive jam tribuerentur, tanquam furioſo gladius in manum; ſive (quod neceſſe foret) negarentur: ut, per offenſæ colorem, invidiâ tantò minore, *tranſitus* à *VVallacho* fieret ad Thraciæ tyrannum. In ſumma! Videri controverſum poterat; iniquiúſne *VVayvvoda* peteret, an impetraturus eſſet, conditiones tantas: homo, *Turcico* jam dudum, ac ſatìs palàm, ſacramento juratus, & fœdere conſtrictus? Cujus ſocietatis nexum indubitabiliorem, per eoſdem illos, quibus iſta tractabantur, dies fecerant, conviviorum

Michaël, Wallachiæ Waywoda.

apparatus, & impendia; *regia* prorſus, omnémque Satrapæ ſortem egreſſa: *Turcicam* interim in legationem effuſa. Quo tamen in crimine, ſuſpicionem *VVayvvoda*, Cæſareos apud curatores, quibus iſta diſplicuerant, deprecabatur; cùm diceret; In ea prodigalitate, communia gentium & hoſpitii jura, non Otomannicam amicitiam, fuiſſe ſpectata. Sed rerum intelligentibus factum ſuum non probabat. Ac, licèt hæc, & alia talia verborum velamina, temporis gratiâ, tunc aures, ac diſſimulationem, apud Cæſaris præfectos reperiebant; fidem tamen, ac pondus, non inveniebant, nec apud *Petzium* quidem; *VVallacho* cæteroqui ſtudentem. Nam hunc *Cæſar*, qui poſtulatorum *VVayvvodæ* cætera difflaverat, cum pecunia tamen, in ſtipendia militum, ad eum, cum cæteris quibuſdam, ablegârat. At hunc, (quippe virum, moderatione prudentiâque ſingulari præditum,) non potuit in *VVallachi* priſtino favore, vel æſtimatione, retinere, tam effrons illa petitionum, de quibus ſuprà ſignificatum eſt, enormitas. Nec purgavit ſe Petzio *VVallachus*; ſed eum, è diverſo, graviùs alienavit à ſe: cùm huic, in ipſius ſanandam ambitionem intento, *Cæſaris* ſe ſtudioſiſſimum vendi-

venditaret: ac, (verbô quidem tenus) in omnem *Rudolphi* nutum obſequiúmq; deſcenderet; ſi de fratribus ille *tribus* Auſtriacîs, unum aliquem *Tranſſylvanis* ſummo cum imperio præficeret. Nam alii cæteroquin Tranſſylvaniæ Præſidi, cujcunque, quantumcunque de republica merito, viro, diſertè Wallachus negabat, ſe pariturum. cumprimis autem obſequium Michaël abnuerat, iis in provinciis cujquam, extra *Domum regnatricem*, *& Archiduces*, ſe præſtiturum; quas ipſe provincias, aut nuper, aut olim, ad fidem & obedientiam Cæſaris, cum ſalutis ac fortunarum ſuarum tanto diſcrimine, reduxiſſet. Antè cunctos autem alios, *velle ſe*, Georgium Baſtam, *à conſpectu lateréq; ſuo tempori removeri. Gravem eſſe* ſuis, *gravem* ſuorum *humeris, & imperioſam belluam. Ni maturè Cæſar obviàm iret; in alterna quondam vulnera, mutuáſque clades, utrimque conſurrectum iri. quibus furiîs cavendum*, præmonebat, *ne duorum è diſſidio ſtrages quoque ruináque publica traheretur.*

XXIV. HÆC *Michaëlis* oratio, per *Petzium* Cæſari renuntiata, dici vix poteſt, quàm vehementer offenderit. Et, ſuper hæc,

Michaël, Wallachiæ Waywoda.

ulceratum *Rudolphi* pectus longè graviùs eſt: cùm aliis ſuper alias querelîs accenderetur eorum, quorum cognati neceſſariíque, viri de *Tranſſylvanis* facilè primi, quæſtionum & cruciatuum omni genere laniati *VVayvvodæ* juſſu, perierant; non aliam ob cauſſam, quàm, quòd ei, Cæſaris & Auſtriacæ domûs effuſiore ſtudiô ferventes, *Turcicam* diſſuaſiſſent ſocietatem. Hæc itaque rerum indignitas inaudita, *Rudolphum* denique perpulit; ut, exutâ veteris in virum indulgentiæ conſuetudine, *Michaëlem VVayvvodam* ſupremo Daciarum gubernaculô dimoveret: eúmque, non niſi *VVallachicis* iîs, quibus antè jam inſueverat, legionibus & alis ei permiſsîs, de cætero prorſus in ordinem redigeret. *Georgium* vero *Baſtam*, Waywodæ vel inprimis inviſum, voluit *Cæſar*, tum Wallachorum reliquis, tum Tranſſylvanis præterea Moldavíſque, ne *Michaële* quidem exceptô, ſummâ cum poteſtate præſidere. Nec repugnantes in hoc *Baſta*, vel impromptos, ullos expertus eſt; multóque minimè *Tranſſylvanos*: quippe, *Michaëlis* paullatim truculentiam ac tyrannidem, contrà, quàm ille principiò ſimulârat, doctos, & exoſos. Ac profectò, crudelium imperiorum exem-

Digitized by Google

exemplîs , uſqueadeo *VVayvvoda* pleroſque militum & ductorum alienaverat : ut & *Moſes* , Ciculorum ducum facilè primus , ab eo deſciſceret ; tragœdias paullò pòſt novas imperio Romano ſuſcitaturus. Quibus, aliíſque compluribus de cauſſis, accidebat : ut *Baſta*, cùm primùm è Pannoniæ finibus *Coloſvvariam* accederet, ac mox in alia *Daciarum* munita loca militem ſuum deportaret ; ingentes ad ſe gentium illarum fieri concurſus , experiretur , non ſine clarîs lætitiæ ſignificationibus gratulantium , exceptantiúmque novam dictaturam. Paſſim *dira*, paſſim *vota*, volitare ; *dira* quidem , Waywodæ Wallachi nomen exſecrantium : At *vota*, Baſtam, ac Cæſarianos , fauſtis ominibus, commeatu largô , voluntatum in quævis juſſa promptitudine, proſequentium.

Acerrimè deſcenderunt hæc in ſuperbum *VVayvvodæ* pectus. Quapropter , certus & obſtinatus , aut celeriter ultum ire tantam à Cæſare *ſibi* (velut loquebatur) *inuſtam contumeliam* ; aut pro veteris gloriæ tutelâ mortem occumbere ; caſtra movet , & exercitûs ſui reliquias. mox ad *Albam Juliam* , adversùs *Baſtam*, hæc éadem exſpectantem , ac præclarè

Michaël, Wallachiæ Waywoda.

rè paratum, metatur. Frendebat, non ſine ſpuma, clamabátque; *Jam non ob oculos ſibi tantummodo, ſed (quæ dedécorum ſumma ſit) ſuper caput & humeros, adductum hominem, cum imperio caſtrorum; quem ipſe, conſcio Cæſare, ſerpentinô pluſquam odiô deteſtaretur. Atqui, præſtare libero capiti, (quantò magìs, ad omnia ſumma nato factóque?) millies vitam, quàm ſemel magiſtratum inveteratum, deponere.* Quæ, taliáque plura, *VVayvvodas* militis erant, ante prælium, incitamenta. Sed minacibus *VVallachi* furiis, potentiora fuêre provida *Baſtæ* facta: qui *Michaëlem*, opinione celeriùs, cum copiis omnibus oppreſſum, utì cauſsâ, ſic armîs, ſuperavit: inflictáque clade memorabilî, rejecit in montes, quibus à Wallachia fines Transſylvanorum ad Orientem diſcluduntur. Illic, fugientem eum, cum ſtragis acceptæ reliquiis, *Sigiſmundus Bathorius*, & *Jeremias*, Moldaviæ nuper Waywoda, nacti (quis metuiſſet?) plagâ novâ multant. Quanquam enim *exules* uterque, rerum omnium egentes, & à Wallacho proximè binîs ternísve prœliis attriti, vix videri poſſent, hiſcere contra *victorem* veterem, aut attollere frontem, auſuri: profugum tamen adoriuntur;

tur; ac, *redeunte quondam etiam victu in præcordia virtute*, vallô, foſsâ, faméque, tum & caſtrîs, arctiſſimè circumpoſitis, obſeſſum premunt.

XXV. Quæ dùm geruntur; in medio rerum, ecce, curſu, Cæſarianis proſperrimè fluentium: *Transſylvanorum* incredibilis *mobilitas*, omnia rurſus proturbavit. Hi, tam effuſîs modò favoribus amplexi *Baſtam*; ad *Sigiſmundum Bathorium* denuò, derepentéque, ſua transferre ſtudia, non obſcurè cœperunt. Et ſecutura non multò pòſt armorum quoque, Dacicíque militis, tránſitio narrabatur. Id acciderítne *Baſtæ* Ducis odiô, qui *religiones* Transſylvanorum *pravas* exturbatum ibat, & ſaniora Sacra reducebat; an potiùs, obſeſſi *VVallachi* confidentiâ, *Sigiſmundíque* Principis obſeſſoris redivivô ſtudiô; rectiùs putem, in medio relinqui, quàm decerni. Conſtat quidem certè, perquam ægrè fuiſſe *Dacos*, ab *Arii* ſui deteſtandis opinionibus avulſos. Conſtat item; à multis *Transſylvanorum* haud unquam occultè foveri deſitum *Sigiſmundum*: quem tunc, circumſeſſi *Michaëlis* volitante famâ, *propter admirationem virtutis & audaciæ, ſolum fortiſſimum, invictúmque; ſolum imperii*

Michaël, Wallachiæ Waywoda.

principatúque dignum, muſſitabant. Utcunq; ſe cauſſæ dederint: nutavêre, ſicut narratum eſt, & in *Bathorium* denuò reclinavêre, *Transſylvanorum* voluntates. Eorúmque proinde barbaram animi levitatem exſecratus *Maximilianus Auſtriacus*; tametſi per fratrem *Cæſarem* invitatus denuò, rogatúsque, renuit tamen; ac *Transſylvaniæ* regimen, ut multi naufragii ſcopulum, longè refúgit. Uſqueadeo nimirum offenſus erat, Dacorum intellectâ tunc *iteratâ* mutabilitate. Neque poſtea mentis hanc conſtantiam exuit ullo tempore, vel variavit: incertum, amplioréne ſuæ quietis, (quam unicè ſuſpirabat) commodô, vel compendiîs? an damnoſiore *Daciarum* plagâ, calamitatéque? quæ, profundè jam tum acceptô rei ſuæ publicæ detrimentô, tot vulnerum nunquam poſtea cicatricem duxerunt: quippe laceræ, vaſtæ, ſquallidæq; ſemper, in hanc uſque, quâ nos iſta cóndimus, ætatem. Quibus ſanè tam ingentibus malis obſtare *Maximiliani* fortaſſis auctoritas, ſingulari conjuncta prudentiæ, non nequîſſet: ſi regere *Transſylvaniam* voluiſſet. Nec is illud utique tanto reniſu noluiſſet; ſi gentem hanc *Archidux*, quantùm dominorum recentium avidam, tan-

tùm

tùm & receptorum tenacem firmámq;, repe-riſſet. Sed experimenta declarârant; *Malle Dacos à Cæſaribus tetrarchas poſtulare; quàm acceptos retinere.* Talis ergò, qualem indicavimus, eâ tempeſtate, ſuper *Archiducis Maximiliani* prudentiâ maturitatéque, virtutis opinio per terrarum orbem incedebat: ætatis poſtea, gloriæque proceſſu, non parùm confirmata. Cuj fruſtra proinde *Celticus*, neſcio quis, geſtorum conſarcinator, auſus obtrectare; calamum citiùs, ac cerebrum ſuum, miſerando *prolapſu*, quàm Herois tanti gloriam, obtrivit.

XXVI. INTER hæc, *VVayvvoda Michaël*, incertum, pactíſne deditionis ac fœderum; an dolô potiùs, ac fugæ furtîs, ex obſidione, quâ premebatur à Bathorianis ac Moldavis, evolârat. Cùm autem is, hinc quidem omnium Cæſaris ac Baſtæ militum, illinc autem Dacorum, exaſperatos animos, ob truculentiam ſuam, ac defectionem, intelligeret: circumſpicienda ſibi, tutelæ cauſsâ, diverſa regum tyrannorúmque præſidia, vir vafer, exiſtimavit. Inter quos & denuò, *Turcarum* monarcha fuit; toties jam antehac *VVallacho* fœderatus, póſtque fœdus, hoſtis, ut proximè: quando cum Bathorianis, adversùs Michaë-

Michaël, Wallachiæ Waywoda.

chaëlem, & *Turcæ* ſteterant in armis. Eò major igitur iſti debuerat eſſe cauſſa, Byzantinæ perfidiæ ſocietatem in perpetuum exſecrandi. quam is tamen, malè conſultus, etiam noviſſimè, nec poſtremùm, repetiit; ídq; nequaquam è dignitate *Chriſtiani* ducis: immò, nec ex voto, ſucceſſúque. Reperio namque, quorundam in Commentariis; (*s*) eum, quem *VVayvvoda VVallachus*, aſyli ſui receptaculíque cauſsâ, Conſtantinopolim ablegârat, non modò pro *Michaële* nihil impetrâſſe præſidii, vel tutelæ; ſed neque ſuimet capitis incolumitatem. *Mahometis* enim imperiô, contra jus gentium ac legatorum, crudelitate Parthicâ cultellis diſciſſum oratorem, & excoriatum fuiſſe, tradunt. Quâ tantâ *VVallachus* immanitate cognitâ, cùm hàc illàc ſe verteret in diverſa conſilia; *poſtremùm* tandem arripuit, quod omnium *primò* debuerat. Tutiſſimum deplorato viſum eſt, ad *Cæſarem*, cujus ab obſequio deſciverat, iter intendere. Fecit id: rectè confiſus, *Auſtriacam* apud *manſuetudinem*, & ſupplici veniam præteritorum, &, olim præclarè merito, virtutis recordationem, ac fructũ, in promptu fore. *Viennam* igitur *Auſtriorum*, ſeptuaginta circiter ſuorum, ex intima fide, ſtipa-

ſtipatus equeſtri comitatu, *VVallachus* aſcendit, ſub ipſum anni Sæcularis milleſimi ſexcenteſimi finem. Illic ſe, ſuos, omniáq; ſua, *Cæſaris abſentis* clementiæ permittit. Nec eum miſericordiæ ſpes deſtituit. Receptus enim in antiquum gratiæ locum eſt: tametſi *Viennæ* tantiſper morari juſſus, quoad vacuum *Rudolpho* foret, ac placitum, eum & *Pragam* (ubi tunc Cæſar habitabat) evocare.

XXVII. Verùm interea Dux *Baſta* jam pridem, ante factam à *Rudolpho* delicti gratiam, alia fecerat omnia, *Cæſaris* bonitati non cohærentia. Conſilii namque, profectionísque *VVayvvodæ*, prorſus ignarus; in præſidio, quod expugnârat, hoſtilia, jure belli, patrârat: *Michaëlis* uxorem, (cuj *Vagaroſſæ* nomen,) *Petraſcum* item, ejus filium, ac *theſauros*, illic depoſitos, ceperat; &, firmâ cuſtodiâ ſtipatos, abduxerat. Eorum tamen omnium, haud ità multò pòſt, idem, qui ceperat, *Baſta* jacturam ſubit: quippe, *Sigiſmundô Bathoriô* rebus ſe rurſus immiſcente, Transſylvanósque cunctos impendiò ſollicitante. Qua turbarum face, ſeditio vetus æſtu novô recanduit. Nam, *Tſhiaktô* quodam concitante populos; *Dacicum* pæne nomen omne *Coloſvvariam*

Michaël, Wallachiæ Waywoda.

ſvvariam indicit comitia. *Sigiſmundus* ibi, quanquam abſens, in veterem principatûs poſſeſſionem repetitur, & accerſitur: oblato, ſi venire maturaret, ſacramentô. Dum autem hic, neceſſariam aliquantiſper in *Moldavia* moram trahit, interímque reditum in Transſylvanos adornat: *Tiſchiakius*, quem dixi, Bathorianîs partim ultrò, partim & per vim, ſuſceptîs vicibus, ſe pro ſupremo Daciarum omnium rectore gerens; fœdiùs cuncta, quàm quiſquam antehac, diſturbat. *Baſtam*, (quoniam is totius Transſylvaniæ rebellioni multùm jam impar erat) *Coloſvvariâ* tantùm non ejicit. Certè quidem eas ad neceſſitudines eum redigit, ut earum indignitate motus, vir, ad illam uſque diem bellô ſummus, ne rogatus quidem, & à Dacorum ſyncerioribus retentus, hærere porrò dignatus ſit apud gentem, tunc tam infidam: quippe, quam expertus toties eſſet, dominos ac ſacramenta, cum ventis, & ex libidine ſuâ, variare.

Vagaroſſam igitur ac *Petraſcum*, illam conjugem, hunc filium, *Michaëlis VVayvvodæ*, (velut dictum eſt) à ſe captos, Baſta *Coloſvvariæ* relinquit in cuſtodia; ſolúmque vertit, aliorſum exercitu traductô. Captivos autem

Digitized by Google

tem *Tſchiakius* primùm, deinde *Sigiſmundus* ipſe *Bathorius*, (qui, rebus in Moldaviâ tandem compoſitîs, *Coloſvvariam* reverſus erat) arctè detinent. In verba verò *Sigiſmundi* denuò Transſylvani paſſim, ac própalam, jurant: omníque *Cæſaris* in perpetuum exutô ſacramentô, *Vivâram* quoque *Bathorio*, munitiſſimum in extremæ finibus Ungariæ caſtellum, tradunt. Tulit perquam dolenter *VVayvvoda VVallachus*, chariſſimorum ſibi capitum duorum, tertiam jam, intrà tempus exiguum, captivitatem: *Georgio* cumprimis Baſtæ, tanquam calamitatis eorum auctori primo potiſſimóq;, ſicut ſemper antehac infenſus, ità multò tunc infeſtior. Eum proinde, *Pragam* tandem evocatus, apud *Rudolphum* Imperatorem, non avidè minùs, quàm acerbè, criminatur; tum uxoris ac filii cauſsâ, tum aliîs nominibus: quæ mens exulcerata facillimè confingebat, & exornabat ingeniosè. Verùm apud *Rudolphi* juſtas aures aliquantò plus clementiæ *VVayvvodæ* calamitas, quàm credulitatis, calumnia reperit. Dimiſſus, ſeveriſſimô *Cæſaris* imperiô jubetur, ubi primùm in Dacias revertiſſet, cum *Baſta* volens nolens in veterem armorum ſocietatem, & ejuſdem in armis obſequium, redire. Quod, quò

Michaël, Wallachiæ Waywoda.

quò promptiùs *Michaël* exſequeretur; per legatos interim ſuos agente *Cæſare*, non *uxorem* ille modò *filiúmq;*, ſed *gazam* quoque captam, ab Tranſſylvanis recuperat. Pollicitus igitur, dummodo copiîs novîs auxilia ſibi roborarentur, Daciarum omnium facilem ac brevem reſtitutionem; Pragâ *VVallachus* diſcedit: &, cum equitum peditúmque recentibus copiis, cum nummis in ſtipendium, nec ſine donis, Cæſareâ munificentiâ dignîs, revertitur in Tranſſylvaniam; quò *Baſta* quoque, Cæſaris imperatò, redierat: ibíque Baſtæ, ſicut juſſus erat, ſepoſitîs veriùs, quàm *extinctis*, odiis ſociatur. Nec enim aliâ retineri lege *Cæſaris* gratia poterat. Coëunt igitur in fœdus iterum, & caſtra, duo ſummi, poſt internecína diſſidia, Duces: in commune deinceps, ac medium, conſulturi, quæ pacis eſſe, quæque belli, viderentur.

XXVIII. Jámque PRIMUS ſæculi decimi ſeptimi, poſt Chriſtum natum, ibat annus. Hic Waywodææ gloriæ ſummus, idémque perfidiæ viri ſupremus, extitit. Quæ verò *Michaëlis* antehac geſta noſtrum hucuſque narrandi ſtudium diſtinuerunt; ea *quinquennium* ferè præteritum abſumpſerunt. Quo toto

toto tempore, ſicut in præcedentibus videre fuit, varium ſeſe *VVallachus*, ac verſatilem, ſiquis alius, exhibuit: hôc autem annô, militiæ ſuæ poſtremô, *Compendium varietatis*, tum animi, tum fortunæ. Quis non obſtupeſcat? A viro, jam olim ſocietatis Turcicæ contactibus vitiatô, tunc autem vel maximè, conſiliîs occultiſſimîs, atrociora multò volutante; tanta tamen etiamnum & geri pro rebus potuiſſe *Chriſtianis*, & reipſa fuiſſe geſta? Dixiſſes, & induſtriam hominis, & calliditatem, *ambidextram*. Sed videlicet, & nos ſubinde ſtirpes aſpeximus arborum, in fructus prægrandes ſe diffundentium: quæ, poſteaquam corruptâ radice degenerare cœperant, poma nihiloſecius ingentia, volemáque pyra, protruderent; ſpecie magnitudinéque prioribus nihil admodum conceſſura. ſed tamen, violatîs intus ramorum ac trunci medullis, ſaporis guſtûsque malitiâ magìs ac magìs in amaritiem abibant. Talis planè *VVayvvoda VVallachi* militaris fortitudo fuit. Mens tabida; propoſitum mentis verſutum, inſidúmque; victoriæ, tanquam poma purpurea, glorioſæ: ſed tot palmarum, ad extremum, fœtus exitúsque teterrimi. Quod

Michaël, Wallachiæ Waywoda.

nos ex iis, quæ memoranda reſtant, apertum faciemus.

XXIX. *Sigiſmundus Bathorius*, ſub exeuntem Aprilem è Moldavis, (velut indicavi,) regreſſus in Transſylvaniam; paucorum intervallô menſium immanem numerô feritatéque comparârat exercitum. Ad Transſylvanos enim ſuos, Pannonas inſuper, & Moldavos; Coſaccos præterea, ſeu Polonos Zamoſcianos, Tartaros atque Turcas, adlegerat; auxilia, ſtipendiîs conducta. Robur militis illius tantum erat; ut, ſupra peditatûs multitudinem formidandam, *equitum* inſuper *quadraginta millia* ſecum raptaret: inſuetam, illîs ſaltem tempeſtatibus, belli procellam: & nec *hodie* quidem exiguam: quo tamen tempore, Martiæ ferè cunctæ formidines, atque minæ, mirandîs ſunt incrementîs auctæ. Cæterùm, cum his tantis *Bathorius* copiis, oppida caſtelláque munitiora, ſiqua nondum ſacramentum ipſius accepiſſent, incurſare: Cæſarianæ fidei reliquias, quà vi, quà formidinum jactu, promiſsíſque, ſibi jungere: de cunctabundis, ac deditionem aſpernantibus, aut agere prædas ingentes; aut ſumere pœnas, tanquam belli legibus ſtatutas. Denique, tantus paullatim ſibi

ſibi viſus *Sigiſmundus* erat, ſuis ut palàm, & absque dubitatione, promitteret; *Eò Martis ſui progreſſu, de Cæſarianis rebus in Tranſſylvania funditus eſſe conclamatum. Summùm adhuc uno prælio ſi ſuperior foret; bellô pariter ac famâ ſuperiorem, in perpetuum, ſe fore. Pronum id autem, & in expedito poſitum eſſe; ſi ſui, qui, qualéſque fuiſſent ad eum diem; tales auderent & in poſterum ſeſe præſtare.* Quâ *Bathorius* oris animíque confidentiâ nihil deinceps non tentandum, nihil negligendum occaſionis, aut temporis, exiſtimavit. Itaque, cùm es iis, quos dimiſerat, ſpeculatoribus didiciſſet; *Baſtam*, ac *VVayvvodam VVallachum*, conjunctis denuò quidem armîs, ſed copiîs tamen utrumq; modicis, locô certo conſediſſe: paucitatem eorum, præ multitudine ſuorum, deſpexit. Conſederant autem Cæſariani duo, quos dixi, duces, ad *Moitînam*: locum, intromittendis in Dacias è Sileſia copiis equeſtribus, peropportunum; quas illi proinde, ceu ſubſidium pugnæ neceſſarium, tantò cupidiùs exſpectabant, quantò validiorem *Bathorii* cognôrant equitatum eſſe. Sed, equitum Sileſianorum adventum omni ſtudio ſibi prævertendum *Sigiſmundus* decernens, experiri prælii

Michaël, Wallachiæ Waywoda.

lii fortunam è veſtigio, conſtituit; ac Cæſarianîs, nihildum tale formidaturis, per ſummam celeritatem oppreſsis, vel in ipſis caſtris inferre ſtragem; vel in campis, acie juſtâ, concurrere. Verùm, non latuit ſagaciſſimos, & in omnem hoſtis conatum intentos, Cæſarianos Bathorii conſilium, atque properatio. Tantóque minùs feſtinandum Baſta Wallachúsque rati, quantò concitatiùs omnia, tumultuoſiúsque, Transſylvanus ageret; crebrîs interea velitationibus ſuum militem experiundo, virtutem ejus acuebant; &, quoad auxilia ſupervenirent Sileſiaca, levî certaminum præluſu Bathorianorum impetus diſtinebant. Ipſi ſatìs ſupérque gloriæ ſibi comparatum, ſatísq; lucri factum iri, cenſuêre; ſi, ſuorum in tanta paucitate, ſeſe caſtris modò, ſine plagâ luculentâ, continerent. Caſtra porrò Cæſariani metati fuerant in *colle*. Non minùs in *colle*, ſed diverſo, quin & multùm editiore, Bathoriani. Jámque ſuas exercitus uterque machinas etiam, ac tormenta militaria, locîs iiſdem, quibus conſedêre, defixerant. Cæterùm, aptiùs, ac magìs è re ſua, Baſta Wallachúsque: celſiùs autem, ſuperbiúsque, ſed ob idipſum futiliùs, Sigiſmundus. Quippe, cùm

ſub-

ſubjectam utrique colli planitiem ingentes ex ære fiſtulæ, commiſsîs jam inter ſe copiis, eſſent petituræ: de propiore collium ſitu, proptereáque certioribus globorum jactibus, Cæſariani; remotiùs autem, & inutiliùs, (utpote, longè ſuprà ſuorum hoſtium capita,) Transſylvani, ſua fulmina miſſuri de ſuperioribus locis erant. In quo proinde, modeſtiam cum prudentia, Cæſaris duces: Sigiſmundæi verò vanas minas, & oſtentationem, habuerunt in conſilio.

XXX. Jam Auguſti Calendæ, Divi Petri vinculis ſacræ; jam etiam Sileſiacus ille, tot votîs expetitus, equitatus in caſtra Baſtæa tandem, advenerant: & prælii cupiditate Bathorius non mitiùs, quàm æſtivi cœli caloribus omnis exercitus, ardeſcebat. Jámque dici, quem memoravi, plerumque proceſſerat; ínque veſperam prona lux, ſui partem vix decimam tanto negotio reliquerat: cùm prior *Sigiſmundus* de colle ſuos in locum æquum deducere; nec ſegniùs *Baſta VVallachusq;*, ſuas cohortes ac turmas, jam multùm auctas, inferre cœperunt. Nec moræ multum. utrimque pugnæ factâ copiâ, concurritur: in ſummo quidem collium, ingenti flammas ſpargentium

K 3

Michaël, Wallachiæ Waywoda.

tium pilarum grandine ; cominus autem, in ſuppoſita planitie, minorum onerum fiſtulîs, telis, ſariſſis, acinace. Sed, quoniam Bathorianorum globi miſſiles, innoxiô plumbo flammáque, Cæſarianorum cuncta capita ſupervolitabant, ob immodicam tormentorum ſitûs altitudinem; indemnis Baſtæ Wallachíque miles, ad unum hactenus evadit; cùm, è diverſo, ſuîs ipſi baliſtîs ac machinîs, nimbi more, Bathoræis ingruerent, effuſiſſimâ plumbearum glandium, ac ſphærarum, tempeſtate: cunctáque, per latum, longum, & obliqua, clade baliſtarum atrociſſimâ lacerarent. Nec intrà fines hos prælii calamitas Transſylvanis ſtetit. Collato namque pede, conſertáque manu, longè diriùs geſta res: primis omnium *Eburonibus* (quos *VVallónes* hodie dicimus) in Bathorianos ferociter invectîs: ac, dextrâ lævâque perruptos, hoſtium ordines disjicientibus. Hos, incredibilî militum alacritate, clamoribúsque, campos & aures implentibus, ſecuti Cæſariani; numerô quidem multùm hoſtibus, animîs verò nihilô, cedebant: & cauſsâ, fiduciáq; victoriæ, ſuperiores plurimùm ſe gerebant. Et altero quidem in cornu *VVallachus*, altero verò *Baſta* legatus, hic ſuis cum Germanis,

Digitized by Google

nis, ille cum Dacis, fervebant: auctíq; recentibus auxiliis, equites, ac pedites, illatîs ſignis, diſtrictíſq; mucronibus, obviorum *ora pectoráq;*, fugientium autem *dorſa*, cædentes ac fodicantes; quantulum diei ſuperfuit, horrendâ ſtrage contrucidabant. Miſeranda cladis facies! equîs, virîs, armîs, vulnere, nece, gemitúque morientium, & dolore ſemínecum, quos cruor altus alicubi rivi more volvebat: cæterîs, qui cladem ultimam vitaviſſent, totâ paſſim planicie, quaquaverſum, & ad utrorumque fatigationem, agitatîs. Fugam denique, tenebræ ſuperincumbentes; at prælii laborem, plena de *Transſylvanis* victoria, ſtitit: fuítque, qui diei finis, idem & cædium terminus. Ac *Cæſarianorum* quidem, centuriæ paucæ ceciderunt. *Bathorium* verò, ſuorum amiſsîs in acie *millibus undecim*, pariter & fortuna belli rurſus, & Transſylvania ſua, deſeruerunt. Eum, rerum omnium profunda deſperatio, longiùs aſportârat. Tum ſubinde, delectus ad effugium equus, magnîs ac feſtinatîs itineribus, ultrà Dacias, ad Mahometanas iterum (utì tum rumor erat) opes, ſed incaſſum implorandas, avexit. Illius verò caſtra, cum impedimentis omnibus, & ingenti tot

Michaël, Wallachiæ Waywoda.

militum ac gentium prædâ, capta ſunt ab Cæſarianis, ac direpta. Repertum in ſpoliis auri plurimum, argentíque, ſignatum; pretioſæ ſupellectilis, amplius; ænea tormenta bellica primæ magnitudinis, *quadraginta*; pedeſtrium equeſtriúmque ſignorum, *centum ac decem.* Hæc omnia, Cæſari Rudolpho, tanquam Victoriæ partæ nuntius ſimul, ac pignus, transmiſſa ſunt. Raptim indè, feralibus è campis, *Coloſvvariam* deductus victor exercitus. Defectoribus Transſylvanis, in militem, ſuî domitorem, trimeſtre ſtipendium, valido cum præſidio, juſſu Cæſaris, indictum; perfidiæ *nova* frænum *vetus*, ac ſæpe jam repetitum; ſed nunquam in ætatem efficax, & inconvulſum. Tributum interim indictum ii, quibus mandatum fuerat, imperiîs ſeverîs exegêre. Nam puduit, Toties triumphâſse de Transſylvanis *bellô*, Cæſareos; de Cæſareis contrà, *perfidiâ* Transſylvanos.

XXXI. MAGNA fuit, eô prælio, *Michaëlis VVayvvodæ*, cunctiſque conſpicua, fortitudo; nec impar manui conſilióque ſucceſſus. ſed, ex hoc ipſo, (malum, fœdúmque!) vehementer aucta mentis *inſolentia*; *bonorum omnium animi décorum intoleranda labes.* Cùm enim

enim *VVallachus*, & jam dudum antehac, & noviſſimè nimis perfidè, cum exteris poteſtatibus iniſſet adversùs Cæſarem ſocietates; tum id, à poſtremæ victoriæ tam felici fluxu, facere multò ſtudioſiùs in animum induxit. Itaque Byzantino cum tyranno, cum Polonis Zamoſcianis, & barbarie Tartaricâ, populîs, nuperrimè ſibi victis, pérque litteras, pérque legatos, & coràm, agitare cœpit; quibúsnam viîs ad *Daciarum trium* ſupremum, nec Cæſari ſtipendiarium, dominatum, aliquando demum aditum ſibi, Petraſcóque filio, compararet. *Georgium* interim *Baſtam*, utì ſemper antehac, ità tunc quoque, gravem ambitionis ſuæ cuſtodem, & obſervatorem, haud abs re ſuſpicatus; cum inimiciùs multò, quàm unquam aliâs, infenſabat. Idem, & crudelitate cœpit, ſupra leges humanas, & adversùs omne fas, graſſari. Cùm enim ſibi perſuaſiſſet; *Transſylvanos*, toties jam intrà *quinquennium unicum*, dominis ac fide mutatis, exempla noviſſima meritos; & gloriæ ſuæ, tantopere nuper confirmatæ, nullam contrà putaret aut invidiam ituram, aut interceſſuram potentiam; ſic ſe, ſuæq; mentis innatam ferociam inſtruxit, ut, in capiendis ab gente victâ pœnis, omnem

K 5

Michaël, Wallachiæ Waywoda.

omnem atrocitatis libidinem, ſummam putaret licentiam. Ergo, *Dux* hucuſque *milésque*, memorandus in paucis, immani ſuppliciorum conſuetudine, quam exercendam ſuſceperat, *Gladiatorem* & *Spártacum* quendam, ne dicam, *carnificem*, repræſentare cœpit. Præ cæteris autem, in *dedititios*, ut quemque victoris iræ cauſſa probabilis, improbandáve, per verum aut calumniam, objeciſſet, diriſſimè flagrîs, fuſtuariô, ſtrangulatione, gladiis, ac ſecuribus, & per rotas crurifragiîs, animadvértere; vivos, ac ſemíneces, incendere; quæque Tiberiana quondam immanitas fuerat, UT *SE* MORI SENTIRENT, interitu diuturno, ſuppliciiſque lentîs, excarnificare. Quibus omnibus auditæ pariter, inauditæque crudelitatis generibus, cum jam olim *Transſylvanorum* eſſet ab eo mens averſa; tunc, dolore præſentium, & ex longinquo revocatîs cruciatibus, alienari multò validiùs cœpit. Et quoniam, querelas *Dacîs* augentibus, etiam ſævitiam augebat *VVayvvoda*; nemine primùm intercedente (quippe *Baſtâ*, quoad poſſet, connivente): fiebat, ut atrocitatis invidia, ſermonum amaritudine volutata, paullatim non in *VVallacho* ſolo, tanquam *auctore crudelitatis*, hære-

hæreret; ſed in omne *Cæſariani* militis nomen diffunderetur. In hunc igitur univerſum, ſine diſcrimine, *Dacorum* exſecrationes, ac diræ volitabant. *Cæſaris exercitus*, tribuni, duces, in odio jurato Transſylvanis univerſis erant: &, quidquid *Ductor* peccabat *unus*, id infamabat *omnes*.

XXXII. HOC, ut erat, ità meritò quoq; viſum eſt, intolerabile Cæſaris ſupremo legato, *Baſtæ*; viro, non moderato minùs, quàm forti: nec in patranda victoriâ magìs ſtrenuo, quàm, in uſu victoriæ, temperanti. Cuj proinde tam aſpera juris exercendi ratio, miſerationem hinc quidem in *Transſylvanos*, omnibus calamitatibus circumventos; indè verò ſtomachum, movit, in oppreſſorem *VVayvvodam*. Sed prudenter interim, ſic dolendum ſibi *Baſta* de Dacorum ærumnis cenſuit; ut *viâ* tamen, inter utrumque vitandorum, *mediâ* progrederetur; quâ neque miſerorum cauſſam habere neglectui videri poſſet; neque *Michaëlis VVallachi*, tot gloriosè geſtorum participis, amplitudinem imminuiſſe. Conventum igitur à ſe *VVayvvodam*, in tabernaculo, monet potiùs, obſecrátque, quàm arguit increpátque; *Poneret aliquando modum ferro:*

Michaël, Wallachiæ Waywoda.

ro: poneret reorum, ac multò magìs inſontium ſupplicio, limites & temperamentum. Turcarum iſtos eſſe, Tartariæq́ȝ, mores; non, mitiſſimo Chriſti jugo ſubjectarum mentium. Sic Otomannidas agere reges; & ideò, tyrannos. Sic Scythiæ Chamos, ac Tamerlanis poſteros; & idcirco, belluas veriùs, quàm homines; latronúmque potiùs capita, quàm gentium ſuarum agminúmque Duces. NEFAS eſſe, cruoris, extra juſtam aciem profuſi, torrente, vel commaculare manum, vel oculos hilarare: cædibus præſertim ac laniena capitum ejuſmodi, quibus divini fontis eſſet lavacrum ſuperinfuſum. Fœdiorem eſſe, quavis ingenti ſtrage, victoriæ talem gloriam; quam, poſt campum quoque, multus in foro ſanguis inundet. Ad imperii Chriſtiani majeſtatem pertinere; non magìs armorum invictam potentiam, quàm animorum temperantem comitatem. Orabat præterea Baſta; *Faceret aliquando finem clandeſtinorum, cum Byzantino monarcha, fœderum; omitteretque, vel ſerò tandem, illas cum hoſtibus Chriſtiani nominis, & Imperii, colluſiones; per litteras hucuſque, pérque legationes, & nuntios, frequentatas: quæ machinationes, nec ſe, neque Cæſarem, diutiùs, propter crebritatem, latére poſſent. Meliùs de VVallachia VVayvvoda meri-*

meritum Rudolphum eſſe , quàm, ut illius beneficia perfidus debeat Mahometes intercipere. Plura quoque nomini ſuo famæq; debere VVayvvodam ipſum; quàm, ut illum deceat, eam inutilî, fœdâ, perniciosâque defectione, manibus propriîs deſtructum ire. Fidus igitur (ad ſummam!) Deo, fidelis Cæſari, placidus victis, ac memor humanæ ſortis, eſſet.

XXXIII. HÆC, ab optima profecta mente, *Baſtæ* verba, vehementiùs ſuperbum *VVallachi* pectus perſtrinxerant; quàm, ut vel diſſimulatione ſubdolâ vulnus animi ſupprimeret; vel impotentem mentis furorem in opportunitatem differret. Itaque, ſine mora, militaritérq;, prorumpens; *Quis, malum!* (inquit) *vel Baſta mihi Rudolphos, ac Cæſares, vel Rudolphus mihi Baſtas, ac monitores, adducit? In malam rem! ad corvos, cum his importunis Areopagitis! In tribus Daciarum provinciis, periculô meô repreſſis, fortitudine meâ perdomitis, victoriâ meâ ſubjugatîs, audet eſſe; qui mihi Clementiæ (ſi Superis placet), qui prudentiæ, qui ſocietatum ac fœderum, leges præſcribat? qui dominandi tractandíque limites, ac rationes, præfiniat? Apage, Baſta! vel, ſi, quod imperes, occurrat; Tuis impera: nos miſſos fac, qui*

noſtrîs

Michaël, Wallachiæ Waywoda.

noſtrîs in rebus, noſtráque manu ſubactîs terrîs, non modò Baſtam ſupra nos neminem, ſed neque Rudolphos ac Cæſares ullos, agnoſcimus. In ſuo quiſq; cœlo, non alieno, Juppiter eſt. Quæ profatus, temulentæ vir inſaniæ, de colloquio ſe proripit in penetrale; *Baſtam*, tempori furoríque prudenter cedentem, monitorum irritum, & confuſum, deſtituit. Is igitur in caſtra ſua, tentoriúmque, reverſus, plura tum non addit: ſed, modeſtâ diſſimulatione, conſiliis maturioribus, & occaſioni ſuæ, negotium omne reſervandum, decernit. Cunctis deinde ſecum meditatiùs, ac velut per otium, expensîs; vocat ad concilium, è ducibus ac tribunis, eos, quos *Cæſari* præ cæteris fidos, ac *VVayvvodæ* facinorum conſcios, nôrat: ne, ſi ſolus in re tanti ponderis aliquid ſtatuiſſet, ſuæ potiùs iracundiæ, quàm auctoritatis Cæſareæ, rationem habuiſſe videretur. Hos ergo, contumaciam docet, & verba, ferocientis *VVallachi*: ſpretam *Imperatoris* majeſtatem; conculcatam Legati dignitatem; omni vexatam immanitate Transſylvaniam, ringitur, atque miſeratur. Conclamatur ab omnibus; Coërcendam eſſe rigidâ cuſtodiâ *VVayvvodæ* tam effrænem inſolentiam. Quòd ſi detrectet etiam-

etiamnum; viribus agendum, & armîs. Idem & Baſta placere ſibi, declarat; *Quem enim rebellionis manifeſtiorem eſſe, quàm eum, qui Cæſaris à Legato? vel defectionis, qui per contumeliam verborum, ab ipſo Cæſare? vel tyrannidis, qui per miſerorum quotidianam carnificinam, ab omni penitùs humanitate, diſcedat? & id ipſum* ſuô ſe jure facere, *glorietur?* Quare, de conſilii ſententia, contumaci captivitas; aut repugnaturo, mors decernitur.

XXXIV. ADERAT octavus decimus, à Calendis Auguſti, victoriâque glorioſâ, dies; *Agapéto*, martyri Præneſtino, ſacer: cùm Baſta *Michaëlem* ad ſe, non tam vocat, quàm humaniter invitat. Prætentui ſumptum; *Super intricato belli negotio, capiendum conſilium. In eo, VVayvvodæ noſcendam eſſe, de difficultate ſuperandâ, mentem.* Utque fidem inveniret evocantis oratio; non viator, apparitórve conſuetus, nec de ſatellitibus aliquis, aut prætorianis, ad eum; ſed ſpectatioris ordinis ac familiæ nuntius adhibetur: quò, tum res tota minùs haberet ſuſpicionis; tum plus dignitatis invitatio. Recuſat primò *VVayvvoda*; pertinaciâ jam altùm obfirmatâ. Quem nihiloſecius evocator urgere perſeverat: & ad

Michaël, Wallachiæ Waywoda.

ad extremum (poſteaquam pervicacem videt) ſicut in mandatis habebat, *imperiô Baſtæ, juſſúq;*, refragantem adurget: ídq;. *Cæſaris* interpoſito nomine, cujus *Legatus* eum accerſat. Sed eâ viâ non modò non flexit hominem; verùm graviùs etiam exaſperavit, frementem: *Imperiis agi ſecum ab iis, quibus in ſe juris nihil ſit.* Quæ continuò renuntiata *Baſtæ*, coëgerunt, ad extrema remedia virum fortem deſcendere; poſtquam mitiora locum non repeiiſſent. Ratus igitur, veniſſe tandem, & abrumpendæ diſſimulationis ulterioris horam, & aſſerendæ majeſtatis imperatoriæ tempus: *Eburónum* vexilla duo, totidémque *Germanorum*, de promptiſſimis, expedit. His, ad *VVayvvodæ* tabernaculum dimiſſis, mandat, ut eum comprehendant; *Imperatoriæq; majeſtatis* aſſerendæ ſtudiô, ſuum omne periculum neglectui ducant. Nec miles ſegnis, imperatum exſequitur. At *VVayvvoda Michaël*, armis & multitudine *Baſtæorum* conſpectâ; divinans ex merito conſcientiáque ſuâ fatorum imminentium tempeſtatem, ni confeſtim obviàm iret: ingenti ſublatô clamore; *VVallachi, VVallachi*! (gentilem militem advocans) *adeſte celeres*! ingeminat. *Vis, hoſtis, interitus, immi-*

immunent! Simul, has inter voces, acinace nudatô, de centurionibus Germanis alterutrum, infeſtus, ac medium diſſecturo ſimilis, incurſat. Sed cum, in deſtinata pleno jam impetu ruentem, *Eburónum* quidam, *haſtâ bipennî* prævertit: percuſſúmque vaſtô, per utrumque latus & coſtas eunte, vulnere transverberat. Mox alii, ſuper alios, *Eburones, Germaníque*, nullo diſcrimine, ſuperirruunt: ac ſtrato, ſeminecíque, de cervicibus caput avellunt; & ad *Baſtam*, adhuc in concilio ſedentem, geſtæq; rei cum cæteris exſpectatione ſuſpenſum, deportant.

Tumultus, inter hæc, & clamor, & armorum raptus, à *VVallachis*, in auxilium à Duce ſuo citatîs. Fit ab his concurſus, ad tabernaculum illius. Fremere, conſpectâ *VVayvodæ* cæde, fureréque, miles omnis *VVallachicus*, & in ultionem rapi: bacchari vocibus inſanîs; poſcere cauſſam, & peccatum, ac necis auctores. Inter quæ, tanquam fervidô mari, cunctîs turbatîs caſtrîs; haud animi conſiliíque, quàm armorum, & minarum militarium, imbellior *Baſta*, furentibus in tempore ſuperveniens: *Vanos hos eſſe*, clamat, *& imperitos arcanorum, manifeſtorum verò ſcelerum*

Michaël, Wallachiæ Waywoda.

increduloſ, clamores. Ponerent aliquantiſper rabiem: ſopirent tumultum; intermitterent verborum tumorem, ac pectorum: &, dilatô gladiorum furore, Ductoris ſui, quem cecidiſſe, tantopere ſtomacharentur, præclaram innocentiam audirent. Poſtea demum, ſi cauſſam cædis factæ nemo prudentibus approbaret, in gladios & vindictam proſilirent. Ægrè ſilentium, ac patientia, ſed tandem tamen, eſt impetrata.

Tum *Baſta*, pro concione militum orſus diſſerere: *VVayvvodæ Michaëlis* efferam, in miſeros Transſylvanos, ac pluſquam Otomannicam, immanitatem producit; per tot inſontium ſupplicia, tormentáque, vagatam: quam exaggerare verbîs, neceſſe non ſit; cùm deditìtiorum quotidianîs mortibus, ac lanienis, omnes paſſim Daciarum campi valléſque natent: ruptæ fidei Cæſareæ, ſpecioſô quidem, ſed ementitô ſanguinarióque titulô. Quam tamen ipſam fidem cùm nemo mortalium omnium priùs graviúſque, quàm oſtentator & vindex illius, violaverit; (quippe, citra diſſimulationem jam omnem, omni Cæſaris obſequiô convulsô, modíſque multîs ac nefandis clam ac palàm ejuratô;) quid adeò mirandum eſſe, tot inſontium homicidam aliquando tandem

dem ſublatum è medio; *læſaq; majeſtatis* juſtas pœnas expendiſſe, *majeſtatis* olim *juratum aſſertorem*? Cùm præſertim æquiſſimum, jure populorum ac naturæ, ſit Catonianum illud; UNUMQUEMQUE *pati legem eam, quam aliis ipſe tulerit.* Quòd ſi tamen (etenim agmina *VVallachorum* conferta, tanquam ad nondum liquidum crimen, etiamnum adfremebant) æmuli cujuſpiam calumniâ potiùs quàm æquitate cauſſæ, *VVayvvoda* ſuis videatur inſimulatus, ac cæſus: ſi privatò potiùs inimici ferrô, quàm *Auguſtiſſimi* culminis auctoritate publicâ, credatur inauditus ad pœnam fuiſſe tractus; aures ad ulteriora præberent, &, quæ reſtarent, ſinè turbis ac tumultu perciperent.

Poſt hæc, docet, *Michaëlis* cum *Mahomete Turcâ*, cúmque cæteris, Imperio pernicioſis, gentibus regibúsque, vetera fœdera. proponit *Rudolphi* Cæſaris, adverſùs perfidum, mandata: narrat, proximas in ſe, multóque magìs in *Majeſtatem Auguſtam*, jactas à *VVayvvoda* contumaces voces, & rebellionis aperta claſſica. Denique, quanquam ipſe, quídnam ſecretorum hucuſque *VVayvvodaa* ſcrinia clauſiſſent, inquirere parùm laborârit (utpote, manifeſtiſſimorum plus nimiô conſcius,

 ac

Michaël, Wallachiæ Waywoda.

ac ſatur): ſe tamen, cum illis unà, nunc ſtatim in rem præſentem venturum. Quæ cùm dixiſſet *Baſta*: ſimùl arculas in medium afferri, ciſtelláſque, mandat, epiſtolarum cuſtodes omnium, aut plerarumque, quotquot ad *Michaëlem*, per complures retrò menſes & annos, à diverſa manu, commeârant. In his erant nonnullæ, recentiſſimè perlatæ compoſitæque. Poſtquam autem palàm reſignati faſciculi ſunt, & in omnium conſpectu litteræ poſitæ: tum, *Baſta* mandatô, Wallachorum, Eburonum, ac Germanorum ſummô ſilentiô, cunctæ per ordinem, & articulatâ, claráque voce, recitabantur. Summatim, ex iis, ingens perfidiæ *VVayvvodaa* dedecus ac ſcelus aperitur: cum *Mahomete* Turca, cum *Chamo* Tartaro, cum *Zamoſcio* Sarmatâ, cum aliis denique quibuſdam, adversùs *Rudolphum* & *Auſtriacos* inita, conſilia, plenáque fallaciæ machinamenta: quæ cuncta neceſſariò, niſi *VVayvoda* priùs ſanguine deleta forent (ut fuerant) cnm univerſæ quondam Germaniæ lacrymis, in lucem erant exitura.

XXXV. TUM enimverò cuncti, primi verò, qui tumultuati tantopere modò fuerant, *VVallachi*, Waywodæ Ducis ac gentilis ſui,

ſui, fœdam & inexſpectatam exſecrati perfidiam, conclamant; *Ritè Baſtam, & ordinè feciſſe; cùm de capite tam pernicioſo, more majorum militari, ſupplicium ſumpſerit. In crimine maximo manifeſtiſſimóque, non modò nihil præfeſtinâſſe judicem; ſed, è diverſo, lentum potiùs, ac pæne plus æquô tardum, ſeſe præſtitiſſe. Se verò, ſi tantorum facinorum ad ipſos vel odor ac ſuſpicio minima perveniſſet, nihil populis ullis conceſſuros in ultione fuiſſe: ſed, omnium primos, conjuratione populari, progreſſuros ad ſuæ gentis labem, & opprobrium abolendum; auctore trucidatô.* Neque dixêre fortiùs iſta *VVallachi*, quàm ipsîs continuò factîs oſtendêre. Namque *Michaëlis* cadaver, diem ſolidum, nullo neque ſuorum, nec exteræ gentis militum, officium ei ſupremum præſtante, reliquerunt inhumatum; prætereuntium omnium vel oculîs, vel maledictis, configendum. *VVallachorum* inſuper eorundem pleríque, tametſi *VVayvoda* morte, Baſtæque bonâ veniâ, miſſione donati; balteum tamen, & militiam *Rudolphi* Cæſaris, ultrò reſumpſerunt; fidum deinceps, & inſigne, militiæ *Baſtæ* robur.

Cæſarem hæc interim, per diſpoſitos nunciata, non tam gaudio perfuderunt è re proſperè

Michaël, Wallachiæ Waywoda.

ſperè geſtâ; quàm mœrore lancinârunt, è tanti viri Ducíſque funeſto fatô. Quæ tamen acta ſunt; utut erant, eum, ſicuti metu præſentium exſolverunt, ità providentiâ deinceps in caſus, ac Duces futuros, armârunt.

XXXVI. HUNC igitur habuit vitæ, per variam fortunam exactæ, finem, *Michaël, VVallachiæ VVayvvoda*: Vir, bellîs ac præliis inclytus: conſiliorum obſcurus, & pravus: animô, moribúſque, divinæ magìs, quàm noſtræ cenſuræ, forô diſcutiendis. Quem *Duo* potiſſimùm peſſum dedêre. Ferocia *primùm* barbarica: quæ diu, plebejas potiſſimùm in cervices, per culminis licentiam impunè diſtricta; tandem ipſum in auctorem eſt impacta: *lanteôque* pede ſubſequentem ſe *vindictam*, pæne ſenſit priùs excepítque, quàm proſpexit. magnum utique, formidabiléque *furioſis poteſtatibus*, ſive togatis, ſive paludatis, monimentum. In hoc namque lucet; EOS, qui cum *Joabo* priſco, cúmque *VVayvvoda* recenti, balteo ſuo ſanguinem alienum circumferunt; propriô denique coloratum iri: Ferróque tandem perituros eos, quicunque ferrum citra jus & æquum diſtrinxerint. ALTER Waywodæi præcipitii gradus fuit;

Omnia

Digitized by Google

Omnia concupiſcens, & ſemper altiora ſuâ ſorte meditans, mentis ELATIO: Quam (oro) non tribuni modò, ducéſque, legatíque militares, ſed, quotquot in aliquo faſtigio ſunt, etiam ipſi gentium ac regnorum apices, evitare ſtudeant: velut animorum & gloriæ certiſſimam ruinam, ac naufragium. Cæterorum namque vitiorum pleraque, vel mortales *viritim*, tanquam contra rem ſuam venientia, repellunt à ſuo capite; vel Deus ter opt. max. veluti cœlo repugnantia, *divitiis* odiîs inſectatur. SOLAM *arrogantiam* & *Ambitionem immodicam*, etiam ſummis in verticibus, mortales pariter & immortales deteſtati; gravibus, ac repentinis, inſolentium pœnarum inſultibus, æternum in caſum protrudunt. Ità fit, ut, qui per omne vitæ ſuæ ſpatium, pléraque *ſummam per injuriam* geſſit; *Juſtitiæ* tamen hanc *unicam* in interitu laudem reportet: quâ, teſtimoniô mortalitatis publicô, qui bene nunquam *ſtetit*, dicatur tamen *jure*, quàm optimô, *cecidiſſe*.

TESTIMONIA.

(*a*) *Ovidius lib. 4. de Ponto, elegiâ 9. cujus hi ſunt verſus.*

Michaël, Wallachiæ Waywoda.

Præfuit his, Græcine, locis modò Flaccus; & illo,
Ripa ferox Iſtri, ſub Duce, tuta fuit.
Hic tenuit Mœſas gentes, in pace fideli:
Hic, arcu fiſos, terruit enſe, Getas. *&c.*

Neque mirum, hæc Ovidio comperta: qui, Tomitanam tunc, inferioris Mœſiæ, Pontiq; lævi, partem, VVallachiæ, hoc eſt, Getarum regioni, oppoſitam, Danubii duntaxat undis interpoſitis, exul incoluit. Ejuſdem porrò Pomponii Flacci *meminit etiam Cornelius Tacitus Annalium lib.2.* (*b*) *Jodocus Hondius, Geographus, in tabula VVallachiæ.* (*c*) *Laurentius Beyrlinck, operis Chronographici Tom.2.* (*d*) *Idem, eodem tomo, anno 1595 ubi & de* Tergoweſta. (*e*) *Laur. Beyrlinckh, anno 1594. parte, ſeu Tomo 2. citato.* (*f*) *IV. Aprilis ponit Beyerlinckh. At Joannes Baptiſta Beſardus, Veſontinus, diem ejuſdem menſis VII.* (*g*) *Joann. Baptiſta Beſardus.* (*h*) *Joannes Marius, Friſingenſis, in Chronico, Monachii impreſſo.* (*i*) *Beyerlinckh, Civis & Canonicus Antuerpianus, tomo 2. operis Chronographici, anno 1599.* (*k*) *Joan. Baptiſta Beſardus, pag. 149. editionis Colonienſis.* (*l*) *Idem Beſardus.* (*m*) *Laurentius Beyrlinckh: qui non niſi 5. millia numerat.* (*n*) *Beſardus & Beyr-*

Beyrlinckh. (o) *Jodocus Hondius*, *in tabula Transſylvaniæ*, *Atlantis minoris*, de Ciculis. (p) *Vide Beſardum*, *&* *Beyrlinckh*, *anno* 1599. (†) *Turcarum tyrannum; Byzantii, ad Boſphori Thracis fretum, habitantem.* (q) *Jodocus Hondius, in Transſylvania, circa finem.* (r) *Joann. Marius Friſingenſis*, *in Chronico.* (s) *Idem Marius*, *ibidem*, *pag.* 264.

Cætera, quæ notata per litteram, parentheſi clauſam, non ſunt; conſenſu tradunt, tum hi, quos adduxi modò; tum P. A. Janjonius Tomi 7. libris 24. & 25. Henricus Spondanus, Appamiarum Epiſcopus, Baronianæ Continuationis tomo 3. ſuis queq; annis. Continuator Sleidani, ex Jacobo Auguſto Thuano, Botereio, Beutero; Parte 3. libro 7. & alii complures; inter quos & Joann. Cluverus, in Epitoma: ſed Catholicorum rebus ferè ſemper infenſius; & obtrectans.

Ad Effigiem hujus VVayvodæ quod attinet: exhibet paullò diverſam à noſtra, & galeritam, Hieron. Ortelius. Noſtram, turbinato pileo, ſemiq; Turcicam, proponit Dominicus Cuſtodis, in Iconibus celebrium virorum, in forma folii.

ad extremum (poſteaquam pervicacem videt) ſicut in mandatis habebat, *imperiô Baſtæ, juſſúq;*, refragantem adurget: ídq;, *Cæſaris* interpoſito nomine, cujus *Legatus* eum accerſat. Sed eâ viâ non modò non flexit hominem; verùm graviùs etiam exaſperavit, frementem: *Imperiis agi ſecum ab iis, quibus in ſe juris nihil ſit.* Quæ continuò renuntiata *Baſtæ*, coëgerunt, ad extrema remedia virum fortem deſcendere; poſtquam mitiora locum non repeꝛiſſent. Ratus igitur, veniſſe tandem, & abrumpendæ diſſimulationis ulterioris horam, & aſſerendæ majeſtatis imperatoriæ tempus: *Eburónum* vexilla duo, totidémque *Germanorum*, de promptiſſimis, expedit. His, ad *VVayvvodæ* tabernaculum dimiſſis, mandat, ut eum comprehendant; *Imperatoriæq; majeſtatis* aſſerendæ ſtudiô, ſuum omne periculum neglectui ducant. Nec miles ſegnis, imperatum exſequitur. At *VVayvvoda Michaël*, armis & multitudine *Baſtæorum* conſpectâ; divinans ex merito conſcientiáque ſuâ fatorum imminentium tempeſtatem, ni confeſtim obviàm iret: ingenti ſublatô clamore; *VVallachi, VVallachi*! (gentilem militem advocans) *adeſte celeres*! ingeminat. *Vis, hoſtis, interitus, immi-*

immunent! Simul, has inter voces, acinace nudatô, de centurionibus Germanis alterutrum, infeſtus, ac medium diſſecturo ſimilis, incurſat. Sed eum, in deſtinata pleno jam impetu ruentem, *Eburónum* quidam, *haſtâ bipennî* prævertit: percuſſúmque vaſtô, per utrumque latus & coſtas eunte, vulnere transverberat. Mox alii, ſuper alios, *Eburones, Germaníque*, nullo diſcrimine, ſuperirruunt: ac ſtrato, ſeminecíque, de cervicibus caput avellunt; & ad *Baſtam*, adhuc in concilio ſedentem, geſtæq; rei cum cæteris exſpectatione ſuſpenſum, deportant.

Tumultus, inter hæc, & clamor, & armorum raptus, à *VVallachis*, in auxilium à Duce ſuo citatîs. Fit ab his concurſus, ad tabernaculum illius. Fremere, conſpectâ *VVayvvodæ* cæde, fureréque, miles omnis *VVallachicus*, & in ultionem rapi: bacchari vocibus inſanîs; poſcere cauſſam, & peccatum, ac necis auctores. Inter quæ, tanquam fervidô mari, cunctîs turbatîs caſtrîs; haud animi conſiliíque, quàm armorum, & minarum militarium, imbellior *Baſta*, furentibus in tempore ſuperveniens: *Vanos hos eſſe*, clamat, *& imperitos arcanorum, manifeſtorum verò ſcelerum*

L *inere-*

Michaël, Wallachiæ Waywoda.

increduloſ, clamores. Ponerent aliquantiſper rabiem: ſopirent tumultum; intermitterent verborum tumorem, ac pectorum: &, dilatô gladiorum furore, Ductoris ſui, quem cecidiſſe, tantopere ſtomacharentur, præclaram innocentiam audirent. Poſtea demum, ſi cauſſam cædis factæ nemo prudentibus approbaret, in gladios & vindictam proſilirent. Ægrè ſilentium, ac patientia, ſed tandem tamen, eſt impetrata.

Tum *Baſta*, pro concione militum orſus diſſerere: *VVayvvoda Michaëlis* efferam, in miſeros Transſylvanos, ac pluſquam Otomannicam, immanitatem producit; per tot inſontium ſupplicia, tormentáque, vagatam: quam exaggerare verbîs, neceſſe non ſit; cùm dedititiorum quotidianîs mortibus, ac lanienis, omnes paſſim Daciarum campi valléſque natent: ruptæ fidei Cæſareæ, ſpecioſô quidem, ſed ementitô ſanguinarióque titulô. Quam tamen ipſam fidem cùm nemo mortalium omnium priùs graviúſque, quàm oſtentator & vindex illius, violaverit; (quippe, citra diſſimulationem jam omnem, omni Cæſaris obſequiô convulsô, modíſque multîs ac nefandis clam ac palàm ejuratô:) quid adeò mirandum eſſe, tot inſontium homicidam aliquando tan-

dem

dem ſublatum è medio; *læſæq; majeſtatis* juſtas pœnas expendiſſe, *majeſtatis* olim *juratum aſſertorem*? Cùm præſertim æquiſſimum, jure populorum ac naturæ, ſit Catonianum illud; UNUMQUEMQUE *pati legem eam, quam aliis ipſe tulerit.* Quòd ſi tamen (etenim agmina *VVallachorum* conferta, tanquam ad nondum liquidum crimen, etiamnum adfremebant) æmuli cujuſpiam calumniâ potiùs quàm æquitate cauſſæ, *VVayvvoda* ſuis videatur inſimulatus, ac cæſus: ſi privatò potiùs inimici ferrô, quàm *Auguſtiſſimi* culminis auctoritate publicâ, credatur inauditus ad pœnam fuiſſe tractus; aures ad ulteriora præberent, &, quæ reſtarent, ſinè turbis ac tumultu perciperent.

Poſt hæc, docet, *Michaëlis* cum *Mahomete Turcâ*, cúmque cæteris, Imperio pernicioſis, gentibus regibúsque, vetera fœdera. proponit *Rudolphi* Cæſaris, adversùs perfidum, mandata: narrat, proximas in ſe, multóque magìs in *Majeſtatem Auguſtam*, jactas à *VVayvvoda* contumaces voces, & rebellionis aperta claſſica. Denique, quanquam ipſe, quídnam ſecretorum hucuſque *VVayvvodaa* ſcrinia clauſiſſent, inquirere parùm laborârit (utpote, manifeſtiſſimorum plus nimiò conſcius,

Michaël, Wallachiæ Waywoda.

ac ſatur): ſe tamen, cum illis unà, nunc ſtatim in rem præſentem venturum. Quæ cùm dixiſſet *Baſſa*: ſimùl arculas in medium afferri, ciſtellásque, mandat, epiſtolarum cuſtodes omnium, aut plerarumque, quotquot ad *Michaëlem*, per complures retrò menſes & annos, à diverſâ manu, commeârant. In his erant nonnullæ, recentiſſimè perlatæ compoſitæque. Poſtquam autem palàm reſignati faſciculi ſunt, & in omnium conſpectu litteræ poſitæ: tum, *Baſſa* mandatô, Wallachorum, Eburonum, ac Germanorum ſummô ſilentiô, cunctæ per ordinem, & articulatâ, claráque voce, recitabantur. Summatim, ex iis, ingens perfidiæ *VVayvvodæ* dedecus ac ſcelus aperitur: cum *Mahomete* Turca, cum *Chamo* Tartaro, cum *Zamoſcio* Sarmatâ, cum aliis denique quibuſdam, adversùs *Rudolphum* & *Auſtriacos* inita, conſilia, plenáque fallaciæ machinamenta: quæ cuncta neceſſariò, niſi *VVayvoda* priùs ſanguine deleta forent (ut fuerant) cum univerſæ quondam Germaniæ lacrymis, in lucem erant exitura.

XXXV. TUM enimverò cuncti, primi verò, qui tumultuati tantopere modò fuerant, *VVallachi*, Waywodæ Ducis ac gentilis ſui,

ſui, fœdam & inexſpectatam exſecrati perfidiam, conclamant; *Ritè Baſtam, & ordinè feciſſe; cùm de capite tam pernicioſo, more majorum militari, ſupplicium ſumpſerit. In crimine maximo manifeſtiſſimóque, non modò nihil præfeſtinâſſe judicem; ſed, è diverſo, lentum potiùs, ac pæne plus æquô tardum, ſeſe præſtitiſſe. Se verò, ſi tantorum facinorum ad ipſos vel odor ac ſuſpicio minima perveniſſet, nihil populis ullis conceſſuros in ultione fuiſſe: ſed, omnium primos, conjuratione populari, progreſſuros ad ſuæ gentis labem, & opprobrium abolendum; auctore trucidatô.* Neque dixêre fortiùs iſta *VVallachi*, quàm ipsîs continuò factîs oſtendêre. Namque *Michaëlis* cadaver, diem ſolidum, nullo neque ſuorum, nec exteræ gentis militum, officium ei ſupremum præſtante, reliquerunt inhumatum; prætereuntium omnium vel oculîs, vel maledictis, configendum. *VVallachorum* inſuper eorundem plerique, tametſi *VVayvodæ* morte, Baſtæque bonâ veniâ, miſſione donati; balteum tamen, & militiam *Rudolphi* Cæſaris, ultrò reſumpſerunt; fidum deinceps, & inſigne, militiæ *Baſtæ* robur.

Cæſarem hæc interim, per diſpoſitos nunciata, non tam gaudio perfuderunt è re proſperè

Michaël, Wallachiæ Waywoda.

Digitized by Google

ſperè geſtâ; quàm mœrore lancinârunt, è tanti viri Ducíſque funeſto fatô. Quæ tamen acta ſunt; utut erant, eum, ſicuti metu præſentium exſolverunt, ità providentiâ deinceps in caſus, ac Duces futuros, armârunt.

XXXVI. HUNC igitur habuit vitæ, per variam fortunam exactæ, finem, *Michaël, VVallachiæ VVayvvoda*: Vir, bellîs ac præliis inclytus: conſiliorum obſcurus, & pravus: animô, moribúsque, divinæ magìs, quàm noſtræ cenſuræ, forô diſcutiendis. Quem *Deus* potiſſimùm peſſum dedêre. Ferocia *primùm* barbarica: quæ diu, plebejas potiſſimùm in cervices per culminis licentiam impunè diſtricta; tandem ipſum in auctorem eſt impâcta: *lanceâque* pede ſubſequentem ſe *vindictam*, pæne ſenſit priùs excepítque, quàm proſpexit. magnum utique, formidabiléque *furioſis poteſtatibus*, ſive togatis, ſive paludatis, monimentum. In hoc namque lucet; EOS, qui cum *Joabo* priſco, cúmque *VVayvvoda* recenti, balteo ſuo ſanguinem alienum circumferunt; propriô denique coloratum iri: Ferróque tandem perituros eos, quicunque ferrum citra jus & æquum diſtrinxerint. ALTER Waywodæi præcipitii gradus fuit;

Omnia

Omnia concupiſcens, & ſemper altiora ſuâ ſorte meditans, mentis ELATIO: Quam (oro) non tribuni modò, ducésque, legatíque militares, ſed, quotquot in aliquo faſtigio ſunt, etiam ipſi gentium ac regnorum apices, evitare ſtudeant: velut animorum & gloriæ certiſſimam ruinam, ac naufragium. Cæterorum namque vitiorum pleraque, vel mortales *viritim*, tanquam contra rem ſuam venientia, repellunt à ſuo capite; vel Deus ter opt. max. veluti cœlo repugnantia, *divitiis* odiîs inſectatur. SOLAM *arrogantiam* & *Ambitionem immodicam*, etiam ſummis in verticibus, mortales pariter & immortales deteſtati; gravibus, ac repentinîs, inſolentium pœnarum inſultibus, æternum in caſum protrudunt. Ità fit, ut, qui per omne vitæ ſuæ ſpatium, pléraque *ſummam per injuriam* geſſit; *Juſtitiæ* tamen hanc *unicam* in interitu laudem reportet: quâ, teſtimoniô mortalitatis publicô, qui bene nunquam *ſtetit*, dicatur tamen *jure*, quàm optimô, *cecidiſſe*.

TESTIMONIA.

(*a*) *Ovidius lib.* 4. *de Ponto*, *elegiâ* 9. *cujus hi ſunt verſus*.

Michaël, Wallachiæ Waywoda.

Præfuit his, Græcine, locis modò Flaccus; & illo,
Ripa ferox Iſtri, ſub Duce, tuta fuit.
Hic tenuit Mœſas gentes, in pace fideli:
Hic, arcu fiſos, terruit enſe, Getas. *&c.*

Neque mirum, hæc Ovidio comperta: qui, Tomitanam tunc, inferioris Mœſiæ, Pontiq; lævi, partem, VVallachiæ, hoc eſt, Getarum regioni, oppoſitam, Danubii duntaxat undis interpoſitis, exul incoluit. Ejuſdem porrò Pomponii Flacci *meminit etiam Cornelius Tacitus Annalium lib.2.* (*b*) *Jodocus Hondius, Geographus, in tabula VVallachiæ.* (*c*) *Laurentius Beyrlinck, operis Chronographici Tom.2.* (*d*) *Idem, eodem tomo, anno 1595 ubi & de* Tergoweſta. (*e*) *Laur. Beyrlinckh, anno 1594. parte, ſeu Tomo 2. citato.* (*f*) *IV. Aprilis ponit Beyerlinckh. At Joannes Baptiſta Beſardus, Veſontinus, diem ejuſdem menſis VII.* (*g*) *Joann. Baptiſta Beſardus.* (*h*) *Joannes Marius, Friſingenſis, in Chronico, Monachii impreſſo.* (*i*) *Beyerlinckh, Civis & Canonicus Antuerpianus, tomo 2. operis Chronographici, anno 1599.* (*k*) *Joan. Baptiſta Beſardus, pag. 149. editionis Colonienſis.* (*l*) *Idem Beſardus.* (*m*) *Laurentius Beyrlinckh: qui non niſi 5. millia numerat.* (*n*) *Beſardus &*
Beyr-

Beyrlinckh. (o) Jodocus Hondius, in tabula Tranſſylvaniæ, Atlantis minoris, de Ciculis. (p) Vide Beſardum, & Beyrlinckh, anno 1599. (†) Turcarum tyrannum; Byzantii, ad Boſphori Thracii fretum, habitantem. (q) Jodocus Hondius, in Tranſſylvania, circa finem. (r) Joann. Marius Friſingenſis, in Chronico. (s) Idem Marius, ibidem, pag. 264.

Cætera, quæ notata per litteram, parentheſi clauſam, non ſunt; conſenſu tradunt, tum hi, quos adduxi modò; tum P. A. Janſonius Tomi 7. libris 24. & 25. Henricus Spondanus, Appamiarum Epiſcopus, Baronianæ Continuationis tomo 3. ſuis queq; annis. Continuator Sleidani, ex Jacobo Auguſto Thuano, Botereje, Beutero; Parte 3. libro 7. & alii complures; inter quos & Joann. Cluverus, in Epitoma: ſed Catholicorum rebus ferè ſemper infenſus; & obtrectans.

Ad Effigiem hujus VVayvvodæ quod attinet: exhibet paullò diverſam à noſtra, & galeritam, Hieron. Ortelius. Noſtram, turbinato pileo, ſemiq; Turcicam, proponit Dominicus Cuſtodis, in Iconibus celebrium virorum, in forma folii.

L 5 METRUM.

Michaël, Wallachiæ Waywoda.

COelite, *ſed fruſtra*, Michaëlis *nomine clarus*,
Cæterà Luciferi *moribus, atque gradu*;
Flacciadûm impoſitus, magnô pro Cæſare, terris,
Waywoda, *immensô ſumma tumore petit.*
Nec tamen Ambitio, *quamvis rotet omnia vectis*,
Votorum culmen, propoſitúmque, tenet.
Regulus, ac ſatrapes, regnum cidarímque procatur:
Nec cidarim ille tamen, jus neque Regis, habet.
Transſylvana, ſibi, natôque gerenda Petraſco, (1)
Sceptra petit: nec, quæ ſceptra petebat, habet.
Et Byzantinas (quem non movet Ambitus Orcû?)
Prenſat amicitias: nec, niſi crimen, habet.
Hinc, gladiatrici Threcem (2) *ſe oſtendere ſicâ*
Orſus; nulla tamen præmia Threcis habet.
Indomitum tandem domitrix latus haſta repreſſit!
Parcáque dixit, ovans; HOC gladiator HABET! (3)

NOTÆ.

(1) *Filius hic fuit Michaëlis VVayvvodæ: pro quo pater Transſylvaniam quoq., jure veluti quopiam ſucceſſionis*, petebat; *aut veriùs*, urgebat. (2) *Threces, e Thracica gente, cujus hodie gentis caput urbium eſt, & imperii, Conſtantinopolis; genus Gladiatorum, in arena componi ſuetum cum Mirmillonibus, laniſtarum genere Gallicano: cujus nationis &* Eburónes *olim erant, quippe Belgæ; qui* Wallónes *hodie nominantur. de quibus vide Juſt. Lipſium, Saturnalium libro 2. cap. 9.*

Michaël, Wallachiæ Waywoda.

metis, imperatoris Otomannici, ferocibus mandatis, *Baſſa Sérdaris* auſpiciis, *Veziris* autem ſatrapæ ductu, recepta; præſidiariorum, & incolarum, multâ cæde, nec exiguô rerum Chriſtianarum intertrimentô, ſub jugum Mahometanum revertitur.

II. In *Tranſſylvanis*, cùm *Sigiſmundus Bathorius*, ſuperioris anni præliô contuſus, *Biſtriciam* poſtea, Septentrionalis Daciæ perquam munitam urbem, cum plerâque gentis ſuæ nobilitate, ſeſe recepiſſet: *Georgii Baſtæ*, legati Caſtrorum Cæſarei, copiis, & obſidionis pertinaciâ, fractus; ſemet, & urbem, & omnia, victori permiſit: corporum duntaxat incolumitatem depactus. Gúmque, qui de nobilitate Dacicâ fortunas ſuas mœnibus extulerant, perfidiâ Baſtæorum militum, cupiditate prædæ flagrantium, contra jus eſſent, ac promiſſa, deſpoliati: *Næſenſtadium* (quo nunc vocabulo *Biſtricia* nominatur) fide ſollertiâque *Baſtæ*, quò minùs evaſtatione flammîsque deleretur, conſervatum eſt.

III. In inferiore Pannonia, dum noſtri, *Regalis Albæ* recentiſſimam jacturam redempturi, *Peſthum* oppidum capiunt, & *Budam* urbem adfectant; *Halys*, prætor Turcicus, Vezi-

nos magìs, quàm ſeipſum ſuóſque fatigârat. Præter hæc autem, *ſeditioſorum* quoque militum (quos *lucripetas* vulgus, ac *mentinantes* barbaria, vocabat), improbitate, densôque transfugiô, vexabatur. Cauſſam his turbis utrique prætexebant; quòd *ſtipendia* ſibi, fide minùs integrâ, *caſtrenſium quæſtorum* iniquitate, (temporibus alioqui noſtrîs haud rariſſimâ) perſolverentur. *Albertus* tamen, hîs tot incommodis ac difficultatibus ſuperior, obſidium *Oſtendæ* nihilô ſegniùs, & invictâ perſeveranciâ, continuabat: partim rebellibus ad officium reductîs, transfugíſque proſcriptîs: partim & operibus, quibus cladem reſtagnationes intulerant, reparatîs.

VI. *Mauritius* contrà *Naſſovius*, Batavicorum ordinum fœderatorum *archiſtrategus*, ut ab *Oſtendæ* circumſeſſione militem Albertæum abſtraheret, *Graviam* eſt aggreſſus: urbem, Quicciani limitis validam, ad amnem Moſam. Hanc obſidére, ſub medium ferè Julium, exorſus eſt. quam dum Arrágonum archithalaſſus, *Franciſcus Mendoza*, ſuîs, quas adduxerat, ſuppetiîs, eximere periculis expugnationis nequicquam adnititur; eam *Naſſovius*, ſub exeuntem ferè Septembrem, capit, & in-

& ingreditur; tolerabilibus latîs, acceptatíſque, deditionis legibus; & Hiſpanîs incolumibus emiſsîs.

VII. Apud Gallos quoque, novæ res. Ad oppidum enim *Turnonium*, in campis, qui non ità procùl Rhodanô procumbunt, *corniculárum* innumera multitudo, conflictu roſtrorum inimicô, cruentôque, concurrit; non ſine multa mutuâque partium clade; neque nullo futurarum belli calamitatum, in hominibus, oſtentô: cùm *Henricus* interim *Borbonius*, *Gallorum Rex*, duellorum pernicioſiſſimam licentiam, latîs ſeverè legibus, coërceret; propterea, quòd eam cerneret, quantumvis & olim jam à ſe vetitam, denuô revaleſcere, non abſque populoſô Gallicæ nobilitatis interitu.

VIII. Cæterùm huic *Regi*, ſuam ſuæq; gentis amplitudinem quotidianis incrementîs cumulanti, bellíque pariter, ac pacis, artibus proferenti; periculum, non hôc minùs annô, quàm antehac etiam, unde minimè timeri debuit, intentatum ferebatur fuiſſe luculentum; ſed tunc quidem intentantis interitu diſcuſſum.

Invidia tam audacis atrocíſque ſuſceptæ

cogitationis, *Carolum* gravavit, *Bironii Ducem*: qui, *Ducis*, ac *Paris* Franciæ, (velut ajebant ii, quibus improbabatur ille, non contentus titulîs, ac faſtigiîs; æquari paullatim & ipſi *Regi*, potentiæ gradibus voluiſſe, nonnullis exiſtimabatur: & ob id (quod mihi quidem haud omnino perſuaſum eſt, ideóque, pro comperto tradere, nefas arbitror) inſidias regio vertici comparâſſe. Quidquid id tamen fuit: *Bironius* quidem certè, crimen iſtud, impoſitum ſibi, nullîs à ſe malæ cauſſæ negationibus unquam ſatìs depulſum; nec lacrymîs demum, nec profuſione ſanguinis, ad plenum eluere potuit: capite miſerabiliter imminutus; ſed interim, majeſtatis imminutæ, nec apud illos quidem adhuc abſolutus, qui *reum neminem, niſi convictum*, carnifici dedunt.

IX. Multò feliciùs autem (quippe, pro Deo, religionéq;,) *Londini* Britannorum *Franciſcus Paghius*, & Hibernorum urbe, Corchæ, *Dominicus Colinus*, ſuſpendiô vitam, hôc eodem anno, ponunt; *Eliſabeta regina* truculentô contra *Catholicos* imperiô.

Mitiore quoque, quàm *Bironus*, fatô, Burdigalæ decedit in Aquitania, *Florimundus Remondus*, ſenator regius, ſcriptórque clarus: ac ſuîs,

Digitized by Google

ſuîs, ſuper hæreſum ortu progreſsúq;, monimentîs æternus. In *Germania* demum, Norimbergæ, Philippus Emmanuel, *Mercolius*, Gallicanæ gentis *Dux*, pleriſq; vulgò dictus *Mercurius*, bellicæ de Turcis repreſſis gloriæ, vitæ finem glorioſiorem adjecit; piè *mortalitatem*, & orthodoxè, conſummando: qua laude nunc *immortalis* eſt. (1)

TESTIMONIA.

(1) *Auctores horum, magno numerô, paſſim annales dant: eoſdémque ferè, quos poſt anni primi geſtorum epitomen ſuperiùs produxi. In quibus ſunt, Henricus Spondanus, Baronii continuator; Joan. Marius; Janſonius, & Emmanuel Metteranus.*

METRUM.

PRoximus à primo, portenta prioris iniquis
Inchoat auſpiciis ANNUS: & arma quatit.
Pannonis Alba, parùm Regali nomine ſepta,
Threjicii regis Marte recepta, gemit.
Biſtriciam dux Baſta rapit, Batoreia nuper
Pergama: Baſſam Halyen, raptor Helucce, ligat.
Sopitam aſtutâ Bellona Sabauda Genevam
Vi capit: at captæ, terga dat, atque gulam.

M 2 Oſten-

Anni Acta.

Oſtendam Albertus, Graviam Naſſavius, urgent:
Ille, ſibi palmam ſpondet; *at iſte,* trahit.
Cornicum, ad Rhodanum, denſis exercitus alis
Qui coit, alternâ prælia clade canit.
Interea, (*Gallæ fera* nobilitatis hirudo)
Regis ad imperium ſtrata, duella, *ſilent:*
Quæq; quater, *juvenum modò* mille (1) *hausêre, vadosè*
Sanguinis in reliquum parciùs amne bibunt.
Par Regi, Paribúsque *prior, ſi quæſiit eſſe,*
Bironus; *minimis redditur enſe minor.*
Quantò igitur meliore, Paghi, Coline, Remonde,
Cum Duce Mercolio, ſcanditis alta gradu?
Colinum, ac Paghium, ſua trabs; ſua penna, Remondum;
Mercolium, in cœlum, Martia criſta, levat.

NOTA.

(1) Quatuor *namq;* millia nobilium *Gallicæ nationis* juvenum, *brevi tunc tempore, ante hunc 1602. annum, duellîs, à jurgio cœptîs, interîſſe; Spondanus tradit, in hunc annum. unde, quiſnam* hirudini, *ſanguinis potrici, comparatum hunc digladiandi furorem, admiretur?*

APO-

Digitized by Google



Carolus Gontaltus.
DUX BIRONUS.

APOCOMMA I.

BIRONII DUCIS *ferale theatrum.*

I. CAROLUS *Gontaltus*, Gallus, Armandi *Bironi*, Francicæ militiæ prætoris, (quem *Mareſchallum* appellant) filius; poſteaquam pater, pro regis ac regni tutela fortiter dimicans, occiſus ab hoſtibus eſt, in ejus locum ſucceſſit; iiſdémque, quibus ille, multóque grandioribus, ornatus officiîs, titulîs, & honoribus; *Magiſter equitum* totius Galliæ præcipuus, *Sancti-Spiritûs Eques*, & *PAR Franciæ*, declaratus eſt ab *Henrico IV.* rege Galliarum. apud quem, ſicut pater ejus alter quodammodo *Parmenio* fuerat, ſic ipſe *Nicánor*, & *Philótas*, eſt habitus. Inſtitutô præterea *Bironiô Principatu*, cùm antea *toparchia* tantummodo fuiſſet; DUCIS appellationem, quâ pater caruerat, eſt adeptus: unà cum Burgundiæ-Gallicanæ ſupremâ præfecturâ; cúmque Coronæ, liliorum, purpuræq; regalis inſignibus, & opibus magnîs. In Regno, tantùm non omnia ſolus erat; omniáque poterat; aulæ regiæ juxtà, plebíque formi-

Dux Bironus.

dandus. *Procerum* proinde quorundam (quod nimiam potentiam plerumque ſequitur) è magnitudine ſuî, *dolor* eſſe ferebatur, & *Invidia*; ſed, ob *Regis* intimam gratiam, & criminationibus occluſas aures, in occulto muſſitanda.

II. *CAROLUS enim* (inquit ejus temporis bellorum ſcriptor) *miles erat, in paucis memorandus, & inclytus; atque, paucis ut abſolvam, hôc in genere laudis, regi pene ſolus tunc, æmulatione gloriæ, quàm ſimillimus: cujus & copiis præfectus, cum ſuprema poteſtate, tum alia quædam loca, tum noviſſimè quoque Breſſiam regionem, à Sabaudis detentam, Gallo-Francis reſtituit. Legatus præterea, magni momenti rebus inter reges componendis, in Angliam ſemel miſſus; quin & in Helvetiam, pluſquam ſemel: militaria peraquè, paciſque, mandata regia, ſollerter expedivit, ac proſperè: linguâ nempe, quàm armîs, haud impromptior.*

III. *Sed hic* (addit idem auctor, quem penès ſit fides) *vitæ ſolutioris eſt habitus. Literarum autem, & artium ingenuarum, non rudis tantùm in ſeipſo, ſed & in aliis utique, prorſus aſpernator. Et, licèt à puero, deincepsq; quoad vixit, Orthodoxam profeſſus religionem; parvi tamen pietatem faciebat. Ambitioſus inſuper,*

ſuper, & arrogans, ac rerum à ſe geſtarum intolerandus oſtentator: damnata quoque Chaldæorum-vanitatis artibus intentus erat. Quapropter, in res etiam futuras quærere ſolebat; prurigine divinationum tranſverſùm actus. Idem ipſe verò, La-finii quoque, (neſcio cujus, terræ-filii) pravîs abductus conſiliîs, moliri ſenſim res novas, ac regno pernicioſas, ferebatur: ſecretorum præſertim, cum Duce quodam exterô, colloquiorum infamiâ perſperſus; à quo Duce, ſpem nuptiarum filiæ, cum ingentibus promiſſis aliis, abſtuliſſe credebatur: ſi cogitata depactáque patraviſſet.

In crimen itaque tandem, & accuſationem, tentatæ proditionis, incidit: & hoc, ipsô La-finô, tum detegente, tum diem ei dicente; quin & arcaniſſima quæq; conſiliorum ejus ad Regem deferente.

De *Birono* ſic, quemadmodum retulimus, is, quem ſuperiùs ſubindicavimus, ſcriptor hactenus indulſit narrationi ſuæ; tradendo poſteris ea, quæ vera vel putavit ipſe, vel ab aliis putari credidit. Quibus nos, (utut habuerint ſeſe) quæ reſtant, adjicimus.

IV. Hic, *Henrici regis* imperiô, ſub hujus, quem percurrimus, anni medium Junium, captus,

Dux Bironus.

Digitized by Google

captus, & à Bellaquæo Fonte Pariſios raptus in arcem Baſtiliam; tametſi, quorum arguebatur, ea conſtanter negaret, ac pernegaret: inflexibilî tamen ad veniam, adversùs omnes pro reo ſupplicationes, Rege; Senatûs regii ſententiâ capitis damnatur: &, in arcis *Grevia* tandem areâ, Juliô jam exeunte, plectitur.

V. Qui porrò ſupplicium ſpectârunt; ii, de cæſi collo *fumum* obſervârunt; cum *cruore* pariter erumpentem, & *cæruleâ* fuligine luridum. Quô, quid utique notabatur aliud; quàm humanæ *nebula* vanitatis? Ac ſanè quidem, ipſa tota, degentium in hoc mundo, *Vita*, quídnam eſt aliud, Divô Jacobo judice; quàm, *Vapor, ad modicum parens?* Et, QUID MORTALIA SUNT OMNIA, *niſi fugitiva* SOMNIA?

METRUM.

QUem modò, tot clarum, ſpectârat læta, tropæis
Gallia, per terras, Oceanúmque, ſitis:
Quem Rex Borbonides equitémque, equitúmque magiſtrum,
Primorúmque caput juſſerat eſſe ducum:
Terrificos cujus faſces Burgundia; cujus
Vim, ferrum, & leges, Breſſia victa, tulit:
Anglia cuj faciles, & præbuit Helvetus, aures:
Celtica cuj prono pleraque flexa genû eſt:

Cujus

Cujus adoratæ libabant oſcula dextræ
Hi quoque, quos populi, DIs etiam æquat, honor:
Denique, torquatum cuj pectus; & arduus aurô
Frontis apex, ſolio proxima jura dedit;
Carolus *ille, chalybs Martis, loricáque Regis*
Altera, & armati ferreus umbo Jovis:
Is nunc, Martis opus viſus corrumpere Pacis
(*Si, quod* rumor *erat,* res *fuit,*) *inſidiis;*
Carnificis perit, ecce, manu! miſtúmque cruori (1)
Fumantem nebulæ *volvit in alta globum.*
Ora quidem dejecta, ſilent: ſed fumidus *indè*
Turbo, *ſatis linguæ, ſat, puto, vocis habet.*
Quid loquitur? Titulos, præturas, ſigna, triumphos,
Et ſolia, & primæ-claſſis amicitias,
Cuncta ſimul, Fumos, nebulam, nubésque, vaporémque,
Et ventum, atque umbram, & grande fuiſſe nihil.
Ergò tremant, qui ſumma petunt, à fulminis ictu!
Sunt propiora malo, quæ propiora Jovi.

TESTIMONIA.

(1) *De* vapore, *quem dixi*, fumido, ſubcæruleſcente, *ex cervice truncati Ducis prorumpente, Continuator quoque Slejdani; P. Janſonius libro 7. & Emmanuel à Metteren, hôc annô, cum aliis pluribus, memorant.*

Dux Bironus.

APOCOMMA II.

Henrici IV. Gallorum Regis, diſcipulus, in caſtris, ἀδίδακτος, Carolus, dux Bironius.

I. DE Macedonum regis, *Alexandri magni*, familiaribus bellorum ſociis, paſſim apud Græcos, Plutarchum, & Arrianum, diffuſiùs autem apud Curtium, ſcriptorem Romanum, utpote regis Alexandri geſtorum enarratores, ſcitu digna reperies. Inprimis autem, de *Philóta*, Philotæque patre, *Parmenione*, circa libri Curtiani ſexti finem, & ad ſeptimi principium, quæ voles, invenies.

II. Horum quandam nobis, *amicitiæ* ſimùl, *magiſteriique regii*, pinxit, ac renovavit, imitationis imaginem, *Carolus Gontaltus*; ſuperiùs jam deſcriptus, *Bironii* Dux: qui, quod apud Magnum Alexandrum *Philótas*, hoc apud Henricum Magnum, Galliæ Navarræque regem, ipſe fuit. Ac de *familiaritate* quidem, inter ambos, intimâ; res in aperto confeſſóque fuit, apud omnes.

III. De *diſciplina* verò, ſub hoc eodem Franciæ rege *bellicâ*, jactavit ipſe ſe *Bironius*, & gloriatus eſt; ſi verum eſt, quod ſuper eo, ſeu

ſeu rumor, ſeu malevolentia, ſparſerunt. Poſteaquam enim is datus in cuſtodiam eſt; ſupplicabundas ad regem compoſuiſſe litteras ferebatur; in quibus eum *Diſcipulatûs-Armorum* inſperſam feciſſe mentionem, narrabant, in hanc ferè formam. *Si vita ſibi gratia fieret; aut in Galliis ſe deinceps, aut, nuperrimô Mercœlii ducis exemplô, contra Turcas in Pannoniis, ſtipendia facturum.* ILLIC EA SE, QUÆ, tot per annos, IN MILITARIS ARTIS INSTITUTIONE regiâ PERCEPISSET, RE tunc IPSA, FORTIBUSQUE FACTIS, EXPRESSURUM.

TESTIMONIA.

Auctores hujus ſunt P. A. Janſon: tomi VI. librô 26. &, aliquâ ſui parte, Metteranus quoque. hiſtoria Belgica librô 21.

METRUM.

Aulæ Macedonicæ ſub Alexandro, & Gallicanæ ſub Henrico, nonnulla comparatio: Bironióque ſcientiæ medullam defuiſſe, conqueſtio.

Celtica Pellææ ſimilem, per plurima, formam
Aula aulæ (ſalvâ Religione) tulit.

Ma-

Dux Bironus.

Magnus, Alexander; Magnúsque (quis ambigat?) alter:
Alterutrô vix eſt iſte, vel ille, minor.
Rex Macedo Cráteros, Perdiccas, ac Ptolemæos;
Perdiccas habuit Rex quoque Celta ſuos.
Parmenio, Mácetæ nuſquam abſuit (ultima deme):
Nec tuus Henrico, Carole, progenitor. (1)
Tu quoque Borbonicæ, redivive Hephæſtio, dextræ,
DISCIPULUM tanti te canis ipſe ducis.
Grande artis decus hoc, Tantô didiciſſe Magiſtrô!
Sed pugili ad plenam *laus minor una* Rudem *eſt.*
Militiæ, atque Scholæ, cum Parmenione Philótas,
Quippe rudimentum debuit eſſe tuæ.
Quorum tu quoniam neglêxti ediſcere caſus (2),
Indocilis *ſéqueris funera* diſcipulus.
NIL prodeſt *igitur,* magnô *didiciſſe* magiſtrô;
Et promôſse nihil. VITA, magiſterium eſt.
AD Vitæ *quiſquis potuit, fideíque probatæ,*
Fingere ſe leges; ſe *ſatis* ipſe docet:
Nec ferulas gladiúmque cuti, capitíve, timebit,
Qui ſcit, ſpontè manum tollere de tabula. (3)

TESTIMONIA, & NOTÆ:

(1) *Caroli Gontalti, Bironii Ducis patrem,* Armandum Bironum, *inter omnium fidiſſimos fortiſſimóſque, Henrico IV. Gallorum regi, navâſse operam; bella, tam extera, quàm civilia, pro eo ſemper ſtrenuè felicitérq; geſta, docuerunt: teſtibus, Spondanô, in Continuatione Baronianâ, tomô 3. Metteranô; & hiſtoriæ Gallicanæ condi-*

tori-

toribus. (2) *Uterque namque, Q. Curtio Rufo teſte, proditionis accuſati; crimen, ſeu verè ſibi, ſeu falsò objectum, interitu luerunt.* (3) *Vetus adagium: quo diſcipuli, interventum magiſtri, maturâ ceſſatione à ludo-interdicto, cautè prævertere monentur. Sic* Bironus, *regis Henrici iram, vitatione ſuſpectarum molitionum (ſiquas ſuſceperat) potuit, ac debuit, anteveniſſe.*

APOCOMMA III.

Ludovicus XIII. poſtmodo Galliæ Rex, Galliæ tunc Delphinus, & unius Infans anni; ſceleſtorum quorundam venenô, per lac nutricis, impetitus; incolumis evadit.

I. DEcimô quintô Calendas Julii, poſt Chriſtum natum milleſimi ſexcenteſimi ſecundi, quem nunc breviamus, anni; *Rex Galliarum*, *Henricus Quartus*, ad Divi Germani ſuburbanum Lutetiâ digreſſus eſt. Erat ibi tum, ſub nutricis curâ, *Ludovicus* filiolus, Galliæ Delphinus, & prima tunc, unicáque, regiæ Borboniorum ſucceſſionis ſpes: in quam & educabatur, præcipuâ parentum, & Ordinum univerſorum ejus regni, ſollicitudine.

Cùm

Ludovici XIII. nutrix.

Digitized by Google

Cùm igitur eô, quem dixi, die, rex in *San-germanum* veniſſet; reperit, paullilıô priùs, quàm intraret, accidiſſe, quod ne per umbram quidem formidârat: parvuli, putà, regis *nutricem*, de repentè ſub illum ipſum eſſe veſperum extinctam.

II. Cauſſa ſubitæ mortis fuit: quòd ei *mulieri*, ſeu quorundam Hugenottorum (ut nonnulli crediderunt) ſeu quæcunque conſpirantium alia, factio, peſtiferum ſerpentis ſuccum porrexerat, per addictas ſibi clandeſtinô conſilio, pretiôque, coquinæ manus & operas: quæ, venenîs imbutam, offam in nutricis prandium intulerunt. Hoc nempe perditæ fraudis genus arripuerant, quicunque demum auctores illius fuerunt; non tam, ut in *Alcuménam* illam lactantem, quàm, ut, per ejus latus ac mamillas, in *Herculis* puſilli vitam, graſſarentur.

III. Sed enimverò fœmina, Galliarum ſaluti, ſucceſſioníque regiæ, quàm veneficorum-conatuum ſpei, fidelior, (& ideò, vel ob hoc ipſum digniſſima, cujus *nomen* annalis hiſtoria non ſuppreſſiſſet); cladem pueruli, regníque latiorem peſtem, antevertit. Simulac enim conceptum viſceribus toxicum animadver-

vertit; ipſa, ſui jam exitii certiſſima, cavit, ne malum hoc idem & *Delphinus* incurreret. *Inhumanitate* proinde *clementiſſimâ*, quantumvis inhiantem ſibi, lactis ductu tractúque confeſtim infantem arcuit. In hunc ergo modum *Ludovicus* puer, nutriculâ ſolâ ſalutem prodigente ſuam, incolumis ipſe *bono* publicô, *malum* evitavit. (1)

TESTIMONIA.

(1) *Tradunt hoc, P. A. Janſonius libro 26. & Emmanuel de Metteren, libro Belgic. 21.*

METRUM.

Quid tenerâ Lactis dulcedine blandius? almis
Quid lethale minùs, credimus, uberibus?
Quid nutrice piâ dedit indulgentius Æther?
Aut infantili pectore ſimplicius?
Et tamen, infectis altricibus, ecce, papillis,
Regulus *interitum quàm propè* Celta *bibit?*
Ac licèt hunc, (mammâ fidéque, piéque, negatâ,)
Vicerit; at, charæ funere, vita ſtetit.
Mamma perit: ſuperéſtque Puer, digniſſima curæ
Ætheris, ac Superûm non trivialis amor.
Te tamen interea, Fraus, ſolô innoxia caſu,
Nec Bezâ abſolvet judice, Secta *tua:*
Quæ, nimiùm progreſſa dolis, & fœdera turbas
Naturæ, & ſanctâ nomina vincta fide,

Quan-

Ludovici XIII. nutrix.

Quantum namque tuæ fuit in molimine technæ,
Quantum in conductâ Colchidos artis ope;
Rex-Infans, homicida ſui; nutricula, Circe;
Lac, pus & virus; mamma, lacerta fuit.

ANNUS M.DC.III.

ANNI M.DC.III. Geſtorum *SYNOPSIS.*

I. FLandria, tertium jam in annum obſeſſam, ſuæ regionis ac gentis urbem, OSTENDAM, admiratur: & haud immeritò. Vaſtatîs etenim, ac deſtructîs, iterum iterúmque, marinorum fluctuum & eluvionum violentiâ, bellicîs oppugnatorum machinîs; etiam munitiones, & valla caſtrorum, labem acceperant. Aliâ parte, *Fridericus Spinola*, Belgicæ claſſis-Archiducum ſummus prætor; navalî cum Batavis initô certamine, victus, profligatus, occiſus erat: cùm, inter hæc tamen omnia, non pertinaciùs *Oſtendani* ſua tutarentur;

tur; quàm Oſtendanos *Brabanti*, ſtimulîs *Alberti* concitati, premere perſeverarent.

II. *Tranſſylvaniæ* civitates, & gentes illæ, quæ pro *Sectariis* adversùs *Cæſarem* ſtabant, obſtinatæ rebellionis curſum, etiam hôc annô, tenebant: ſed, clade tamen potiſſimi ſuorum capitis, haud leviter interruptum. MOYSES enim ceciderat, CICULORUM (quos *Zeccléros*, ut alibi dixi, vulgus nominabat) anteſignanus, & furioſa flamma. Nam is, perfidiâ contaminatus *Arianâ*, rerum turbandarum irrequietum ſtudium, ac dominatûs occupandi *Catilinariam* cupiditatem, universâ paſſim *Daciâ* circumtulerat; & hoc, munitiſſimîs quibusque jam arcibus oppidíſque ſub poteſtatem ſuam redactîs, proſecuturus eſſe, viſus erat. Sed eum, hæc molientem, agentémque, *Georgius Baſta* demum, Cæſarianæ militiæ ſupremus, ut antehac, in Pannoniis legatus, compeſcuit: &, Wallachorum ſatrapæ, (qui, *VVayvvoda* titulô, Michaëli ſucceſſerat) *Rádulis* nomine, copiîs auxiliaribus adjuvantibus, furentem aggreſſus; cùm ſemel eum, iterúmque, præliô contudiſſet: ad extremum, milite, caſtrîs, ac vitâ, pariter exuit; capite deſectô.

N III. Tan-

Anni Acta.

III. Tantiſper autem, Hiſpania, Germaniáque, funebria faciunt *piis Manibus*, inclytæque memoriæ, *Mariæ*, viraginis *Auſtriacæ*; mulieris incomparabilis. Eam Valliſoleti, ſub hiemis exitum, vivis exemptam, multa, ſimùl ad ſandápilam appenſa, generis aviti, poſteritatisq; propriæ, fulgentia nomina condecoraverunt. In iis, maritus olim, Maximilianus II. Cæſar: Carolus Quintus Auguſtus, pater: Philippus II. Hiſpaniarum Indiarúmq; rex, frater: Rudolphus II. imperator, filius: & alii. Sed eandem nihil æquè nobilitavit; ac *mors* tandem, ſanctiſſimè, ſicuti *vita* priùs, obita: quam illa *vitam*, per *annos ſeptuaginta quinque*, ſummas inter caſuum varietates, maximis in virtutibus, animíque dotibus innumerabilibus, exegit. Verè! (ſi de cæteris ejus laudibus, compendii ſtudiô, ſileamus) veriſſimè, *Maria mater*, non duorum magis Cæſarum, Rudolphi, Matthiæque, ſucceſſoris ejus, & cæterorum Archiducum; quàm innumerorum Chriſti *fratrum*, & *ſororum*, hoc eſt, utriuſque *ſexus Pauperum*, exſpirârat mundo; vivebat cœlo.

IV. Sequitur *Auſtriacæ* mortem, in *Anglia*, mors *Eliſabetæ reginæ*; ſub ipſum verni tem-

temporis initium ad plures raptæ. Cujus *animam*, ſuus ex anteacta vita meritiſque locus; in regno verò *ſucceſſionem*, Mariæ Stuartæ filius, *Jacobus*, Scotorum *ſextus*, Anglorúmque nominis iſtius *primus*, Rex excepit. Hic, à limine ſtatim regni, Calvinianos quoſdam Anglos, *Gualthero Rhallécô* concitante, tumultuaturos, ſecuri ſubjectos, compreſſit; antè, quàm ad deſtinata pervenirent: quibus decretum erat, conjuratione factâ ſeditioſorum, *Arabellam* quandam, Caroli Stuarti, (regi Jacobo per cognationem adnexi) filiam, ceu patruô genitam, Anglis & Hibernis imponere; Scotô detrusô.

V. Porrò, *Thracia* quoque, ſub hunc ipſum, exiturum jam, annum, Conſtantinopoli tyrannum *Mahometem tertium*, Turcarum monarcham, è peſtilenti carbone decumbentem, & ipſo denique brumali ſolſtitiô ſublatum, ad *veterem* ablegavit *omnium majorum ejus ſedem*; Otomannidarum *paradiſum*. Quem eundem in locum, jam anteceſſerat, anni, quem percurſamus, Septembrium Calendarum nono die, *Xeriphus Hamétes*, aliis *Mulehamétes* dictus; & ipſe *Mahometanus*: Fezæ, Marocci,

Anni Acta.

Digitized by Google

rocci, Suſiæque, citerioris Africæ regnorum, ultra fretum Gaditanum, poſſeſſor.

Et *Mahometi* quidem, imperatori Turcarum, *Achmétes*; Haméti verò Mauritano, Buſſérus, ſuus utrique filius, ſubrogati: paternarum, apud inferos, pœnarum ſucceſſioni ſe ſtrenuè, flagitiorum ac tyrannidis æmulatione, præparabant.

METRUM.

GRadivô Oſtendam *propiùs pulſante Brabantô*, (a)
Et Baſtâ Ciculum perdomitante ducem;
Tertius Aularum-feretrum *ſe præbuit Annus*,
Claris atra vehens Fata cadaveribus.
Primam bruma cadens Máriam *trahit:* Auſtria *nomen*
Cuj dedit; & *ſplendens*, *Regia bina*, *genus*;
At Virtus, *cœlum*; *lacrymáſq;*, & *Juſta*, *Rodulphus*
Filius; *ac Matri filia*, *plebs inopum.*
Proxima fatalî quam lege ſecuta Britanna,
Diaûs antra, (1) *velut nomen*, Eliſa *tenet.*
Hujus regna capit, *Pictis* (2) *jam adnexa*, *Stuartus:*
Cuj fruſtra Arbellæ factio (3) *bella ſtruit.*
Maumetem Achmetes ſepelit, *Buſſérus Hameten:*
Hunc Mauris, *illum Thracibus*, *Orce*, *rapis.*
Namque, *quod Elyſium nemus his ſua Mecca* (4) *ſpopondit*,
Id nunc figmentum, *ſub Styge*, *grande vident.*
Heu, *vafra! quàm paucos ad Olympum*, *purpura*, *mittis?*
Auſtriaca (5) in portu eſt: *cætera buſta*, natant.

Nam,



Digitized by Google



Digitized by Google

Nam, Quod cujque libet, dum Rex facit; ipſe ſuúſmet
Hîc *Deus, hîc cœlum eſt: Styx, rogus, ardor, ibi.*

TESTIMONIA, ac NOTÆ.

(a) *Marte Brabanticô Archiducis Alberti. Virgil. Æneid. 3. poſt init:* Gradivúmq; patrem, Geticis qui præſidet arvis. (1) *De Didone (quæ &* Eliſa, *Phœnicum linguâ, dicebatur) reginâ Carthaginis, apud hypogæos abſcondente ſe in umbroſa ſylva, Maronem lege, 6. Æneid.* Inter quas Phœniſsa, recens à vulnere, Dido Errabat ſylvâ in magna — *& infrà.* Tandem proripuit ſeſe, atque inimica refūgit In nemus Umbriferum — (2) Picti, *pars incolarum olim Scotiæ; à Scotis hac tempeſtate dicti,* Phichtiaid: *pars Scotiæ, pro tota Scotia.* (3) Arabellam *hanc, dignitatis gradu,* Marchioniſſam *(ut vocant)* Anglicanam, *complures etiam* Arbellam, *a, ſecundô extritô, nominant.* (4) *Arabiæ Felicis urbs, ad Sinum Arabicum: ubi Mahometis pſeudopropheta ſepulcrum, & Alcoráni liber, paradiſi monſtroſi promiſſor, ſervantur.* (5) *Mariam Auſtriacam, cœlô receptam, ne pars quidem adverſaria, nedum Orthodoxi, ſuîs in Annalibus, perſuadere ſibi tergiverſantur: uti*

veſtigium hujus opinionis invenies, *etiam apud Slejdani Continuatorem Germanicum*, *hiſtoriarum libro nonô.*

APOCOMMA I.

Eliſabetæ, Angliæ Reginæ, mors, & funus.

I. ELISABETÆ, quæ poſt Eduardum VI. & Mariam ſororem, Anglis imperavit, *Vitam* diverſè partiti diverſi ſunt; *Camdenus Metteranúſque* cum ſuis, in *laudes*, frequenter fortaſſis immodicas; *Sandérus*, *Bombinus*, ac plures, in *vituperia*; ſuis auctoribus probabilia. *Mihi*, qui nec in hæc, nec in illas, deſcendere conſtitui, *Morbum* illius *ſupremum* ſolum, & *Mortem* cum *exſequiis*, reliquerunt. quæ, nihil in utramlibet partem *judicans*, aut *exénterans*; ſicut apud cordatos ſcriptores invéni, ſic proponam: è *cauſis* ultimæ *valetudinis* illius exordiô productô.

II. *Muliebri* quidem in *corpore*, ſed *animô* multùm *virili*, ſuæ valetudinis *robur* hæc *Regina* perduxerat, ad vergentem jam ætatem, adeò vegetum: ut, annum agens vitæ *quinquageſimum quartum*, negotiis adhuc operam daret,

daret, non modò *pacis* & *curiæ*, ſed *caſtrorum* etiam, atque militiæ; præſens ipſa, præcipiénsque, ſiquid difficilioris aut ancipitis operis expediendum incidiſſet. Itaque quo tempore, *Philippi Secundi* regis auſpiciîs, ductu verò Ludovici Pereſii Guſinanni, Medinæ-Sidoniæ Ducis, *Hiſpanica* claſſis illa celebris, & ingens, *Angliæ* propediem occupandæ plenîs velîs imminebat: ipſa (quod in annum Sæculi ſuperioris octogeſimum octavum incidit) ad dies aliquot Londinô relictô, claſſem *Eliſabeta* ſuam, potiſſimas inter regni curas ſuſcepit: quam, ad *Angliæ* ſtantem littora, ſub *Havardo Carolo*, cæteríſq; ductoribus, navibus Hiſpanorum oppoſitura, præſens ipſa, nec parùm alacris, acceſſit, & inſpexit. Incedebat autem diſcurrebátque, non infrequenter, & per littus, & per conſtrata navigiorum; ſingula quæque luſtrans, & obiens, *Amázoni* ſimillima: cinctu bellantium, & in ſupremæ Ducis habitum efficta; cum imperatorio ſcipione, purpureôque paludamentô, quaquaverſum volitando.

III. Poſt hæc, annos quoq; ſubſequentes, ad noſtratis uſque Sæculi principia, plerumque valida vigénsque, nec illibenter in vene-

Eliſabeta, Regina Angliæ.

nationibus, exegit: ſolita quoque paſci, non tam genialiter ac regiè, quàm utiliter, & ad valetudinis regulas expenſâ *diætâ*. Nam hanc in ætatis illo declivi, *vervecem* in dies ſingulos integrum, electúmque, lentâ decoctione colliquefactum, abſumpſiſſe, memorant. Et hæc quidem, longævi ſenii ſcrupuloſô ſtudiô. Sed ſanè, quid proficit, etiam coralliorum & unionum ſuccô medicô foveri *carnem*; ſi *triſtis* interim *Animus exſiccat Oſſa?* (1)

IV. *Triſtandi* porrò cauſſas cùm quàm plurimas *Regina* (ſi profundiùs in ſe deſcendere, quærereque, laboràſſet) inventura fuiſſet; in *unicum*, extremo tempore, *mœrorem* ſe totam effundere conſumereque maluit, quem ex *occiſi* cujuſdam *recordatione* concepit: poſtquam, neci datorum, aliorum cohortes integras oblivione deleviſſet. Fuit autem is, *Eſſexiæ* Comes; cujus regionis tractus ultra lævam *Tameſis* ripam in Septentriones, & à *Lea* flumine Germanicum ad Oceanum extenditur: inter meridianam cœli plagam, & Orientem. Is *Comitatus* eſt *Eſſexianus*: quem, qui proximìs ante Sæculum noſtrum annîs tenuerat, is, cum ejus ipſius exortu ſæculi, *Londini* manu carnificis occubuerat: ut in Actis Anni primi curſim

curſim meminimus. Ejus viri *caſum*, & *cadendi cauſſas*, nunc, tertiô pôſt annô, nonnihilô longiùs, & ex altiore protrahi, non parùm fortaſſis illi ſupremæ-neceſſitatis atræ-diei, quæ reginam *Eliſabetam* oppreſſit, lucis affundet. Id igitur agamus: & in hoc toti nunc ſimus.

V. Erat inter Anglos formæ flore, dignitate corporis, & oris facundiâ, mirificus, *Robertus* quidam *Devoreuſius*. Hunc, ob eas, quas dixi, naturæ dotes, & aulicam præterea morum elegantiam, è mediocri domûs paternæ fortunâ, *Regina* provexerat ad eum dignitatis gradum; ut, primis Anglicanæ nobilitatis inſertus ordinibus, *Eſſexiæ* denique *Comes* renuntiaretur. Ad hæc, in flagrantiſſima *Reginæ*, non modò gratia, ſed & familiaritate; poterat unus apud eam omnia: cum ea conſultabat, ac decernebat, omnia: præbuerátque, ſecretiſſimorum ejus omnium unicè particeps, æmulis *invidiæ* quotidianas faces; dicacibus, ſuſpicacibúsque, ſermonem; & famæ, paullatim garriendi libertatem, audaciámque, de futuris inter *Reginam* & *Devoreuſium* Comitem nuptiîs. *Quantò minùs enim* (ſiquis litem intendere matrimonio tali, ſuper *Imparitate* con-

Eliſabeta, Regina Angliæ.

ditionum, auſurus eſſet) *decuiſſe*; *Catharinam, Caroli ſexti, Francorum regis, filiam, Henrico Quinto, regnum Angliæ cum vita pariter exuenti, ſubſtituere Cornuvalliæ civem, Ovvénum Tiddérum, pannorum tonſorem? Aut, ejusdem Inſulæ regiam viduam aliam*, (2) *profeſſionis multò ſordidioris, pilicrepum? quàm Eliſabetam reginam, rege natam, juveni nubere; juventutis Anglicanæ flori: quem è Comite faceret Regem; quo jure feciſſet è privato Nobilem, è nobili nuperrimè Comitem?* Tantò minùs autem indécores *Eliſabetæ* nuptias has fore judicabant homines, in credulitatem præcipites: quantò majus ſubinde ſuperioribus *Eſſexii Comitis* ornamentis decus accedere cœperat, etiam è *militaribus* ejus *terrâ marique* geſtis; ac multîs, ſtrenuè factîs, Anglicanâ promotâ re publicâ? *mari* quidem; adversùs *Philippi regis*, cujus paullò ſuprà meminimus, *claſſem* Hiſpanienſem: *terrâ* verò, ſub idem ferè tempus movere res novas, pro veteris *Eccleſiæ* retinendâ religione, meditantem, *Comitem Tirænium* in *Hibernia* refrænando. Regem *autem* maritum, *&* reginam, *ex eo poſt aliquantò* matrem, *quid magis ornaturum; quàm, &* illum *ſceptrô gladiôque magnum, &* iſtam *utriusque propagatione*

Digitized by Google

tione fortunatam, prædicari? Populus hoc ſuſurrabat. Sed has omnes, ſeu res, ſeu ſpes, aut ſomniorum ſimulacra, fabuláſque, repentè demum (& incertum, an interpellatâ priùs ſuper his Reginâ) disjecerunt initæ palàm, inter *Eſſexium*, & *VValſingamiam*, nuptiæ. quas, *Regina* quidem *ingratiis* coaluiſſe, ſicuti facilè conceſſerim; ità, mox internecinis ejuſdem odiis infeſtatas, etſi tradat hoc *auctor idoneus*, tardè perſuaderi mihi ſiverim, ut ad liquidum per cuncta credam. Utcunque tamen traditum, & undecunque tandem hauſtum, id, cui non pénitus aſſentior, exſcribam magìs, quàm ſcribam.

VI. Erat nova Comitis Eſſexii nupta, genita *Franciſcô VValſingámô; virô, qui, non antè multò, propemodum omnia, ſecundum* Robertum *Cæcilium*, in aula potuerat. Tam igitur gratioſi nuper apud *Eliſabetam* Senatoris-Sanctioris filiam, decere viſum eſt; ut hæc, proximîs ab inito matrimonio diebus, *Reginæ* ſalutandæ, domûſque commendandæ gratiâ, ſeſe præſentem, ac venerabundam, exhiberet. Id illa facere, non diſtulit. Sed, ejus in Regiam introitu cognitô, prior obviàm îpſe *Regina* ferebatur; jámque ſummis propinquanti ſcalarum

larum gradibus, vultu ferox obſtans, acriter illius increpuiſſe nuptiarum audaciam. Nec eâ reprehenſione contentam, ajebant, inſuper (tanquam iras inter ſe, contentionémque *Zelótypam*, uno pro Jáſone, Medéa Creuſáque, duæ pariter uxores, exercerent) manibus demum impulſam *VValſinghamiam* abegiſſe; déque ſummo graduum ad ima, præcipitiô retrogradô dejeciſſe. Verùm, id primô *nemo* nôrit, aut fatebitur, eorum, qui cum Camdeno Metteranóque laudes *Eliſabetæ* compoſuerunt. Deinde, mihi quoque, quiſquis hæc occinuerit, tanquam lapidi cantabit; ac fabulam, volet, hiſtoriæ pondus obtinere: niſi narrationi ſuæ *teſtes oculatos* viros bonos advocaverit. Quis enim *VValſinghamiam*, credet, tanto, támque cæcô, retrorſum actam rotatámque caſu, præſertim in occiput; non ilicet eliſam? diſpersôque, cerebrô juxtà ſpiritúque, cadaver effectam? quam marito tamen *Eſſexio* ſuperſtitem, inferior narratio monſtrabit. Ad ſummam! de tota demum hac re, quod ſentio, candidè promendo: Si quid factum hujus generis, aut tentatum, adversùs *VValſinghamiam* eſſet; oportuiſſet, præter omnem regii culminis gravitatem, atræ bili plurimùm indulſiſſe,

ſiſſe, nec *ſuîmet potentem* tunc fuiſſe, totius alioquin Angliæ dominatricem: ac, præter hoc, *Semiramidis* Aſſyriacæ flammarum effrænium, etiam devexîs jam annîs, hæreditariâ contágo non penitùs caruiſſe. quorum ego neutrum unquam, ne ſuſpicari quidem, nedum affirmare, ſuſtinuerim. Sin horum nihil acciderit; neceſſe fuerit, impudentiſſimô *Reginæ* famam ac ſenium mendaciô commaculare conatum eſſe; quiſquis, aut Inſulæ civis, aut exterus, transmarino, quem indicavi, ſcriptori, viro cæteroquin orthodoxo, *fumum* hunc *laſerpitii* pro *ſuffitu thuris*, vendidit, & in calamum dictavit. Nobis, incredibilia non placent: ut, qui per compertiſſima quoque reverenter, ac pede non niſi prætentante, gradiamur. Id tamen interea non refutaverim; *Repulſam admiſſionis*, in penetrale regium, paſſam tunc *VValſinghamiam*, propter animum *Reginæ*, tempúsque, rebus aliîs diſtrictum. neque multùm contradixerim narrantibus; *Mœrorem, indè conceptum*, Franciſco, mulieris parenti, pòſt paullò *mortis* fuiſſe cauſſam. *MULTOS enim paſſim, non tam res occidêre, quàm rerum imagines, & eventuum ſiniſteriores interpretationes.*

VII. Utut interim iſta ſe, quæ transſcripſimus,

pſimus, habuerint: in ſeneſcentis magis ac magis pectore Reginæ, ſeneſcere paullatim & *Eſſexii familiaritatem* atque gratiam, deprehenſum eſt. Paſſa certè non difficulter eſt *Eliſabeta*; *Devoreuſium*, haud ità multò pòſt, *per cauſſam* quidem pacandi turbas Hibernicas, & quadam *honoris* novi *ſpecie*, revera tamen æmulorum artibus, ab aula Londinôque removeri: debellandíque *Tirœnii Comitis* negotio præfectum, procùl domô, peregrinis ſe periculis exponere. Tunc enimverò liberiorem jam, per ejus abſentiam, querelarum apud *Eliſabetam*, & calumniarum, aditum nacti, *Robertus Cacilius* (ut *Eſſexiani* ſpargebant,) Sarum Comes, ac cætera malevolorum in aula factio; coire crebrò, perdundíque viri conſilia miſcere: commentîſque fabularum, aliîs ex aliis, gratiæ favoríſque reliquias apud *Reginæ* credulas aures expugnatum ire. Summa virulentarum accuſationum erat: *Eſſexii Tirœniique Comitum*, non, qualis vulgò crederetur, vel ab iis præſeferretur, armorum *hoſtilitas*; ſed *prævaricatrix* inter ſeſe concordia; clandeſtina colloquia; promiſſa, conventiones, pactiones: ad *Hiberniæ* poſſeſſionem junctîs operîs occupandam; & occupatæ, pacificam inter ambos parti-

partitionem. Quæ miniſtrorum Regiæ, de *Comitum* utroque, murmura, ſinè ſtudio partium, & prudenter, inſpecta; vaneſcere cum aura ſtatim ipſa, primôque ſibilô, debuerant: ſi vel ſola nudáque *Religionum* in utroque *disparitas* expenſa ſereniùs fuiſſet. *Eſſexium* enim, *plusquam è grege* fuiſſe *ſectariorum*, finis monſtrabit. *Tirœnium*, è contrario, ſummè *Catholicum*; anni, pòſt ſecuturi, docebunt. At nihiloſecius tamen, compertîs hîs de ſe rumoribus, *Eſſexius*, tanquam revera ſuî purgandi non penitùs ſupervacua ſibi neceſſitas immineret; anni ſæcularis Octobri (3) properans in Angliam, comitatu modicô ſtipatus, à primo confeſtim in urbem ingreſſu, *Regina* (quæ Londini tunc agebat) petivit alloquium: & hoc, inermis; ac nullò, vel ſatellite, vel pediſequô, Regiam ingreſſus.

VIII. Cæterùm, Diei tunc *diluculum* erat: &, ſi vel *meridies* fuiſſet; *Regiarum* tamen (& quantò decentiùs, *Reginarum?*) diſciplinæ majeſtas exigebat: ne quis in penetrale, niſi per internuntiam operam impetratâ priùs facultate, pedem introferret. Quô tamen manifeſtum fieret omnibus, quanta quondam, adeóque nuper admodum, familiarita-

ritatis, & ad *Reginam* commeandi, fiducia, mósq;, viguiſſet apud *Eſſexium*: nobilium miniſtrarum nonnullæ, pro thalami foribus officii cauſsâ ſtantes, &, ut indicaretur, interpellatæ; negaverunt, Indicem adventûs ſui meliorem, ac Reginæ gratiorem, inventurum eſſe Comitem, quàm ipſúmmet, ſuîmet ipſius præſentem nuncium. Hujus, parùm expenſi, ſermonis audaciam, quæ præ cæteris auſtores fuerant, pars acerrimâ mox, per *Reginam* ipſam, caſtigatione verborum; pars verò poſtea dimiſſione, luerunt. Nec id adeò præter meritum. Tanquam enim ſuam ad Walſinghamiam Eſſexius, ſic in conclave, thalamo proximum, præceps irrupit ad *Reginam*; quæ temporis eodem articulo, lectuli quietíſque recens, ac tantùm non ſemiſomnis, à comptricibus amiciebatur, & ornabatur. At ille, vix idipſum ſatìs, præ ſtudio properationis ad venerationem, advertens; & ad *Reginæ* pedes in genua ſeſe dejiciens: ſuî defenſionem, adversùs iniquitatem delatorum, ordiebatur.

IX. Sed hujus primas ſtatim voces interrumpens illa (quippe, verbîs inimicorum ejus præoccupata jam, & altè defixîs in pectore machinationum *Eſſexianarum* ſuſpicionibus lanci-

lancinata) *Venis*, exclamat, *Venis, ad eripiendum mihi ſpiritum, ac regnum, inſidiator? nam*, *quomodo* ſalutator? *quo more? quo ritu? quo tempore? repentinus, inopinus, matutinus, ad ſemiveſtitam; ſalutatoris acceſſuri nec nomine præmiſsô; nec acceſsûs ipſius priùs exoratâ licentiâ? Quæ temeritas hæc, ſi non* ſicariorum *eſt?*

Eſſexius, inter hæc, fulminato ſimilis, & *Eliſabetæ* pedibus multò, quàm antè, profundiùs adſternens ſe; *per omnem ejus bonitatem, & clementiam, obſecrare, gemere, ſupplicare; Nequid ejuſmodi regina vereretur; neu tam altè malevolorum, adversùm ſe, criminationes in animum demitteret. Veniſſe ſe, velîs remîſque properantem, ex Hibernia primùm in Angliæ portum. ex hoc dein, equô veredariô, nocturnóq; curſu diurno curſui junctô, Londinum eodem illo, quo gererentur ea, diluculô; ſicut anhelitus doceret, ac ſudor. Cædis autem à ſe cogitationem tam procùl eſſe, quàm longè ferrum, ſclopum, telum, & comitatum: ſinè quibus* (inquit) *Tua me Majeſtas, optima Reginarum, intuetur.* (Et erat ſanè nudus horum omnium Devoreuſius; quod reginæ tamen oculos, offundente caliginem irâ metúque, fefellerat.) *In*

Eliſabeta, Regina Angliæ.

compendio denique ! ſupplex , & adorator, non parricida, vel ſicarius , hunc in locum penetravi, quò, plus juſtô-credulam, ſimplicitatem meam protruſerunt eæ, quæ ſtationem , ac præfecturam admiſſionum , in procœtône (4) *tuæ Majeſtatis obeunt.* Hæc ille. Quibus tamen excuſantis ſe verbìs, nihilô placatior, imò verò, depreſſe verbìs, nihilô placatior, imò verò, deprecari culpam pergentis obteſtatione ſtomachoſior; *Et illarum* (clamat Regina) *ſtultitia te protruſit : & tuamet impudentiæ vecordia præcipitem egit in penetrale noſtrum, qui domeſticorum ipſe , vel vicinorum tuorum , nemini concederes , adeò propinquum fieri conjugis tuæ cubiculo ; nedum ad ſemiopertam penetrare. Quapropter, ocyùs amove te ! Perductricibus illis tuis, quod meruêre, perſolvetur.*

X. Hìc miſer *Robertus* inexorabilem videns *Reginam* ; jámque non modò locum *Apologiæ* ſuæ de rebus *Hibernicis* nullum ſibi, ſed nec *veniæ* quidem noviſſimi tunc erroris relictum eſſe, deprehendens : ſurrexit tandem ex eo, quo jacuerat hucuſque regios ad pedes, pavimentô ; ſeſéque de, malè ſibi ſuæque conjugi fauſtìs, regiæ ſcalìs, cóncito gradu dejiciens , ædes ſuas repetivit ; mœſtus , ac multa queſtus, de *mulkercularum* , (*quas in conſilium*

lum nemo ſapiens admittit) infelicibus monitis auditîs. Citò tamen convocatîs in animum reparandæ gratiæ cogitationibus; in *Hiberniam* denuò, clanculúmq;, ſe proripuit: rerum illic ſuarum, ex præcepto Reginæ, ſatagere, totus, & acriter, intentus. Et verò, jam ſeſe probare famæ, judicibúſque, livoris-expertibus, in rerum ſui muneris adminiſtratione, cœperat. Quieviſſétque ſinè dubio potentis mulieris adverſus illum indignatio; ſi, Londinenſem apud Regiam, & regias aures, quieſcere malevoli potuiſſent. Sed hi ſcilicet in ejus Viri perniciem, duce Robertô Cæcilâ, (5) ſociare quotidiana conſilia non deſinebant: & (quod dictu nefandum), ubi facinus *Eſſexii* pravum non tenebant, indagine quærebant. bonum autẽ, ac ſimplex quodcunq; factũ, interpretatione depravabant. *Minorem, ac par eſſet, ſuæ ſalutis rationẽ habere Reginam.* (ajebant,) *ſi perſuaderi ſibi ſineret; Bonâ fide nuper ex Hibernia, tam inopinatò, tam inſciis omnibus, tam nullâ manifeſtâ cauſâ, Tirœnii conſcium & collocutorem, Devoreuſium reverſum: & è caſtris ad thalami fores, proſiliſſe. Quid verò; quòd, præter hæc, & ad imparatam, & nec præmonitam, nec prius appellatam, aut aſſentientem, irrupe-*

(5) Eliſabeta, Regina Angliæ.

ruperit? Quàm autem & pueriliter, & impudenter, à Viro militari culpam importunitatis in fœminarum conjici Senaculum; quarum ille nullam unquam antehac pluris, quàm quaſillarias, facere ſolitus eſſet: nec earum hortamenta majoris, quàm penſa, lanam, fuſos, & calathos, æſtimare? Latuiſſe profectò (ſiquis ſcrutari venientem, aut recedentem, auſus vel dignatus eſſet) *latuiſſe*, dicebant, *etiam apud inermem, Secretum aliquod, in caput ſalutémq; Reginæ, profundius, abſtruſius, inſidioſius. Ad occidendam ſemicoopertam, non Mentem parricidæ, ſed DEUM, defuiſſe: cujus dextra potentior*, Eſſexii *dextram feciſſet imbellem. Quòd enim & in genua procubuerit, & ad Tuæ Majeſtatis* (ajebant) *pedes jacuerit: arbitretúrne quiſquam*, Adorationem *id fuiſſe ſupremi faſtigii, potiùs, quàm, è cogitati facinoris pravâ conſcientiâ, divinitus immiſſam, animi membrorúmq; conſternationem? Primus ſuî carnifex eſſe cœpit ipſe; qui ſolus ſciebat intimè, quid tentáſſet, ac meruiſſet.*

XI. Hæc, & alia talia, ſæpe ſuſpicacibus & mulieris, & Regnatricis, auribus ingerendo, proceres illi, regnum tandem in ejus animo ſibimet ipſis fecêre credulitatis, ac perſuaſio-

ſuaſionis; ad quidvis, quod in *Eſſexium* evomeretur, imbibendum, & pro compertiſſimo tenendum. De *maledicorum* igitur, & *obtrectatorum* conſilio, ſucceſſor tandem *Eſſexio* mittitur in Hiberniam. Ipſe, rei bellicæ præfecturâ dejectus, in Angliam, ac nominatim *Londinum*, revocatur; ut is, in omnem molitionum ejus eventum, quò minùs nocere poſſent, in oculis *Reginæ* deinceps habitaret. Ut primùm eò rediit; quietiùs ei ceſſura cuncta videbantur: congratulantibus ei reditum compluribus; ideóq; vel inprimis lætantibus amicìs: quòd præſens posthac promptiùs, atque potentiùs, ora calumniantium compreſſurus crederetur; potiùs, quàm abſens (ſicut hucuſque) flagellandum ſe linguis eorum à tergo præbiturus. Inimici tamen ejus, hôc ipſo propinquorum illius, ac populi fautoris, plauſu, gaudióque, tantô magìs efferati; *præſentiam* nunc *Comitis* in crimen vocabant; velut novandis rebus, & querelis, ex abrogatione muneris ſeminandis, aptiorem; quàm ulla fuiſſet unquam *abſentia.* Summatim! tanquam *unguis in ulcere*, ſic illi criminatores in auribus animôque *Reginæ* fixi; variè, continuóq;, trahere, verſare, diſcerperéque, conſilia, facta,

Eliſabeta, Regina Angliæ.

ſermones *Eſſexii*, non deſinebant: donec hìs (*ut homines ſumus, quorum immodicè totiésque læſa patientia, denique furia fit*,) irritatus ille, jugum abrumpere voluiſſe viſus eſt. Ità namque *Reginæ* narrabatur: *Miſſos ad Comitem, ab ea, Curiæ-primores quatuor, ut, quid animo machinationibúsque ſuis agitaret, exquirerent: Quietem, an turbas, volveret? ab Eſſexio tacere* *juſſos*, & malo cavere. *mox & in conclave quoddam abſtruſos, oppoſitiſq; ſeris concluſos, exire vetitos eſſe; niſi trucidari mallent. Addebantur his, rumores, Eliſabetam magis adhuc, & profundiùs, penetrantes: Ex Arce ſua, quam magnificam, ac munitiſſimam, trans Tameſim Eſſexius haberet, eduxiſſe propinquorum ac fautorum, pluſquam ducentorum, inſtructam multitudinem. cum ea*, Londinum *more victoris ingreſſum; tota, quam longè protenderetur, urbe volitare. trahere poſt ſe populi turbidioris ingentem laciniam; imò* Synagogam, *novum Meſſiam, novum Iſraelis (hoc eſt, Angliæ reformatæ) regem: plebem atque gregem, balantium, aſſentantium, & vociferantium, non Oſannam.* (*) *nec Eliſam; ſed Robertũ Devoreuſium, ſed Eſſexiæ dynaſtam, ſed regni candidatũ. Hunc enimverò virum, hunc Heroëm eſſe, belli gloriâ conſpicuum,*

ſpicuum, imperioq́; dignum unicè; cujus dextera, non colum, non acum (ut Britannicæ reginæ) ſed gladium ac ſceptrum, uti Galliæ reges, geſtare nôſſet. Hæc, aliáq; talia, dici, clamari, fieri, nuntiabant: quibus prope propiùs futurum, ut, ad Eſſexium, Londinum omne deficiat.

XII. His, ſeu verè geſta ſic eſſent, ſeu geri ſimulata, reginæ ſignificatis; illa, jam non exterrita duntaxat, ſed penitùs extra ſe poſita, (quippe, quæ multitudinis animos *Eſſexio* totos mancipatos & addictos, exploratiſſimum haberet) ſimul è ſuis ad concilium advocat fidiſſimum quemque, qui ſeditionis ingruens periculum ratione diſpellant: ſimùl, præſidiîs circùm ſe Regiámque firmatîs, præconem in fora compitáque dimittit; qui *Comitem Eſſexiæ*, cum globo *factionis* ejus, *regni perduelles, ac regiæ læſæ Majeſtatis reos, declaret.* In quæ, per præconem publicata, proſcriptionis edicta, dilabente protinus, inſitâ ſibi mobilitate, vulgô; cùm ii, qui multitudines regebant, deferbuiſſe tumultum cernerent; totos, ad comprehendendum *Eſſexium*, ſeſe conferebant: quippe, ſolitarium jam, & præſidiô ſtipantium eum catervarum nudatum. Et hi quidem proximo propiùs deſtinata perfeciſſent. At il-

Eliſabeta, Regina Angliæ.

le, celeritate pedum melior, inſequentium manus effúgit: ínque ripa Tameſis ſiniſtrâ nactus lembum, ad arcem pervénit ſuam, de qua dictum paulò ſuperiùs eſt. In eam ſe, per poſtícum intromiſſus, recepit: quem in locum etiam ſuorum identidem numerum, ultrò confluentium, haud contemnendum, attraxit. Verùm, celeriter *Regina* densîs armatorum ſtationibus domum omnem circumdandam, bellicáſque Londinô machinas, ad eam quatiendam, attrahendas curavit. Hæ verò machinæ priuſquam in arcis conſpectu conſtituerentur: veritus *Comes*, non tam ſuum, quàm uxoris, ac parvorum liberûm, extremam calamitatem; arbitrio ſe *reginæ*, vinculíſque, cum ſuorum fideliſſimis, (*centum* fuiſſe, quidam auctor eſt,) ultrò permiſit, ac tradidit. *Sanguinis enim neceſſitudines, etiam Libertatis amori compedes injiciunt.*

XIII. Adductus verò ſub hæc *Eſſexius*, vinctus, in cœtum eorum, quos nôrat, eoſdem adversùm ſe conſpirâſſe ſemper, & tunc in caput ſuum dicturos eſſe ſententias: clarâ quidem proteſtatione, magnâque verborum contentione, *negavit; E norma Juris ac legum eſſe, Quemquam Judicum in eum ſedere, cujus ipſe*

ipſe juratus ſimùl hoſtis, ſimùl & criminum illius excogitator, delator, accuſator, ac teſtis, foret. Sed, explodentibus *Exceptionem* illam, (ut, in *crimine* tam *atroci*, cui patrocinari nulla jura poſſent, ac deberent,) & reclamantibus univerſis; *Robertô* verò præſertim Cæciliô, *Robertum* Devoreuſium probrîs, convitiis, ac maledictîs, premente: ſuccumbit demum *Eſſexius*, non tam æquitati tribunalium; quàm adverſariorum potentium implacabili conſpirationi; capitîſque condemnatur. Et hic quidem, omiſsâ tunc illius Hibernici, (tanquam planè ſpontè jam evaneſcentis) criminis dilutione; ſola poſtremi temporis acta purgare non ceſſabat. *Tractum poſt ſe ducentorum illud agmen, per Londini celebria loca; poſteáque collectam ſuorum pluſquam centuriam, in arce transamnanâ, quò ſecuritatis cauſâ confugiſſet: non mediusfidius ullum ſpectâſſe ſeditionis motum; minimè gentium verò, Reginæ, per armatos, oppreſſionem: ſed ſui tantummodo capitis, adversùs conjurationem Cæcilianorum, aſylum ac præſidium.* Quibus, (ſi verè talia judicibus viderentur,) paucis, ac noviſſimis, perperàm factis, oratione longâ facundâque *Devoreuſius* opponebat, ingens Album ſuorum antehac, in omne Regnum,

O 5 rectè

Eliſabeta, Regina Angliæ.

rectè ſalutiferéque factorum; in Reginam autem, officiorum: quorum promptiſſimam voluntatem ſe ne morte quidem eſſe finiturum.

XIV. Sed nihil hìs profecit. non apud Judices; qui *fatalis* in eum *aſtra* ſententiam pronuntiârunt: nec apud *Eliſabetam*, quæ ſupplicio ſubſcripſit. Ac nec à ſeipſo quidem impetrare miſer potuit; utì, (quod vehementer ab eo contendebant propinqui) ſupplicibus ad *reginam* codicillìs, aut deprecatoribus ablegatìs, vitæ longioris gratiam oraret: quam nemo dubitabat, exorabilem, dummodo *vellet ipſe*, futuram. *Noluit ipſe*; quòd diceret, *Poſtulationem incolumitatis, partem eſſe confeſſionis culpæ*: quam à ſe quidem (quidquid eſſet de ſupplicii ſociis; quos habiturus mox erat) & tunc eſſe procùl; & antehac item, eâ, quam ſibi quæſitores affinxiſſent, atrocitate ſemper abfuiſſe. Breviter! Annos, quos amici cuperent, Eſſexii vitæ prorogari, cupere vehementer *Eſſexium*, & hos, & hìs plures, vitæ Reginæ ſuæ ſuperaddi, prorogaríque, Sibyllarum in ævum. His impetrandis, *Aram* ſibi ſtare præparatam. ea, truncus erat *ilignus*, in quem incubiturus paullò pòſt reus erat. Ad hunc fuſìs utcunque diu, pro Regno reginâque precibus;

cibus; ei, quod dixi, robori caput imponens, aſciæque funeſtæ cervicem ſubjiciens; ictum excepit: & interiit.

XV. Illud interim, parti quidem ſpectantium uni, *miſerabile*; parti verò ſensûs ſanioris, *indignum miſericordiâ* viſum eſt: quando *Comes*, jamjam truncandus, & è Calvini diſciplina *Confeſſionis* delictorum *arcana* contemptor; in propatulo tamen multitudinis aſtantium. *Confiteor* (exclamavit) *tibi, DEUS, noſtrûm omnium ſupreme judex! Confiteor, in auribus oculisque tuis, univerſa delicta mea generatim. particulariùs autem, exſecrationes, & omnem aliam, aulica vita ſollemnem, impietatem, accuſo coram te.* Faſtum, ac ſuperbiam meam: fateor *ſtuprorum, & libidinum, petulantiam. aperio tibi, pecuniarum ac dignitatum immodicam cupiditatem, & ambitionem. Inprimis autem omnium, debitorem me Tibi profiteor, ac ſiſto. pro collata mihi divinitus Tuî notitiâ; tuique Verbi* (Calvinianas intelligebat Inſtitutiones) *claro lumine, mihi retectô. Spes hæc Salutis eſt, in ſinu meo repoſita. Quocirca, valeant, & à me procul abſint, Papicolarum illæ nugæ, debriáque; quibus felicitatem futuri Sæculi,* propriis bonorum Operum ſuorum meritis *inædificans.*

Eliſabeta, Regina Angliæ.

cant. Ego namque ſolius unius JESU Chriſti, nec ullius alterius, promeritis innixus confiſúsque ſemper, hinc excedo.

XVI. Sic ille, jam in procinctu ſtans Immortalitatis. Atqui, *Devoreuſi*! ne *Pontificii* quidem aliud *Spei* ſuæ fundamentum *autóphyton*, (*) & *primarium*, nôrunt; ídq; vel vivi, vel migrantes, arripiunt; quàm JESU, pro nobis, viventis ac morientis, labores atque *merita*. Præter FIDEM tamen *incorruptam*, etiam OPERA recta laudabiliáque, ſciunt, ac ſentiunt, ADULTIS eſſe *neceſſaria*; quoniam id omnes paſſim, veteris ac novæ Legis, paginæ clamant, & hortantur: ac, quia *Paulô* gentium Doctore teſte (6) „ *DEI filius* hic, cujus de *meritis* nunc loquimur, *ob id ipſum* hominem induit, & mundum erudivit: *ut* nos, *abnegantes impietatem*, *&* *improba deſideria* (quorum ſe *Devoreuſius*, ut retulimus, accuſavit), *ſobriè, juſtè, piéq; vivamus*, dum hîc verſamur: *ut*, *Spem beatam*, *&* *adventum gloriæ magni Dei*, non planè temerariè nobis exſpectare, contingat. Ad ſummam! hic finis, hæc mens, *Servatoris* Chriſti fuit, *ſemetipſum pro nobis dantis*, & exponentis lanienæ mortis: *Ut omnî nos ab iniquitate redimeret; &, ſordibus expia-*

piatum, redderet ſibi populum peculiarem,(7) SECTATOREM (8) BONORUM OPERUM.

Clara ſunt hæc, opinor, contra cavillationem *Eſſexianam*, qua *Pontificios*, etiam in morte jam, allatravit, *Pauli* teſtimonia. Quamvis equidem non admodum mirer; *Impietatis* (velut ipſe de ſe, ſuômet ſorex indiciô, fidem palàm omnibus fecit) *ſectatorem* Eſſexium, *Bonis* in *Operibus* conſtitutam fiduciam damnâſſe: quorum *operum* ipſe circùm ſe, vel nullam, vel admodum macram, reperiſſet ſegetem. *Quæ verò non habemus, aut in nobis habere bona fugimus; ea libenter in aliis, & ſcurriliter, aſpernamur.* Quòd autem à ſuorum nonnullis, illius publicæ *Confeſſionis*, de ſceleſta vita, plauſum fortaſſe tulerit; quid hoc, amabò! quid hoc, ad exſolutionem nexuum, illius irretitæ *Conſcientiæ*, contulit; ubi, *divinitus inſtituta*, præceptæque, *criminum accuſationis*, orthodoxus modus, ordo, vis, ſuccus, defuerunt? Quis ejus generis judicum illi præſtò fuit, quibus dictum in Apoſtolis eſt, *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis?* (9) Ubi cætera, tam arduum ad opus, vel in ſacro *Judice*, vel in Reo, requiſita? *Nugæ* ſunt ergò, *deliriáq;*, non ſanè *Bonorum* ſtudium *Operum*, ſed tales ſcele-

Eliſabeta, Regina Angliæ.

ſcelerum jactabundæ manifeſtationes; *Clavium* myſticarum effectu ſpiritúque deſtitutæ: ſoláque nudâ meritorum Servatoris mentione, ſpecioſâque Gratiarum actione, palliatæ. Quos tales, ſiquis eximios, unicóſque, cum *Eſſexio* judicare diceréque *Confeſſores* audet, & gaudet: ſi publica quævis criminum detectio, faciat *Exomologéſin expiatricem*: per me ſanè, Devoreuſium *ſcortationes* ſuæ faciant, *Virginem*! faciat & *aſcia* ſua feralis *Martyrem*; Cæcilianæis odiis, & non Chriſti pro legibus, immolatum!

Sed hæc per *Digreſſionem* dixerimus; quam, in loco temporéque, nec hiſtoriæ quidem compoſitores fugere ſolent, aut debent; auctoritate præſertim tracti ſummorum in hoc artificum, Salluſtii, Livii, Taciti, ſæpius exſpatiantium. Redeamus nunc in ſemitam.

XVII. Quæ dicta ſunt hucuſque, ſuper rebus *Eſſexianis*; ea geſta ſunt in *Annum* uſque noſtratis ævi *primum*: finitáque (ſicut alibi diximus), cum ejuſdem Anni *Catholicis Comitalibus*.

Ceterùm, non, ut *Alexandrum*, Philippi filium, Macedonem, *amici* ſui cædes, recenti re, mœſtum tenuit, ad uſque ſuîmet interimendi voluntatem; (10) ſic *Eliſabetam* Anglam, Henri-

Henrici Boleniæque filiam, ex intimè quondam charis interfectus, Comes Eſſexiæ, *Devoreuſius*, adeò turbavit: ut non aliquouſque, ſi minùs *gratum*, at certè quidem *ratum*, ſinè pœnitudinis indiciis, ejus ſupplicium haberet. Hujus rei conjectura quædam, vel ex eo duci potuit, quod ſubnecto. Miſſus in Angliam, ab Henrico IV. Gallorum rege, fuerat, ejuſdem illius anni, quo ſublatus è vivis Eſſexius fuerat, æſtivo tempore, *Carolus Gontaltus*, *Bironii Dux*: is ipſe, quem Annus, proximè præcedens, memoravit. Legatum hunc, cum grandi ſelectiſſimæ nobilitatis comitatu Londinũ, & Regiam, ingreſſum, *Regina*, ceu maximis ſuper rebus acturum, curatiſſimè recepit. Hujc ipſa, cùm, per arcaniora Regiæ circumducto, rariora quæque monſtraret, fertur (incredibile quidem dictu, ſed auctore non carens,) inter cætera *Roberti* quoque, *Comitis Eſſexii*, reſolutum carne, nervis, ac pelle, cranium exhibuiſſe. dein, hunc cum *Birono* ſermonem habuiſſe. *Quam hîc vides calvam, hoſpes; ea caput nuper fuit Eſſexii Comitis. Iſtum ego virum, ex inferiore fortuna, longè ſupra cæteros ſui cenſûs, evectum potentiâ. productum titulis ac magiſtratibus, auctum imperiis terrâ mariq;* mili-

Eliſabeta, Regina Angliæ.

militaribus, ditatum opibus, & immensâ pecuniâ; (quæ cadebant omnia tunc, & in Bironum Ducem, à Galliæ rege ſic ornatum,) *in meam regniq; mei perniciem, tanquam lupinum catulum domeſticas inter delicias, educâram: ſed in altrîcis exitium erupturum, niſi tempeſtivè prævortiſſem. Infandum dictu! ſed verum. Arrogantiâ paullatim, ac temeritate, progreſſus eò fuit; ut, contemptor omnium aliorum, ac muliebris præſertim dominatûs excuſſor, nihil ſinè ſe magnum crederet in regno, ne meâ quidem virtute, poſſe geri. Quem equidem hominem, ità promeritum, vere nuper ineunte, cum infamia, tam ipſius, quàm ſtirpis ejus ſingularî, ſupplicio Majeſtatis addixi. Cranium verò, memoriæ, juſtiſſiméq; captæ vindictæ ſolatiis, aſſervo. Quod meæ ſeveritatis exemplum, ſi quidam, notiſſimus tibi, Bironi, rex (heu! metuo ſaluti, capitiq; tanti Regis!) imitandum ſibi decerneret: dubiô procùl, compendioſiùs ſuis ille, ſuorúmq; fortunis, conſultum iret: &, quantùm pontanarum turrium mearum faſtigia* Londini, *tantùm illius quoque principis-urbium pinnæ culminaq;, ſuſpectæ-fidei-Prócerum defixîs capitibus, reniderent.* Dixit hæc, & finiit, Regina; *Semiramidææ* grandiloquentiæ non imperita; ſermonis

monis interim vatidici (ſi modò *reus* fuit) aculeîs in pectore *Legati* defixîs, & relictîs. *Anni* quidem certè, non amplius, quàm *unius*, inter hoc Reginæ præſagium, & Bironi ſupplicium, interceſſit ſpatium. Erat igitur eô, quo dicta ſunt hæc talia, progreſſu rerum. Comes Eſſexius, *ungue* (ſicut apparebat) *adamántinô* ſculptus in averſâ Reginæ memoria.

XVIII. Non multò tamen poſt hæc, velut exterrentibus eam Manium Eſſexianorum Umbrîs, (in Cranio, reor, habitantibus, ut in occiſa Matre Nero ſibi finxit,) agitari dolore mentis, & intemperiîs, *Eliſabeta* cœpit. Redibant in memoriam multa, quæ, vivo quondam exprobrata noxiáque, nunc mortuo (poſtquam odia deceſſerant, & ira detumuerat,) in cauſſæ patrocinium verterentur. *Antiquiſſima viri familiaritas: dotes animi, corporis, orisque, ſingulares: inimicorum in eum acerbitas: eorundem iniquitate præcipitata magìs, quàm ad leges expenſa, mortis ſententia. ſuimet ſpontanea potiùs, quàm expreſſa neceſſitate, deditio. carcer, & vincula, privato cujvis, nedum regni dynaſtæ, gravia probroſáque. moderatè Cæcilianæis inſectationibus, in conſpectu tribunalis, ei præbitum; quod alius eis maledicen-*

P *tiâ*

Eliſabeta, Regina Angliæ.

tiâ pari regeſſiſſet. Ad hæc; in morte conſtantia, militiæ duce digna: Reginæ perquam reverens, ad extremum uſque ſpiritum, mentio: dum viveret, ad ejuſdem pedes, in faciem quoque prona dejectio: cum fletu ſupplex, & miſera tamen irrita, deprecatio. demiſſa publicáq; ſcortationum etiam, ac cætera vitæ licentioris, confeſſio: gratus erga Deum, pro lumine Religionis, animus, & ſermo. Papiſmi denique, ſicut par fuiſſet, ante ſupplicium exſecratio. Super hæc, quæ tracta priùs in crimen, & cauſſam mortis, fuerant, apud ſeipſum animus *Reginæ* purgabat, aut extenuabat. *Cum* Tiroenio *miſcuiſſe colloquia* Comitem Eſſexium; *ſed pacificandi ſtudiô; ne rerum in Hibernia gens Hiſpanica, per cauſſam ſuppetias Catholicis ferendi, potirentur. Ex Hibernia Londinum, commeatu Reginæ neglectô, raptim advolâſſe. ſed id nempe genus excurſionis, non contemptûs fuiſſe, ſed* neceſſitatis *iter*; quæ leges impunè neſciret. *Irrupiſſe regiæ penetrale, ſed, afflictâ fortunâ protrudente; ſed, fatuô gynaceô lenocinante; ſed, veteris familiaritatis fiduciâ ſtimulos addente; ſed (ſummatim!) inermem, innoxium, opis indigentem; & ob id ipſum proinde, miſericordiâ digniorem, quàm furiis, & expulſione. Traxiſſe poſt ſe turbam;*

bam : ſed, amicorum, & proximarum neceſſitudinum ; ſed, domeſticorum, & clientium : ac, ſi populi quoque ſtudia ; datum id illi viro fuiſſe natura propitiîs aſtrîs , ut in quorumvis animos, etiam inſciens & réfugus, influeret : ac, ſi vel odiſſe cœpiſſet, amabilis tamen permaneret. Quot titulîs igitur ei parci potuiſſe : ſi non æquè, præceps ira, *ſimultáſque , quàm intemperans* Amor, *oculos mentium obnuberent ?* ſi non & Judices in eum *Cæci* ſediſſent?

XIX. Hoc *Eliſabetæ* dicterium in *Cæcilium*, præ cæteris, valebat ; qui tamen, non ſinè cæteris, *Eſſexium* condemnârat. Et hoc, ab eo temporis articulo, quo ſubire necati pœnitudo *reginam* cœperat, exprobrare *Quæſitoribus* illis capitalibus *Eliſabeta* non deſinebat: nec *quæſitores*, ſententiæ latæ præcipuum pondus , in *reginæ* voluntatem regerere ceſſabant. Sic ergò plerumque mentis *Iratæ* decreta , dum adhuc arbitraria ſunt , *ſanguine* ſcribuntur. poſtquam irrevocabilia facta ſunt , *oleô* lenîmus ; & *acta* , *cupimus infecta* , quando transacta jam fata ſunt. Pœnitet pudétq; , *mandâſſe* tam truculenta, quanta vel *emendâſſe tardè* , dedecus ſit ; & , quorum vulnerum ſanandorum, tametſi poſtea *voluntas* redivit,

Digitized by Google

tempus tamen effûgit. (11) *Contabuit* itaque præteritorum (ſed in *Eſſexium* duntaxat, eúmque ſolum,) decretorum geſtorúmque memoriâ *Reginæ*; conſtitítque certiſſimîs extremæ vitæ, quotidianíſque, notîs; ab exceſſu *Comitis* hujus, *pluſquam ſeſquiennio*, non colorem, non vultum, ſermonémque, mulieri conſtitiſſe. gemitus item crebros, & ſuſpiria, ſævientem intus dolorem, forìs propalâſſe: quippe, *tempore* (*quod* alioquin *acerba mitigat*) non modò nihil auferente de mœroribus; ſed etiam augente triſtitiam, & luctui luctum addente: donec ſæculi noſtratis *Annus tertius* menſem Martium inchoavit. Cum eo namque cœpit ipſa, grandî jam natu, vitam abſolvere, *ſeptuageſimum* agens ætatis *annum*. Occaſio verò finiendi, fuit hæc, quam exſequor.

XX. Cùm *in omni vita* (quod facilè conjici queat, è vitæ meta,) multùm *Eliſabeta* fuiſſet in venationibus: ad remittendum animum, præſentémque, de qua dixi, triſtitiam diſcutiendam; hoc *anni* quoque próforе laxamentum medici-regii judicârunt, quod *juniori* quondam bene ceſſiſſet. Igitur, aperiente ſeſe paullatim vernô cœlô, depulsíſque nivibus ſuccedente virore terræ; die quodam, dum blan-

blandiùs aſpirat Favonius, *Reginam* hortantur; ut, Londinô relictô, camporum in libertatem, & ſuburbanos ſaltus, exeat, ac feras agitet. Probatô conſiliô, *canterium* (12), ſibi familiarem, inſcendit: ſtipantibúſque juvenum promptioribus, *Richmundiam* versùs, ſupra *Londinum*, ad dextram Tameſis amnis ripam, ſitum *pratorium* (13), viam init, in montes ac nemora ferentem. Dum inter hæc (utì fit) dextrâ lævâque circumfert, & in longinqua quoque mittit, curioſos oculos: inter cætera, magnificentius ei reliquîs viſum, ædificium, quod & ipſum à Tameſi non longè remotum erat, ad aſpectum offertur. Id ei, ſive nunquam viſum antehac, ſive memoriâ, vitiô ſenectutis, elapſum, cùm dignum propiore notitiâ videretur: quærit ex adequitantibus, ac pediſequis, accuratâ ſciſcitatione; Quænam illa moles tam ſplendida, cujúsve poſſeſſoris, eſſet? *Fuit* (ajunt), *& jam non eſt*, *Arx ac pratorium* Devoreuſii, Comitis Eſſexiæ: *quem, abhinc bienniô, captum ac deditum, hôc ipſo locô, Majeſtati Tuæ; dies ſuus feralis abſtulit.* Ad has *Regina* voces altùm, & ſuſpirans, & exclamans; *Heu, Comitem! heu, noſtrum* (inquit) *Eſſexium! Ergò jacet? & per-*

P 3

Eliſabeta, Regina Angliæ.

& periit? Heu! quid egimus? Simùl inter ea lamenta, linquente trepidantem animô, de jumento Regina defluit in terram: nec prorſus illæſa.

Jacentem, ii, qui circùm pedes erant, quorúmque curam, ne regina laberetur, ruinæ celeritas anteverterat, erigunt. Tum, amotô caballô, viatoriam in lecticam levant: in eáque collocatam, rectà *Richmundianam* in arcem (è qua ſubinde Londinum reportari poſſet) deferunt; cùm, inter hæc, ejulare, vociferaríque, non ceſſaret. Illic porrò, non redditæ vires illi, ſed periculoſiùs imminui cœperunt. Inter aſſiduam *Eſſexii* recordationem, & clamoſas interitûs ejus deplorationes; in horas, ac momenta ſingula, graveſcere valetudo. *Comes Eſſexius* in ore (mallem autem, illi perinde *Maria Stuarta* fuiſſet!) ſed, ut dixi, *Comes* occiſus, in ore, mœror in animo, cruciatus in membris omnibus, inſomniæ tormentum in oculis, cibi potionísque faſtidium in ſtomacho; tum &, ſiquid ingeſtum eſſet, ejus illico, continuáque, rejectio. Quæ, pluráque talia, remediis clauſam reginæ valetudinem, ad ſuprema properè deduxerunt. *Decem* ipſos vitæ noviſſimos *dies*, ac *noctes*, obſtinatè vigiles,

les, & ſæpiùs lamentis illîs, (*Heu Comes! heu miſerande!*) quàm reſpiratione, diſpunctas; agebat inter perpetuos, ac cæcos, membrorum, viſcerum, & medullarum omnium, dolores, & contorſiones immanes. In thoro præterea, delicatiſſimè licèt ſtratô, non ſitûs ullius, non lateris hujus aut illius, non plumularum, linteorum, ſtragulorum molliſſimi bombycis, patiens; lectum irrequieta, tanquam Tartarum, experiebatur: quaquaverſum ſe volutans, ac revolutans; & in moletrinæ morem circumagens. Neque deſinebat, inter hæc, gemens & ſuſpirans, *Eſſexium* inclamare; donec ad extremum, & hæ voces illam, & alius omnis ſermo, defecit; biduô verò pòſt, à vocis occaſu, pariter & vita.

Quæ cùm ſic ſeſe, complurium teſtimoniô ſcriptorum, habuerint; videat ſanè *Cluverius* Danicus; quâ pace cum Annalibus eorum componat ea, quæ ſuper exitu *Reginæ* prodidit ipſe, ſuîs *Epitomicis* in monimentis: ubi, *Secutus eſt* (inquit) *obitus Eliſabetæ Anglorum reginæ: quæ fortunatum regimen* tranquillâ morte *finivit.* (14) Sed nempe, quàm *fortunatum* illius fuerit Imperium; mundi tribunal noviſſimum judicabit. quàm *tranquilla mors*; bien-

Eliſabeta, Regina Angliæ.

nium vitæ ſupremum, & inquies exceſſus, jam judicârunt.

XXI. Deceſſit autem *Eliſabeta*, ſæculi noſtratis annô *tertiô*; menſis *Aprilis* (ſi faſtos ſequamur Gregorianos) die tertiô: *Martii* verò (ſi numeremus è Julianis) vigeſimo quartô: poſtquam *ætatis ſuæ* tranſegit annos *ſeptuaginta*, minùs quinque menſibus, ac tribus diebus: *regni* verò, ſolidos *annos quadraginta tres*, ac menſes quatuor, dies novemdecim. Quem ſanè, poſtremúmque maximè, *numerum*, hiſtoricorum plerique ſupiniùs, & quidem *contractiorem* aliqui, plures verò *juſtô-majorem*, tradiderunt. Nobis, calculus *ortûs* illius ducitur, à ſeptimo Septembris Julianæi: primordiorum autem *regiminis*, ab obitu Mariæ ſororis ejus; quæ deceſſerat, ad diem Novembris decimum ſeptimum, anni duodeſexageſimi, Sæculi ſuperioris. Abiit verò *Regina*, de qua nunc agimus, ad cœtum alterius ſæculi, *corpore* quidem, (quod ex annis judicari facilè poſſit) jam olim caput *canum*, & faciem, *rugîs* arari cœptam, præ ſe ferente (15): quantumvis, ingeniô mundi muliebris, ûtraque doctè diúque celarentur. *Animo* verò tali, qualem cenſura Numinis invénit: cuj noſtram miſceri, nefas.

Septennii I. Annus 1603.

nefas ſit. *Hæredem* autem ſcripſerat, ac *ſucceſſorem*, Jacobum Sextum, Scotiæ regem, *Mariâ Stuartâ* natum: tabuláſque teſtamenti *Roberto* commiſerat *Cæcilio*: quas hic Ordinibus regni continuò publicavit. De *Succeſſore* porrò, pluſcula memorandi, locus recurret, in rebus *Anni quinti*: quò nos & præſentis quædam, & *quarti* quoque geſta, regem novum attingentia, diſferimus: iſtô nunc locô contenti, memorare, Jacobi Primi, regis Anglorum, operum curarûmque regni fuiſſe primam, *Eliſabeta mortua* juſta faciendi; funeríſq; quàm apparatiſſimè ducendi. cujus operis iſte fuit ordo, quem proſequor.

XXII. Poſteaquam, defunctæ corpus in cadaver revera tranſiſſe, ſqualore ſolitô nidoréque funerum, deprehenſum eſt: lecto primùm, ad talia ſtrui ſolito, ſuperimpoſitum; ad ſpectaculum, omnibus promiſcuum, aliquouſque patuit. Non multò verò pôſt, byſſinis texti ſubtiliſſimi linteis involutum, & in loculum ſuppoſititium tranſlatum, adventui Regis ſucceſſoris aſſervatur: balſamô priùs, in exenteratas viſcerum cavernas, curîs Ægyptiîs, ingeſtô; cæteríque generis odoramentîs, ad *Aſa*, Judæi regis, inſtar, (16) & exem-

P 5 plum,

Eliſabeta, Regina Angliæ.

plum, ventre differtô. Tum è *gypſo*, plaſtarum labore, ficta *ſtatua*, (quæ *Regina*, qualis in vivis, & quanta, ſteterat, egerat, atque refulſerat, *effigiem* per omnia referret) ad latus *mortua*, ſimilis *animata*, conſtituitur: dum, quò decretum erat, *corpus* inferretur. Sub hæc, cùm è Scotia jam in Angliam *rex Jacobus* veniſſet, & indictum univerſo regno funus fuiſſet; *dies*, qui fuit ab exceſſu reginæ *viceſimus*, deduci funus cœpit: ſuperante fidem omnem, priorúmque temporum memoriam, pompæ feralis magnificentiâ. Nam & cadaver, *auratâ*, triumphalibúsque ſimillimô, *curru*, ſericîs operis *heteromalli* (17) ſtragulîs opertô, viâ totâ, quàm longum *Londinum* eſt, incedebat: & ſupra covínum (18), ſex equis concoloribus junctum, ínque luctum ac mæſtitiam atratis, (quippe, dependentibus ephippiorum nigris utrimque laciniîs) effigies *Eliſabetæ* cernebatur illa, quam dixi *gypſô* formatam; in morem imperantis, ac jura dantis. Nam, & ſceptrum manu quatiebat; & conſpicuum coronâ caput, obvios omnes ad ſuî reverentiam invitabat, potentiùs, quàm ad *Idololatriam* ulla, *thenſa* Supplicationum Catholicarum uſitata, *Matris Virginis* imago.

XXIII.

XXIII. Tali, quam retulimus, ſpecie, paſſibus lentîs, per omne *Londinum*, ibat pompa; trahebatur currus; procedebat exſequiarum ſeries. quæ talis erat. Ante currum, Præſules proceréſque regni, cæterîs illuſtriores; *Inſignia* gerentes Magnæ Britanniæ, ſcutîs eorum deorſum versîs, & in mœſtitiam ipſi compoſiti, *pullatique*, gradiebantur. Ad ſandápilæ latus utrumque, *Comites* ſex propiùs, diviſi ternionibus: ad horum autem itidem latera, ſed paullò remotiùs, *Nobilitas*, & aulæ regiæ familia maſcula, procedebant. Proximè lectum funebrem, *Epiſcoporum* Angliæ numeroſum agmen; omnes Romani ritûs infulîs evincti, (nam has, & id genus cærimonias alias, *Eliſabeta* retinendas decreverat); ac ſuîs ſinguli procedendi gradibus deſcripti. Poſt hos, omne templorum omnium, ac Londinenſe præſertim, *Sacerdotium*; quale nempe nos, eſſe, fuiſſéve, novimus: *nomina* quidem certè, tituliſque, veteris Chriſtianorum ævi; *res* verò ſanctitáſque, quantam conferre *viris mulier* potuit, quæ *Sacrorum* ſeſe *Reginam*, haud minùs, ac *profanorum*, ſuîs in terris geſſiſſet. Spectabantur igitur illic, *parœciarum* urbis Londinenſis *centum*, ac *viginti* (19), quot

Eliſabeta, Regina Angliæ.

quotquot per vires adeſſe potuêre, *Flamines*; antiquîs cum appellationibus, ac ſuo quiſque diſtinctô, ſicut apud Pontificios, *amictuum* cultu. *Decani*, *Seniores*, *Archidiaconi*, *Curiones*, *parochi*: tetragónîs capitum operimentîs (quæ nota ſacræ *libertatis* eſt) ovantes; & *conjugiis* interim omnes, ſuos intrà penates, *adſtricti* (20): ducentibus horum agmen, ſuîs ſub mitris, *Epiſcopô* Londinenſi, qui regiis eleemoſynis, & *Archiepiſcopô* Cantuarienſi, qui ſigilli- regalis cuſtodiæ, præerant.

Secundùm hos, *equeſtris* ordinis, & *fecialium*, albîs cum ſcipionibus, caterva: donec, admiſtîs & Regiæ miniſtrîs ſexûs potioris, denſo numerô, proceſſit Aulæ Britannicæ *gynacéon* quoque; lugubribus amictum. In capite, propinquitate *Reginam* contingens, *Arbella Marchioniſſa*; datura non multò pòſt regno *turbas*, utcunque fortaſſis invita: tunc autem *turbam* fœminarum ingentem poſt ſe trahens. Stipabant eam, ex more, deducentiúmq; ritu, dextrâ quidem, ſupremus Regni quæſtor; ſiniſtrâ verò, Britannicarum claſſium archithalaſſus. Secutum, in veſtigio, primæ nobilitatis agmen immenſum matronarum, ac virginum; defunctæ quondam apparere ſolitarum,

rum, & officia quotidiana præſtare: longiſſimîs omnes ſtolarum lugubrium ſyrmatibus; non tam ingens funeris ornamentum, quantum viarum, per urbem pulverulentam, everriculum. Muliebrem multitudinem, prætorianorum excepit, ac regii ſatellitii, denſa manus: ſariſsîs omnes deorſum versîs, non magìs luctûs oſtentandi gratiâ; quàm, ut urgentes à tergo, ſeſéque ſuperinfundentes ad latera quaquaverſum, populos, contîs reprimerent: ne pompæ quietem, ac ſeriem, interturbarent. Quantum enim affluentis undequaque vulgi, non tam *cœtum* & conventum, quàm *exercitum* ac *mundum*, illuc ad ſpectaculum comitatúmque convolâſſe, neceſſe ſit: æſtimari non ſolùm è ſuburbanis, & verò totius è regni cæterîs multitudinibus, queat; ſed, vel è ſolius *Londini* civium utriuſque ſexûs, & incolarum, frequentiâ: quippe, cujus numerum, ferant, *ad trecentorum & quinquaginta millium* ſummam, annîs, lue non infeſtatîs, aſcendere conſueviſſe. (21)

XXIV. Cæterùm, hôc, quem diximus, ordine, ventum deniq; Londinô *VVeſtmonaſterium* erat. Is locus, à ſitu, quô plagam ſpectat *Occidentis*, (22) ità dictus; ab urbe connexâ

mil-

milleſimum ultra paſſum diſtat (23): *oppidulum*, ſuîs, ab urbico diſtinctîs, magiſtratibus immunitatibúſq; præditum: forô judiciariô, palatiô-regiô, Divíque *Petri* memoriæ ſacratô templô, cumprimis magnificô, latè celebratum. In hac æde, *Reges* Angliæ, ſicut inaugurantur principiò, ſic, finitâ vitâ, regnôque, ſepeliuntur: exſtructîs ad id mauſoléis, pro cujuſque vel meritîs, vel ſepelientium, in eos, ſtudiîs. Ut ergô ventum in *Ædem* eſt; exemptus aurato, quem dicebamus, curru loculus, in quo Reginæ cadaver jacebat; nullîs aliîs præterea, ſicut apud nos, exſequiarum cærimoniis, operis arcuati conditorio, ſiticinum manibus infertur. Laudavit autem *Vitam* ejus, pro ſuggeſtu, conductus ad rem eam orator Calvinianus. Celebravêre *mores* ejus, & *gubernacula*, factionis *Anti-catholicæ* ſcriptores, alius aliô, ſed ſuô quisque modô, vel ingeniò. Danicus: *Fœminarum omnium, quæ ſceptrum geſtârunt, feliciſſimam fuiſſe.* (24) Magnificentiùs, Urbium-deſcriptor; *Ab Auguſti temporibus, ad noſtram uſque, quam degimus, ætatem, ab ea Principes univerſos ſapientiâ, felicitatéq; regendi populos, eſſe ſuperatos.* (25) Cogitârat autem & *ipſa* ſibi *Regina*, ſculptum

in marmore, (vel forſitan & infuſum æri) monimentum ab obitu relinquere; verbîs hîs expreſſum.

HEIC EST ELISABETA SITA; QUÆ REXIT ANGLIAM, ET HIBERNIAM. CUJ, PER OMNE VITÆ SPATIUM, (QUOD LONGÆVUM TAMEN FUIT,) PERPETUA CASTITAS, VIRGINITASQUE, CORDI FUERUNT. (26)

His ego, talium compoſitoribus & conditricibus *epitaphiorum*, quod adjiciam, non habeo; niſi ſcriptorum-hiſtoriæ tritiſſimum illud: SIT FIDES PENES AUCTORES! (27)

TESTIMONIA.

(1) *Proverb. 17. v. 22.* (2) *De* Tiddéro *Zeilerum vide, hiſtoriæ trag: 15. notîs, pag. 535. editionis 7. De altera (ni fallor, Margaritâ, quæ barba-tonſori nupſit) quære ejuſdem Itinerarii Britannici cap. 2. pag. 91. & 93.* (3) *Die Octobris octavo.* (4) *Conclavî, ante cubiculum, ſeu thalamum. Vox eſt, è Græcia in Latium traducta, à Plinio Juniore, epiſt. 41. Aliter,* ἀντιθάλαμος.

Eliſabeta, Regina Angliæ.

λαμος, Antecubiculum, antichambre. (5) *Quem, & nos* Cæcilium *cognominamus*; *& Joann. Barclajus, in Dedicatoria Partis II. Satyrici ſui*, Cecillium; *eum Slejdani Continuator parte 3. pag. 179. col. 1. med.* Cæcilam, *Latino charactere, vocat.* Einer auß den Schöpfen / Cæcila genannt / *&c. Pagina verò 260. col. 1. poſt med.* Als aber Robertus Cæcila in ſolcher Reichs-Verſamblung / *&c.* (*⁎) Oſanna, *ex Hebraica* invocatione, *poſterioribus temporibus etiam* vocabulum *eſſe piarum mulierum cœpit; inter Saxones. ex quibus Angloſaxones.* (*) *αὐτόφυτον, In ſeipſo plantatum; nec aliunde vim & radicem ſuam trahens.* (6) *Ad Titum cap. 2. à v. 11. uſque ad fin.* (7) *Ubi vulgata rectè legit*, acceptabilem, *hoc eſt*, δεκτόν; *ibi Græcus ponit vocem* περιούσιον, peculiarem, ſegregatum *à reliquis Gentilium, & perfidorum Judæorum, quiſquiliis.* (8) *Et quidem*, Sectatorem avidum ac ferventem. *Ait enim in Græco S. Paulus*, ζηλωτὴν καλῶν ἔργων. Ein Volck / das ſich eyferig darumb annimbt. (9) *Joann. 20. v. 23.* (10) *Q. Curtius Rufus, de geſtis Alexandri lib. 3. cap. 1.* (11) *Hæc, de Eſſexiana tragœdia, maximâ ſuî parte, reperiuntur etiam in Deutero-Slejdani Parte 3.* Mors *quidem illius, in Anni 1601.*

Septennii I. Annus 1603.

1601. geſtis à pag. 177. uſq; ad pag. 179. De pœnitudine *vero* reginæ *Anno 1603. pag. 259. & 260. &c.* (12) *Equum ſpadonem. Anglis, Gelding.* (13) *Sic Romanis veteribus dicta ſunt, amœniores etiam, & magnifica, extra urbem Villa & Ædes; qua ſæpe noſtris ſunt &* arces ſuburbanæ. *Pallad. lib. 1. Saurio cit. pag. 78. Richmundia dicitur,* Ein Richt-Hauß. (14) *Epitomês pag. 757. col. 2. med.* (15) *Slejdani Continuator, Parte 3. pag. 258. col. 1. princip.* (16) *Libro Paralip. 2. cap. 16. fin.* (17) *Deutero-Slejdanus ait,* Mit Sameten Decken überzogen. *parte 3. pag. 261. col. 2. ante med.* (18) *Currum cameratum & contectum, Britannis familiarem.* (19) *Abrahamus Saurius, in Opere urbium, V. Londinum, pag. 78. ant. med.* (20) *Vide Slejdanum Redivivum, part. 3. anno 1601. pag. 257. col. 2. ad fin.* §. Wiewol aber die Königin/ *&c.* (21) *Idem (ut apparet, è Polydoro Virgilio), pag. 79. princip.* (22) *Septentrionis enim populis,* Weſt *Occidentem notat; ſicut* Oſt, *Orientem :* Sud, *Auſtralem plagam,* Nord *Septentrionalem.* (23) *Saurius, citatâ paginâ 79. med. qui illud &* oppidulum *nominat.* (24) *Cluverus Epitom. pag. 757. col. 2. med. è Thuano.* (25) *Saurius, ex aliis, pag. 80. V. Londinum.*

Q (26) Con-

Eliſabeta, Regina Angliæ.

(26) *Continuator Slejd. Parte 3. pag. 258. col. 1. med. hac verba ponit.* Sie hat ſich auch deß Gelübds der Ewigen Keuſchheit berühmet: mit Vermeldung / daß ſie folgendes Sprüchlin vnd Titel auff ihren Grabſtein hauen laſſen wolle. Hie ligt Eliſabeta; welche ihr/ in gantzem ihrem Leben / welches ſich doch hoch erſtreckt hat / Ewige Keuſchheit/ vnd Junckfrauſchafft/ belieben laſſen. (27) *Ut Criſp. Salluſtius in Jugurtha, de Africa. §. In diviſione.*

Poterat porrò, Regina Eliſabeta ſuperiùs adductis Elogiis epitaphicis, & hoc admiſceri; quod Anglicorum annalium auctor, anonymus, anno 1616. ex Joannis Billii officina Nortoniana publicatus in fol. ipſo operis ſui fine, pag. 134. in hac verba condidit.

Quod de illa (*Eliſabeta*) mox *comminiſcemur* (inquit); pace tuâ dixerim, clariſſime Jacobe, (*regem alloquens*) regum flos, &c. caret, poſt homines natos, exemplô: &, quantum auguror, in omne ævum carebit. Mulier; &, ſi hoc ſatìs non eſt, *Innupta Virgo*; parentum, fratrum, mariti, auxiliô deſtituta, bellicoſiſſimam gentem, in medio infenſiſſimorum populorum, fremente Papâ, minitante Hiſpanô, * circumſtrepentibus vicinîs, quotquot in

Digitized by Google

in Pontificis verba jurârunt, Principibùs; Quadraginta tamen, & quatuor annos, cóque ampliùs, non ſolùm in officio, ſed in pace etiam, & (quod maximum eſt) *in vero Numinis cultu*, profligatô Papiſmô, continuit.

Multa, magnáq;, ſed ſcribenti tantùm ità viſa, verba! Sit igitur & hîc, *penès Auctorem, rei fides!*

METRUM.

Animus *inutiliter, & tamen in mortem uſque,* triſtis.

Quanta per Eoas regina Semiramis *oras,*
Vecta eſt auratîs, ac celebrata, rotîs:
Tanta per Arctôos equitavit Eliſa *Britannos;*
Pallas (1) *Ibero, Anglis Juno, Diana feris* (2).
Illam, (3) *Amor in gnatum indomitus, gnati enſe necavit:*
Hanc (4) *Eſſexiacæ ſuſtulit ira necis.*
Quid dicam hîc? Tantæne anui (5) *deliria* Thisbês (6)
Impingam? An Tanaquil (7) *deſipuiſſe poteſt?*
Nequis vitæ exſors fiat, *Lethêsque* sit *inter*
Municipes; poſſis forſan obire necem.
Hoc verò, ô regina, quid eſt, quòd mœſta volebas,
Mortuus ut ne eſſet *mortuus, ipſa mori?*

NOTÆ.

Eliſabeta, Regina Angliæ.

NOTÆ.

(1) *Belligera: claſſe Hiſpanicâ disjectâ, & eversâ.* (2) *Fuit enim* Bellatrix, *ut Pallas*: regnatrix, *ut Juno*; venatrix, *ut Diana.* (3) *Semiramidem, Aſſyriorum reginam: quam, inceſtô filii ſui, Ninya, deſideriô flagrantem, ipſe filius interfecit.* (4) *Eliſabetam Anglicam.* (5) *quippe, ſeptuagenariæ ſeniô veneranda.* (6) *Puella Babyloniæ; quæ ſeipſam, impatientiâ mortis, quam ſibi Pyramus, ſponſus ejus, conſciverat, illius ipſius gladio transfodit. Naſo, lib. 4. transformationum, initiô.* (7) *Anus, Romanarum conſultiſſima; eadémque Regina, Lucumónis, id eſt, Tarquinii Priſci, regis uxor. de qua T. Livius lib. 1. & Auſonius ac Paulinus, in epiſtolis amœbæis.*

APOCOMMA II.

Mahometes Turca, novus Herodes.

I. PRiſci Palæſtinorum regis, HERODIS, cognomentô Senioris, & *Aſcalonitæ*, notiſſimus eſt, è Flavio Joſepho, Macrobio, cæteríſque, parricidii furor: in uxorem *Maria-*

riamnem, ac filios pueróſq; diverſos, barbaricô ferrô graſſatus. Is tetrâ demum morte, carnificinam unà, vitámq;, ſaniem inter, ac putores inteſtinos, finivit : excuſsâ de manibus ejus truculentîs illâ rhomphææ tyrannicâ; quâ, ſi ſupervixiſſet, *Cedrónem* pariter vicinum, & *Jordanem* remotiorem, decoloraturus fuerat: Judaicæ nobilitatis, quam animô fixè conceperat, innumerabilî ſtrage, totam Chanaanítidem terram cruentaturâ.

II. Sed nunc & MAHOMETEM ſpectemus, Tertium ejus nominis Otomannidarum Imperatorem : noſtrorum temporum HERODEM (ut ſic loquar) REFOSSUM; & veteris illius Aſcalonitæ *Manes*. Hic, Mahometum duorum, *nomine* quidem, & Orientis regimine, ſed *re* moribúsque veriùs Aſsyrii *Sardanapáli*, concubinarum inter greges, ſucceſſor, & hæres: fractô tandem inſanarum voluptatum inexpletîs libidinibus corpore, ſupremam cœpit ad vitæ lineam, & ad ſempiternæ mortis ingreſſum, decurrere. Priùs tamen, quàm, Superis ac mortalibus inviſam, animam exſpueret; domeſticîs etiam cædibus exercendîs, contemnere vivendi dulcedinem; &, interficiendo *ſuos*, in *ſe* mori, didicit.

Mahometes III. Turc. Imper.

Cauſſam atrocitatis tantæ, verſibus quidem, et hiſtoricâ prorſus fide, ſubjectum hujc proſæ *metrum* exponit.

Juvat nihilominus, hujus *vitæ*, morúmq;, nec non *Geſtorum*, breviarium, à cunabulis ejus, ad feretrum uſque, liberô quoque, nullâque ſuî parte vinctô, ſtylô deducere. Spes eſt autem, fore genus hoc compendii lectu fortaſſe nec inutile, nec moroſum atque tetricum; niſi fortaſſis iis, qui vaginâ-nudati ferri ſplendorem ferre non poſſunt: & acinacis educti ſiccum quoque fulgur horrent. In hoc verò ſcripto, cruor & homicidia, *narrabuntur* tantummodo; non *fient*.

III. MAHOMETES igitur hic, de quo ſermo nobis ſuſceptus eſt, *Mechmétes* ante *Circumciſionem* ſollemnem dictus, natus eſt anno Salutis per Chriſtum reparatæ milleſimô, quingenteſimô, ſexageſimô ſextô. Pater ei fuit AMURATHES, Turcarum imperator; inter cognomines ei Sultanos Otomannicos *tertius*: vir, utì *per ſeipſum* minùs cruentus, ac bellicoſus; ità *per duces prætoréſque* ſuos imperii nihiloſecius amplificator: victoriarúmque continente progreſſu celebratus. Hujus ergò, ſicut dicere ſum orſus, filius *Mechmetes*; ritu,

ritu, principibus *Otomannidarum* receptô, *Mahometis* pſeudoprophetæ tum *nomini*, tum ſacrilego *ſacramento*, *jam ferè ſexdecennis*, eſt initiatus. Id in patris accidit interiore cubiculo; talium ſacrorum dignô templô. Nam ibi, remotîs arbitrîs, adoleſcens hic, à *Baſſa*, ſeu ſatrapa Turcicô, ſibi cognomine, circumſectus eſt, ſcienter, & expeditè; quoniam hic, tonſor olim Imperatoris *Sulejmanni* fuerat, patris *Amuratha*, qui Mechmetis avus fuerat.

Cæterùm, honorando *Principis* ſui luſtrico diei, tanta tunc, eâdem illâ luce concurrentis undequaque *pueritiæ* multitudo, ſuperſtitionem eandem obivit: ut, faciendo per diem noctémque ſolidam operi, *chirurgi triginta peragrè ſuffecerint*. Eos autem *pueros* omnes, ac ſingulos, togîs, tunicîs, & *aſperis* (genere nummorum Turcicô) viritim centenîs, *Amurathes*, filii nomine, donavit: pellis depoſitæ pretioſô cenſu!

IV. Super hæc, omni Thraciæ Boſphoróque confluenti, celebrandæ panégyris illius cauſſâ, ſeſe non *munificum* modò, ſed pæne *prodigum*, rex, affluxu lætus, exhibuit. Præter *epulum* enim ſumptuoſiſſimum, *diebus noctibúſque quinquaginta continuîs* publicè præ-

bitum; auri ſimul argentíque, donorúmque cæteri generis variorum, *miſſilia* jecit; ac *ſparſiones* fecit, in propatulum effuſas, & diripientium certamine diſtractas. Cùm autem ad idem ſpectaculum *Amurathes* Conſtantinopolim *Regum* quoque, Principúmque *Chriſtianorum*, vix quemquam non perhumaniter invitâſſet: legatis, eorum præſentiam ſupplentibus, præter aſſiduam conviviorum munificentiam, oblectamenta publicorum quoq; *munerum*, ac theatrorum, exhibuit. In *hippódromo* namque Conſtantinopoleos urbis (quem locum operis ſtupendi pyramidibus, & obeliſcis, diſtinxerat & exornârat) per eoſdem dies illos omnes, noctésque, *Ludos* varii generis, rarâ cæteroqui barbaris elegantiâ, produxit. His porrò, non ipſe ſolùm *Amurathes*, cum *Mahometo* filio, conjuge, ſororéque, papilione cancellîsque tectus; ſed &, Europam, Aſiam, Africámque regentium, Principum *oratores*, omnis generis, aſſederunt. Nominatim verò, *Rudolphi* Cæſaris; Stephani Poloniæ regis; Reipublicæ Venetorum; Hodabendæ, Perſarum regis; Hamétæ Feſſani; Chami Tartarorum; Chriſtophori Bathorii, Transſylvanorum; & Moldaviæ Wallachiæque, temporis illius, tetrar-

Digitized by Google

trarcharum legati. Tantum tunc honoris, ac dignationis, impenſum eſt, unius Muſulmanni-*porphyrogeniti* (1) ſuperſtitioſo vulneri; plagas olim, ipſorúmmet ſpectatorum quibusdam, innumeras refuſuri. Tanta ſpe, nova Turcici jugi collíque *vómica* ſtetit iſta!

V. Cæterùm, pater quidem hujus, *Amurathes*, hàc tenus hôc talî filiô lætatus; tertiô decimô pòſt annô (qui fuit Sæculi ſuperioris quintus, ſupra nonageſimum) ad decimum quintum Calend. Februarii fatô functus; ſucceſſorem hunc *Mahometem*, potentiæ magìs, quàm moderationis, indolíſque pacificæ, reliquit. Cùm enim *Amurathes*, naturâ (velut indicavi) parùm admodum fundendi ſanguinis avidus fuiſſet; primîsque potiſſimùm ætatis, ac dominationis, annîs in *hiſtoricorum* voluminum aſſiduâ lectione, mentem exercuiſſet: iſte, contrariâ prorſus occupationum viâ, non, ut *Rex*, ſed *tyranni* præludiîs, incedere gaviſus eſt. Et verò, jam antè, tantúmque non ab ipſis incunabulis, ſpirare cædes & belluinam immanitatem viſus; eò uſque, patri quoque, ſæpe bilem moverat: ut demum etiam, de tollendo per vim eô, cogitâſſe perhibeatur. Sed & ſuſtuliſſet eum; niſi, de *fi-*

Mahometes III. Turc. Imper.

ki moribus *Imperatrix* molliora pollicitans, pignori ſeſe, ſuámque fidêm, apud patrem interpoſuiſſet. Ea, continuò (magiſteriô, dictu nefandô!) Cupidinis amborum-generum artem, uſúmque, *filio* dictans, mores ejùs infractos *mater* effœminavit. Neque tamen in univerſum eum emollivit. Hæſerunt enim, ſicuti plantis quondam transpoſitis cuſpidès genitivæ, ſic animo *Mahometis*, & origini, quondam inſitus *Phalariſmus*, ac ſæviendi pruritus; qui, nullîs voluptatum blandimentîs eradicatus, incurrentes lacerabat, & in incogitantes incurrebat.

VI. Primùm autem omnium, ipſô ſtatim novi culminis aditi momentô; cùm *Sororibus ſeptem & viginti* vitæ gratiam feciſſet: ne poſſet ullùm majeſtatis æmulùm formidare, *fratres ſeptendecim*, injectîs collo mantilibus (2), præfocavit: *quatuor* verò, patri *poſthumos*, ut eorum quiſque prior editus erat, ſic ipſos confeſtim, ab utero translatos in Propontidem adjacentem, tanquam *catulos*, mergendos dedit. In hunc itaque modum, *fraterni* ſanguinis *unum ac viginti* capita, *primitiæ* tyrannidi, ſuſceptóque regimini velut elementa victimarum, procubuerunt.

Potue-

Digitized by Google

Potuerat autem hac universâ lanienâ ſuperſederi , præreptâ deteſtabili parricidæ ſæviendi materiâ : ſi pater ejus , aut hunc tam immanem *filium*, (utì cogitaverat,) antè jugulâſſet ; aut alios (velut inſtituerat) poſt hunc latronem , filios non ſuſtuliſſet. *Amurathes* enim , inſuetâ cæteroqui barbarorum, à cubilibus , abſtinentiâ , ſociâ vitæ conjugalis *unicâ* diu contentus ; *multitudinem uxorum , velut amoris* , per plures *ſparſi , diſcidium* fugerat. tenuiſsétque propoſitum, *in libros* tunc , quàm *turbam prolis*, intentior : ni mater eum, occaſione captatâ , ſubmonuiſſet. *Intereſſe poſteritatis Otomannicæ , ſoliíq; , ſub eâdem duraturi : non unius ſolius utero ſpem æternæ ſucceſſionis universam committere ; citò fortaſſis intercaſuram. Potius igitur , ex omni deſiderabilium exercitus delectibus per Orientem habitûs ; more majorum , regiam thalamîs , ac thalamos liberîs, impleret : quippe , faciliùs, ac certiùs indè , maſculam educturus propaginem.*

Sicut igitur in omni re *difficulter Honeſtas, nuda ſolitariáque* ; contrà verò facillimè , *Voluptas , (honeſtô* præſertim *velata)* ſuadetur, & inſtillatur : ſic in hac quoque re matris conſilium in animo filii prævaluit. Protinus igitur *Amu-*

Mahometes III. Turc. Imper.

Amurathes & matri monitrici manum, &, ex omni delectis Oriente conjugiis, operam dare cœpit. Indè verò, tantam, quantam filius poſtea *Mahometes* extinxit, ſobolem Imperio reliquit. Ex eóque mulieris *uno* conſiliô, tanta filiorum, & nata ſeges, & inſecuta ſtrages, eſt.

VII. Cæterùm, ab hac *domeſtica* crudelitatis velut *arenâ*, progreſſurus poſt hæc in *aperti Martis* campum *Mahometes*; anni mox ſequentis vernô tempore, *Pannonicæ*, contra *Chriſtianos*, expeditionis, *per ſeipſum* obeundæ, conſilium cepit. Id autem, non tam *rationis* opus, quàm *inconſultum* mentis *Impetum*, ſui credebant, ac vocabant. *eventúſque* ſaltem, haud aliô conatus illos nomine fuiſſe dignos, oſtendit. Sed ipſe, tam operoſæ longinquæque profectionis cauſſam præ ſe ferebat hanc, quam interſero.

Munitiſſimum in *Hungaria* propugnaculum & oppidum, vulgò dictum *Hatuánum*, præſidiô valido, ſuæque gentis inquilinîs frequentatum, tenuerant *Otomannici*: quietè (velut ſperârant) in futurum quoque tempus illud poſſeſſuri. Supervenerant autem *Chriſtiani*: validioribúſque circumſeſſum copiîs,

piîs, tandem expugnârant. In hac verò tantæ, támque populoſæ, munitionis expugnatione, (ſiqua peregrino ſcriptori, vulgò *Germanis* infenſo, fides eſſe debet) *abuſu victoriæ* peccârant noſtri. *Teútonum* enim, *Belgarúmque* militum, truculentia tanta fuiſſe, fertur: ut, prædæ ſtudiô, non ſenibus, non fœminis, ac ne lactentibus quidem, vagientibúsque, quin nec in cunis, vel adhuc in utero poſitis, parceretur: diſſectîs (quod nefas!) ipsîs adeò prægnantibus; &, *auri latentis* cæcâ ſpe, viſcera gladiô ſcrutantibus victoribus. Hanc enimverò, ſive *ſuæ gentis* injuriam (omnes enim, qui ceciderant illic, *Turcici* ſanguinis fuerant) ſive *generis humani* violatam reverentiam, cauſſatus vindicandam eſſe, *Mahometes*: qui multa tamen, ipſe quoque jam, inhumana fecerat; & inhumaniora plura facturus in poſterum eſſet: urſit animi propoſitum. Indixit, in Junium adultum, iter, agminúmque progreſſum. Obnitentes autem, ac retrahere conantes, *matrem*, Baſſarúmque *primores*, & inter eos, *Ibrahîmum* quoque, ſororis maritum, rejecit. Concubinarum inſuper quampiam, cæterîs gratiorem, & eâ fiduciâ blanditiîs ipſum retinere Conſtantinopoli ſtudentem;

tem; inter media verborum lenocinia, ſuâmet ipſe manu, ſicâque, transverberavit; *inamabilis bellua*! movénsque, ſub hæc, Byzantiô, duodecimô Calendas Julias, ſecum ingentem equitatûs peditatûsque multitudinem, cum omni caſtrorum apparatu traxit, *Belgrádum* versù s.

VIII. Illinc, transgreſſus ponte jam olim junctum *Iſtrum*; per obliqua Pannoniæ Borealis, duxit ad *Agriam*, Hungariæ transdanubianæ munitiſſimam, etiam tum, urbem, ultra Tibiscum ſitam. Eam, Septembrî menſe circumſideri cœptam; Octobrî mediô, deditionis legibus, ſub imperium ſuum redegit. Quo tempore, cùm præfectum, ac ductores militum illius præſidii cæteros, aut calumniaretur, aut reipſa comperiſſet; *Invitos, nec, niſi manipularibus per vim eos adigentibus, arma ſibi corporáque ſubmiſiſſe*, retinuit ſolos: iisque, libertate privatis, jugum & catenas injecit. Militem autem cæterum, unà cum armis ac ſarcinis, inviolatum *tunc* emiſit. Verùm, hos ipſos, *Agriâ* non ità multùm progreſſos, contra jus fidei datæ, ſub impedimentis adorti Mahometæi Turcæ, Tartaríque (quos, inter auxilia, tyrannus ſecum ducebat) pleramque partem obtrun-

obtruncârunt; *Hatuanae* (veluti præ ſe ferebant) nuperæ crudelitatis, in *Turcicos* incolas, memoriâ ſtimulos ultionis eis ſubdente. Quod ipſum tamen haud adeò per omnia fecerunt impunè, fidei-datæ-violatores illi. *Pretorianorum* enim (hi *Janizari* ſunt) *præfectum*, cujus id vel impulſu factum, vel ſupinâ diſſimulatione tramiſſum eſſe videbatur, *Mahometes*, juſtitiæ famam è ſeveritate tali captaturus apud exteras gentes, fruſtillatim in oculis ſtatim ſuîs concidi juſſit, ac diſpergi: ſingulis, contra pacta trucidatis, Cæſarianis ſingulas membrorum minutias, è *Bego* diſcerptô, reponens. Id *Cæſarianorum* quidem, quos illa Turcarum injuſſa perfidia ſuſtulerat, *Manium* credi ſolatium poterat: quod eis tamen jam nihil conferebat emolumenti. *Suis* autem interim, crudelitas illa, crudelitate regis majore vindicata; quid aliud poterat, quàm horrorem, fructu cariturum, & tyranni majus odium, immittere? Mentibus igitur omnium infixum id erat, nec unquam evellebatur; Eum, in iis etiam, quæ ſecundùm jus, ac leges, ageret, ſinè modo temperamentôque, rigidum inveniri. *Quidquid autem immodicum eſt, odioſum eſt.*

IX.

Mahometes III, Turc. Imper.

IX. Duxit hic tamen ſuos (quanquam offenſos ſibi) quædam ad alia quoq; *Superioris Hungariæ* loca, depopulanda. poſtremóq;, minoris nominis oppidîs aliquot, & caſtellìs occupatîs; inter eam ipſam, quam initiô ceperat, ac diripuerat, *Agriam*, & *Kereſtum*, Egerwizâ rivô diviſa loca, conſedit: *victorem*, ſi non *agens*, certè quidem *ſe gerens*. Inter hæc porrò, ducibus, Archiduce *Maximilianô*, quodámque *Tieffenbachiô*, Cæſarianorum copiæ, ſecundùm Danubii ripam ſiniſtram deſcendentes; dum *Agriam* contendunt, per incommodas ingraveſcentis autumni tempeſtates, ac vias, ſpe ſuâ, deſtinationéque, tardiùs agmen itérq; promovebant. Tandem tamen, hærentem eô, quo dicebam, *Agriæ* tractu *Mahometem* aſſequuntur. Illic, adjunctîs ad auxilia mercenaria *Sigiſmundô* quoque Bathorio, cum Transſylvanis ſuis; velitationibus, præliîſq; nonnullîs levioribus, de ſumma rei præjudicium tentabant. donec, ad ſeptimum denique Calendarum Novembrium, agitatîs variè verſatîſq; conſiliîs, viſum noſtris eſt (quanquam numerô militum, alterô tantô propemodum, inferioribus) univerſas in hoſtem vires, & conatum, effundere. Dimicatum igitur eſt acerrimè:

mè: *multîs* Turcarum *millibus* (quorum exactiorem numerum exitus belli colliget) in acie tunc cæsîs; & in fugam ipſo versô *Mahomete*. cujus in exemplum ſententiámque, quotquot ferè ſtragi ſuperfuerant, Turcæ Tartaríque, præter ſolam *triariorum* multitudinem, *pedibus* ierunt. Ac *Mahometes* quidem, initiô ſtatim cœptæ cladis, cum paucis primò regii corporis cuſtodibus, equi pernicitate ſubductus erat inſtanti cædi. Pòſt autem, erumpentibus ex acie certatim aliîs etiam, ſuper alios; ingens circùm regem ſuum collecta fugientium ſocietas, éadem & teſtem ſe communis dedécoris, & ſolatium verecundiæ, præbuit. Itaque, ſinè mutua timiditatis exprobratione, *pro Victis* ſeſe pariter omnes gerebant: nec ullâ notâ diſtinguebatur ab Agamemnone Thersítes.

Sed nempe, probrô quodam ſuô, Victoriam tam inſignem, peperêre ſibi feliciùs *Germani* noſtri; quàm partam tenuêre: prǽmaturiùs in prædam diffuſi. Dum enim, hîc quidem *Kereſthianis* in campis, illic autem *Mahometis* in caſtris, ac tentoriis, ſolutîs ordinibus, ſpolia diripiunt: omnium aliorum, ac præſertim viciſſitudinis bellicæ, converſio-

R níſque

Mahometes III. Turc. Imper.

níſque rerum, immemores: nudum *victis* latus *victores* præbuerunt.

X. Poſtremi namque Turcarum agminis ductor, *Aſsánes* CICADA, cùm totîs turbatum campîs, fugere ſuos, cædi reſiſtentes, diſpergi ſolutos ordines, exultantes & prædabundos ſubſilîre *Cæſarianos*, cerneret: ut erat ad reſtituenda præliorum ancipitia, ſi quis alius, felix, & factus; ſuos, & nutantium cohortium reliquias, voce, manu, precibus, ac minîs, exſtimulans; in ſparſam, ac ſpoliis intentam, *Chriſtianorum* multitudinem, ferociſſimè, moréque tempeſtatis, irruit; &; obvia quæque celerî ſtrage metens, campîs caſtrîſq; totîs *Cæſarianos* exturbavit. Noſtrorum *millia duodecim* illô deleta, tanquam *redivivô* prœliô, feruntur. Indè, colligendis, quos fuga diſſipârat, manipulis & turmis, *Cicáda* totum ſe dans; &, ad juſti demum exercitûs numerum rem profligatam reduxiſſe ſe gaviſus: *Mahometi*, cum fugæ ſociis, jam Thraciam, deviô tramitum flexu, reſpectanti, repentè ſupervênit; trepidanti, *Victoriæ* pariter *nuncium*, & *ipſam victoriam*, apportans. Eâ *Mahometes* pluſquam incredibilî felicitate, ſub ipſam rerum omnium deſperationem, erectus; & gaudio,

Digitized by Google

dio, quo ſuperobruebatur, impar; *UNI, ſolique, tibi,* (proclamat) *tibi, Cicada, me, meos, & imperium collapſum, hodie debeo.* Simùl, laudibus aliis compluribus, ac præmiorum promiſsîs ingentibus, extollens; eum ſe deinceps *Ibrahimo*, prætorum Turciæ principi, ſubrogare pronuntiat: quippe, *virorum fortiſſimum*, expeditionis illius *timidiſſimo* diſſuaſori. Sed dignationi tanti culminis & ipſe ſtatim *Cicáda*, (veritus ſcilicet invidiam) refragatus eſt: & *Ibrahimi* dejectioni, potentia mulierum palatinarum interceſſit. Eæ fuerunt; irata filio, dudúmque jam antehac infenſa Cicadæ, *mater* imperatoris: &, contumeliæ maritalis intolerans, *ſoror* regis; ambæ, querulæ jam eminus, &, amarulentas per epiſtolas etiam in abſentem adhuc *Mahometem* dicaces, & expoſtulantes.

Mahometes igitur, qui paullò priùs *ſuimet* præ gaudio *compos* non fuiſſet, tunc & *in poteſtate* cœpit eſſe duarum fœminarum. dedítque precibus earum, ac minis; ut, quem in tantum evexiſſet nuperrimè faſtigium, nunc indidem dejiceret, *Cicadam*: aliâ nullâ culpâ novâ ſibi cœptum improbari; niſi, quòd *mulieribus* honor illius diſplicuiſſet. Eum igitur,

denuò redactum in ordinem (poſtquam *Ibrahimum* præturæ priſtinæ reſtitui juſſiſſet) ex eodem illo, quo Thraciam repetebat, itinere; per internuntios, *Arzirúmen* ablégat, extremum Turciæ, quà Perſidem attingit, angulum. In quo *Mahometes* decreto, ſub unum idémq; tempus, & malevolis Cicádæ beneficus, & ſibi ſummè benefico malevolus, eſt deprehenſus.

Cicádæ tamen, clara bellô virtus, & in arctis Imperii rebus ſæpe neceſſaria fortitudo, ſuorum inimicorum calumniis tantopere nequiit obſoleſcere; quin idem, bienniô pòſt, revocatus in Thraciam, maris omnis, ac piraticæ militiæ, ſupremam præfecturam adipiſceretur. Vir proinde, variâ per omnem vitam agitatus fortunæ viciſſitudine: ſic tamen, ut identidem emergeret. ſed animô tamen ſemper (etiam inter odia *ſuorum*) *Chriſtianis*, à quibus olim deſciverat, infenſiſſimô. Cujus implexa caſuum (ut ſic dicam) *fata*, quoniam in hujus hominis memoriam verboſiorem incidimus, haud erit extra rem, paucîs; ſimul autem, & acta ſuperiorum temporum, retexi; quò, Quíſnam, & unde domô, qualíſve, *Cicáda* fuerit iſte, rerum abſtruſiorum ignaris, con-

conſtare poſſit. cùm præſertim, & ipſum appellationis ejus vocabulum ab aliis aliter, pronuntiando circumagatur: qui tamen idem ſemper, & unus homo, manſit; tantummodóque diversè, diverſis à gentibus, appellatus. Nam, quem *Cicádam* vulgò Romani ſcriptores; eum Itali *Cicalam*, Gallicani *Cigalam*, *Ciguatrégam* Hiſpani, nominant: in idem ſemper recidente caput, ejus, non tam *nomine* primævô, quàm *cognomine*. Rerum autem illius viri ſic habet ſe narrationis compendium.

XI. Annô ſalutis humanæ ſupra milleſimum, quingenteſimúmque, Sexageſimo primô, *Ludovicus* quidam *Oſorius*, cum *Viſconte Cicáda*, Calabrô toparchâ, (2) Siculô fretô, marîque Tyrrhenô, trajecturus in Hiſpaniam ex Italia; priuſquam è *Sicilia*, quò primùm transierant, ſolverent, quatuor è *Societate* J*E*-*SU* viris, in Indiam navigaturis, fidem dederant admiſſionis, in unam eandémque ſecum triremem. Sponſa, conventa, pacta, ſinè metu decepturi ſucceſsûs, fuerant omnia. Pòſt tamen (ut ſunt *hominum variabiles, è mora, voluntates*) interjacente temporis tractu, triremem *Oſorius*, & cæteri navis curatores, vectoribus, ac ſignatè, fœminarum quoque turbîs,

Mahometes III. Turc. Imper.

adeò conſtipaverant; ut ad extremum *quatuor illis ſolis*, quos dixi, *Societatis* hominibus, locus vel nullus eſſet, vel nullus eſſe fingeretur. Certè, nullæ vel *Sociorum*, apud veteres promiſſores, pro ſe, vel amicorum pro *Sociis*, valuêre preces, ac ſollicitationes. Quocirca navis ingens, iîs excluſîs, unà cum celóce, ſolvit, ad navigii latus religatâ: diſceſſítque, ventô quidem ſecundô, ſed Numine multùm adverſô. Nam & *navem*, & *phaſelum*, vixdum pelagus ingreſſas, incurrentes ex alto *Turcarum* myoparónes; poſt animoſam oppugnationem, ſed invalidam noſtrorum tutelam, unà cum ingenti, quam vehebant, prædâ ceperunt: cunctis utriuſque ſexûs vectoribus, quos propugnatio non ſuſtulerat, in ſervitutem abductîs. In his autem & SCIPIO fuit, Viſcontis GICADÆ filius; ac nimirum is ipſe, cujus bellica paullò ſuperiùs facta deſcripſimus. Is tunc *puer*, elegantiâ morum, oríſq; ſpecie, barbaris viſus idoneus, & expetendus; ob id ipſum, *Conſtantinopolim* raptim eſt avectus. Illic, in *pueritiæ*, quæ regias in delicias, aut ſpes armorum robuſtiores, educatur, *contubernium* cooptatur. Quô locô, cùm, annorum progreſſu, de ſe conceptam à *Muſul-*

Muſulmannis exſpectationem, in dies augeret; tametſi, re domì compertâ, lytrum & frequenter & grande propinqui Calabri, tam offerrent, quàm accumularent: redimi tamen *Scipio Cicáda* pretiô nunquam ullo, vel *potuit*, vel *voluit*. Ne multis! Mahometicis Alcorani cærimoniis, ac ſacris, formoſus adoleſcens inauguratus; *apella* factus eſt: quíque *Scipio* fuerat, *Aſſánes* exinde dictus, ac *Cicada* tamen cognomen retinens; tam impius evaſit, & ardens *Chriſti* deſertor: ut ingenium *Italicum*, & vim *Calabram* (duas præclaras naturæ dotes) omnî totôque niſu, converteret in Religionis noſtræ, quantum in ſe fuerat, excidium. Unde, qui juveniles vixdum egreſſus annos, prætorianis primùm, dein aliis aliíſque Turcarum præſidiis regendis, impoſitum ſe cerneret; opponi ſe Chriſtianis, arroganter exultabat. quorum proinde rebus fortuníſque, graviſſimè ſemper, ac velut turbo grandinator, incumbebat: illô tamen, quod memorávi, *Kereſthiano* præliô, *Cæſarianis* longè perniciosiſſimus.

Idem autem hic, ſuum in nos *odium*, (ne ſecum olim improle moreretur,) per *filium* propagavit, *Sinánem Cicadam*, Baſſam: nec

interim tamen unquam abſiſtens ipſe, *per ſe quoque*, totô contrà nos mediterraneo marî triremibus prædatoriis obvolitare; quoad *Mars* id ei *terreſtris* permitteret. Poſtremis tamen annîs in Aſiam miſſus *Cicáda pater*, adversùm Perſas; & ab his, ſub annum Sæculi noſtratis *Quintum*, clade non exiguâ contuſus: *gloriam* ſuam *veterem* (ut *omnis ſpiritus ferox*, & *elatus*,) *in ventum* & ignominiam *effudit*: oblivione nunc, & Interitu ſuo, ſepultus.

XII. Ac de *Cicáda* quidem hæc hactenus. Hôc autem in Orientem, utì diximus, amotô; *Mahometes* etiam è *Pannoniis*, cum exercitûs, quem immenſum eduxerat, reliquiîs, facilè numerabilibus, Byzantium revertitur, annô jam exeunte: nec eô, quo *triumphantes* ſolent, ſed VICTORUM FLENTIUM, vultu. quippe, ſui roboris præſtantiſſimorum, *ad millia ſexaginta*, ferrô *Chriſtianorum* deletîs, & amiſsîs, mutilatus.

XIII. Poſt hæc autem, eorundem & Europæ populorum, & Aſiæ, creberrimîs incurſionibus, ac prælîîs, attritus; à *Batico* quodam, ex Hiſpania dilapsô, *Saracenô*, convenitur *Mahometes*. Ab hoc, ad ſuæ gentis tutelam per Hiſpanias ſuſcipiendam, adversùs Philip-

lippum & Chriſtianos ſollicitatus, docetur: *UNICUM Chriſtiani nominis, ac præſtantiæ bellicæ robur, in SEPULCRI JESU, quod Jeroſolymîs viſeretur, CUSTODIA conſiſtere. Cujus confiſos præſidiîs, Europæos Chriſtianorum Principes illos, quos ipſi* Catholicos, *&* Papiſtas, *appellent, ſat frequentibus anathematîs, eò miſsîs, & illic appensîs repoſitîsque donarîs, ſuum ſibi* prophetam *demereri conari. quos inter, etiam* Cæſarem *eſſe* Rudolphum. *cujus recentiſſimum, inter alia plura, munus ibi ſpectentur, ponderis ex argento grandis, & operis elegantiſſimi, candelabra; ſepulti JESU memoriæ dedicata.*

Talia, taliúmque ſimilia complura, fabulatus *Iſmaëlites* (3) ille, *Mahometis* imperatoris & auribus influxit, & animo. Rabidum, ex eo ſermone, concepit impetum, DOMINICI TUMULI Chriſtianis eripiendi: nec non, *Jeroſolymîs* ejiciundi, quidquid illic ſacræ *Franciſcanorum* familiæ reperiretur. Præter hæc, etiam dona piorum (ut erat, inter alia ſcelera, tyrannus hic, *profundæ* quoque *ſacrilegæq;*, ſiquis alius, *avaritiæ*) Jeroſolymîs aſportanda, *Servatoris* è *Monumento*, ſibíque Conſtantinopolim mittenda, curaturus erat.

(3) Mahometes III. Turc. Imper.

Eam in rem, mandata jam dederat: & hæc effectu caritura non erant. Verumtamen tunc, ſiquando priùs aliàs, patuit; *Legationum Chriſtianarum* apud *Portam* quoq; *Byzantinam*, quis, & quantus, eſſe fructus poſſit; ſi ritè, ſi cum teneritudine Conſcientiæ, ſuſcipiantur, & obeantur: utì factum tunc eſt. Perfeciſſet enim, quod concupierat, ac mandârat, contemptor *Chriſti*, tyrannus: niſi per GALLICANUM, ac VENETUM, oratores, in regia Thracicâ tunc agentes, repreſſus eſſet: dum ei *Poteſtatum Chriſtianarum* omnium, adversùs ipſũ arma, ſi pergeret in cœpto, decretôque ſuo Sultanus, peremptoriè denuntiant; ac fulgure minarum, fulmina decretorum ejus enervant.

XIV. Hæc annô Sæculi ſuperioris penultimô, geſta circa *Mahometem* ſunt; digna memoratu mihi viſa: quò commonſtrarem, *Impiam tyrannorum ignaviam ad omnes ſuſpicionum auras, ac flabra, trepidare.* Quamvis enim, Numinis indulgentiâ, ſperem & confidam, utì tunc, & aliàs ſæpe, feliciter ab noſtris, adversùm Otomannidas, geſta bella ſunt; ità deinceps etiam (ſi conſpiraremus) parî ſucceſſu geſtum iri: Potuit tamen, ſi *ſeipſum* penitiùs inſpicere barbarus voluiſſet, infeli-

infelicitatis rerum ſuarum partem, propemodum adæquè magnam, deſidiæ turpitudiníque ſuæ, quàm noſtrorum pro Sacris Jeroſolymæ locis vigilantiæ, vel *Rudolphi* Cæſaris religioſæ munificentiæ, tribuere.

Namque tum vel inprimis, poſt Pannonicam expeditionem, (tanquam rem, à ſe corruptam, omnium præclariſſimè geſſiſſet) univerſo ſe ventris & cubilium ſtudio, *voluptatúmque* quaſi *palæſtra* cuidam, dédere, non tam cœperat, quàm perſeverabat. Semper in epulis, & comiſſationibus; ſemper inter infamis conſortii, ſexûs utriuſque, greges: ſerias Imperii caſtrorûmque cogitationes, molli plumâ, poculìsque, mergebat. Uſqueadeò, ſpontè jam in turpitudines, ſinè modo, ruenti non erat, uti quondam, maternîs opus, ad gaudia ſumenda, ſtimulîs: ſed naturæ potiùs, ad omnia prava facillimæ, ſpontaneô magiſterio properabat in dedécorũ præcipitia. Quo factum erat; ut, in paucis temporum intervallis, leviter admodum vexatô per *Cicádam* Perſâ, leviùs etiam, per Prætores ſuos cæteros, Pannoniîs, & Illyricô; majore plerumq; ſuô captô, quàm adverſariis illatô, damnô conflictaretur; eâque cauſâ, non ſuis miniùs, quàm

Mahometes III. Turc. Imper.

quàm exteris, in contemptum veniret. donec, ſub extremum, & in Oriente *Scribianus* ab eo, Prætor Otomannicus, deficeret; & domì *phalanges prætorianæ* tumultuarentur: & intrà penetralia *mulieres* quoque ſuæ, marcentem, audaciâ verborum inceſſerent; fiduciâ tamen *a*[illegible]*is* magìs, quàm offendendi ſtudiô, præcipites.

XV. Inter eas, uxorum princeps, *Sultana*, die quodam, nacta vacuum pellicibus tempus, & viri ſolitudinem, ſuis rationibus opportunam; *Non ſe, veterum* (ait) *Orientis Auguſtarum more, pro ſuæ præcipuè prolis in Imperium ſucceſſione, laboraturam, apud eum, à quo, compertum habeat, communem utrique filium charitate pluſquam communî diligi: propterque dotes, gubernaculô dignas, præ cæterarum omnium partubus æſtimari.* (veráque loquebatur.) *Sed hunc* (addit) *ideò ſermonem tua famula ſum ingreſſa; quò, tantô vitæ lubricô, Tua Majeſtas, & maturè palámque deſignare dignetur, quem ſubrogare ſibi decreverit: & deſignato, dignos Imperatore mores, artéſq;, monitis ſuîs induere laboret.*

Hæc dicebat *Imperatrix*; &, ut ipſi videbatur, *conquiniſcenti*, nec implacidè talia laturo, Regi.

XVI.

XVI. Sed ſcilicet, *Non omnibus*, neque ſemper, Mahometes *dormiebat*. & , ſi quando ſterteret; *urſo Sarmatico* ſimilem ſe præſtabat: qui, mellis in fovea diu paſtus, &, poſtquam indè ſe receperit, in cubili quidem ſuo recumbit; ac, poſt multam alvi volutationem ſupinus, ebrióque ſimilis, extenditur, & jacet. pede verò prætereuntis vel leviter preſſus, aut manu vellicatus, ilicet expergiſcitur: inque furias erumpens, obviorum laceratione ſuî contemptum ulciſcitur.

Ad eum tunc planè modum rex barbarus, voluptatum ganeæque recens; torpidus aliquantiſper, & ſemiſopitô languidior, apparebat. viderique poterat, manſuetudine lentâ ſermonem *Sultanæ* diſſimulaturus.

Sed nimirum, à *muliere*, primô ſtatim verborum ingreſſu, per intempeſtivum ac lubricum incedente, peccatum fuerat; errore, non perinde medicabili, quàm auribus curiſque *Sultani* vulnificô: cùm *plerumque, quantô naturá ferocior quiſque, tantò ſuſpicionum quoq; rapacior ſit; & ad partem deteriorem velocior ipſa quoque ſuſpicio.* Quibus adde: quòd *Animus malus nunquam tam interrogari ſibi, rogaríque, quàm explorari, videtur: Omnémque ſciſci-*

Mahometes III. Turc. Imper.

ſciſcitationem, ſuî putat examen, & indaginem eſſe.

XVII. Quapropter, interruptâ *Mahometes* uxoris oratione, truculentîsque fixis in eam oculîs; *Et quem nos igitur* (infit) *ſuffectu-ros nobis in Imperium ominaris?* Et illa; *Non ominor* (inquit), *ſed interrogo, domine. Filiúmne meum?* Tum ille, ſeu verè ſuſpicatus, etiamnum ſuperſtite ſe, vitam imperiúmque ſuum, inſidiis appeti; ſive, per inſitam ſæviendi libidinem, calumniari præceps, iracundô vocis tonitrû, *converſus* ad ſtantes in veſtibulô ſatellites; *Accerſatur ergò* (clamat), *accerſatur patris proditor, præclarus hic filius! Et tu, coràm hîc, inſidiatrix, ſpecta nati conſpirantis regiam inaugurationem. Victima mortis eſto filius, cujcunque pater nimis vivax eſt!*

Secundùm hæc, introducto juveni, cuj primus quondam charitatis apud genitorem locus fuerat; *Diadema*(ſucclamat), *furcifer, ambis. diadema, quod te viciſſim ambiat, cape!* Simul, (fruſtra juvene, fruſtra matre, defenſionem cauſſæ ſuæ parantibus,) cervicibus adoleſcentis mantile circumplicari, manu ſatellitum, jubet. Eô mox ſtriatim aliquoties circumrotatô, ſtrangulatus, nullâ ſuâ noxâ, filius, cùm jacé-

jacéret exanimis: converſus ad matrem tyrannus; *Hoc ſertum*, inquit, *hanc Cidarim*, *ſucceſſor meus habet*!

XVIII. Cùm autem, in hæc, *Sultana* clamosîs, at ſerîs jam queſtibus, ac lamentatione, palatium omne repleret, eò maximè, quòd ſciſcitatione ſuâ malè-providâ, *cauſſa necis filio* fuiſſet; Et *necis* (acclamat Mahometes) *cauſſa fueras: &, præter necem, exſecrabilis inſuper in caput noſtrum conjurationis, inventrix & origo*!

Quòd autem *tertius* hic nominis ejus, in regno, *Mahometes*, æmulari *Secundum* (uti reor) ambiret; qui, Byzantiô ſubactô, *Græcam Irénen*, in uxoris loco diu detentam, ſuopte ferrô, barbarus oſtentator, palàm trucidârat (4): hic quoq; parùm ſibi glorioſum exiſtimavit, ante Pañonicæ nuper expeditionis ingreſſum, *amicularum* ſuarum chariſſimam (uti diximus) trucidâſſe; niſi nunc & *uxorem* è medio tolleret. Eam igitur, Regiæ penetralibus extractam, ad proximum Boſphori Byzantini littus, quà maris altior erat ora, profundiúsque fretum, dejiciendam, ac mergendam undis dedit. Poſt hæc autem, & in familiam amborum, utriuſque ſexûs, per eandem, ſeu conje-

conjecturam, ſeu calumniam, immanitate verſâ, tyrannus: utì quiſque, vel *Imperatrici*, vel *filio*, ſe conjunctiorem, comploratione funerum, oſtendiſſet; *quatuordecim* abſecari capita, carnificum acinace, præcepit. (5)

XIX. Ipſe verò, nec ità multò pòſt, duodecimo Calendas Januarii, peſtilentiâ meritiſſimâ, tot inſontes inſecutus mortes; Annô tertiô ſæculi noſtratis, imperii ſui nonô, vitæ trigeſimô nonô, finiit præſentia, quæ fecit, mala: ſed exorſus æternitatis, quæ patitur, ac paſſurus eſt, ſupplicia. Conſpicuum prorſus IRACUNDIS omnibus, ac populorum præcipuè, cœtuúmque, moderatoribus, terriculum! quorum altè ſemper infixum mentibus eſſe, fas eſt; MORTALIBUS, naturâ factis, ac pronis, ad Iracundiam, Omne factum dictúmque ſuum eſſe ſuſpectum debere, præq; meditatum. NAM ſtomachoſus, etiam Homicidium, pietatem putat; & ſtultitiam, Conſilium. Extra limites hominis ut plurimùm eſt homo, qui, citra fas, homini ſuccenſet: dum (ſicuti per præcipitium devoluta Sphæra,) velox Indignatio, quidquid obviū eſt, protrudit, atque ſubruit. Unde, quanquam vix ulla *Feſtinatio* temeritate caret; illa tamen cum crimine ſem-

ſemper eſt, in *Vindicta*; juſta ſit licèt, ac legibus quoque præcepta. quantò magìs igitur, in inconceſsâ? QUÆ proinde ne contingant; fugiuntor *Suſpicacibus*, etiam *Conjectura*; (quæ plerumque ſunt in deteriora credenda lubricæ:) multò ſtudioſiùs verò, præfeſtinata *Judicia.* Nam, quò properat, quiſquis præfeſtinè *judicat*; niſi tandem ad *Pœnitudinem*; eámque ferام, ac ſterilem? Id, quod in *Clyti* furiosâ cæde præceps Alexander; in *Eſſexii* Comitis ſuppliciò Britannica nuper Eliſabeta, ſenſerunt. Idcirco, DIFFICILEM habeat præſes incitatus & *ardens*, non ſolùm ad *Crimen* aurem; ſed, ad conjecturas quoque, credulitatem. Ad ſummam! In Omni quidem Irato perit humanitas: ſed in Irato potente (cujuſmodi *Mahometes* hic fuit) hominis plerumque deletur & Imago: belluáque ſceptrum tenet. Quod ſicubi contigerit: non eſt, non erit, odioſius in terris aliquid; quàm *Poteſtas*, alta quidem, ſed *furioſa.* fit quippe, *Mahometæa.*

TESTIMONIA, & NOTÆ.

(1) *Sic dicebantur, & in palatio-Porphyrio Byzantii nati: &, in* purpuræ ſceptríque jus *editi, monarcharum Orientalium* filii; *Imperiorum*

Mahometes III. Turc. Imper.

rum candidati. ut ex Niceta lib. 5. aliiſq;, tradit Spondan. in Nota peculiari, ad num. 3. anni Chriſti 775. & alibi Baronius ipſe obſervat, circa num. 3. ad annum Chriſti 944. Noſtri vulgò ſcribunt, Porphyrogenitos. *Græcis dici quoque poſſunt al:* πορφυρογέννητοι, *à* γεννάω: *aut* πορφυρογόννητοι, *ſicut* θεογόννητοι, *Dionyſio Areopag. Turcæ porrò jam pridem, Turcarum appellatione faſtiditâ,* Muſulmanni *potiùs dici gaudent: ſicut & alio quopiam locô monuiſſe me, recordor.* (2) *Franciſcus Sacchinus, in* Lainio *ſuo: librô 5. num. 68.* Viſcontem, *nos* Vice-Comitem *nominaremus; gradum dignitatis exprimentes.* (3) *Qui namque* Saracenos *ſe nominant; reipſa* Iſmaëlitæ *potiùs, &* Agareni *ſunt: ut alibi docui, in* Ruina Agarenorum. *ubi cauſſam quoq; adjeci.* (4) *Narrationem ejus facti pleniorem, reperies in* Icaria *quoque; à numero 94. uſque ad 118. incluſivè.* (5) *Continuator Slejd. ex Auguſto Thuano, ac ceterîs, Partis 3. libro 9. de 17. mantilibus. Spondanus autem, in annum 1595. num. 17. de 21. ſtrangulatis, ac parvulîs, merſîs à Mahomete tertio, initiô Imperii, agit. De matre verò, filiôque, & 14. famulis, nunc interfectis, complures tradunt: Spondanúſq; cumprimis, tomô 3. Baronianæ Continuationis. Cujus etiam*

etiam vide annos 1596. & 99. Joannem quoque Marium Friſingenſ. Janſon. Sleidani Continuatorem, Part. 3. lib. 9.

METRUM.

Tyrannum Mahometem, non ità multò poſt ſuorum necem, (uti diximus) vulgatâ per Byzantium, reliquámque Thraciam, contagione, lues ſuſtulit; & utiliter; quippe, Mahometis hujus in cute, peſtiferam, & humano generi publicè privatímque noxiam, *Vómicam*, ac pluſquam gangrænam. Eam mors, viventium ab cœtibus abſecuit: viſcerum rabie, quâ major eſſe non poterat, per carbunculi peſtilentis ſaniem, ac proluvium, egeſtâ; ſpiritúq; deteſtabilî, Diris ultricibus dudum maturô, tandem in Tartarum, quò ſuos ille præmiſerat, expulsô.

O Dryſium jam ſumma dies, ac fata, tyrannum,
In Stygium accibant imperioſa lacum.
Præcoce laſcivos Cypris enervaverat artus
Funere, & exuſtum fax Erycina latus.
Pergeret in Lethês igitur ne inglorius oras,
Cognatô inſtravit murice mortis iter:
Sævâque Idumæi renovans Funebria regis
(Gnatorum cujus purpura cæde rubet;

Mahometes III. Turc. Imper.

Qui Mariamnæi reſperſus ſanguine lethi,
  Carcere vinclâ thori rupit, & enſe fidem,)
Progeniem ipſe ſuam, ſceptri quam jura manebant,
  Ante oculos matris ſtrangulat, ante patris.
Néve diu ſortem nati Sultana dolendam
  Materni luctûs proſequeretur aquîs;
Demergit pelago lacrymas; ſociamque jugalem,
  Boſphoriæ abſorptam Tethyos ore, necat.
Adjicit, (ut plenô conſtarent funera cenſu)
  Bis ſeptem famulâ corpora juncta fide.
Cauſſa necis miſeris, Reginæ, lubricus oris,
  Ambitus; ac lævô quæſtio mota deô;
QUIS Mahometiadûm, variis è matribus, hæres,
  Succeſsórque, patris creſceret in ſolium?
Is, vocem hanc, fraudes, atque argumenta, maritam
  Intentæ in cædem, conjugis, eſſe ratus;
Intempeſtivæ Sphingis compeſcuit ora:
  Hinc laqueô fauces, hinc reprimente fretô.
Hos tamen ipſe etiam, Parcâ haud meliore, ſecutus,
  Laſeriæ ſtirpi fit ferus ipſe ſuæ:
Nec gladiô (quis enim egereret tot ſtagna cruoris?)
  Sed, quod vivus erat, ſub Styga Peſte migrat.

ANNUS

ANNUS M.DC.IV.

ANNI M.DC.IV. Geſtorum *SYNOPSIS.*

I. TRanquillitatis, & armorum, mixturâ, ſibi diſcors Annus hujus Sæculi quartus; plura *differt*, quàm *expromit*.

Et *Gallorum* quidem in terris, Societas JESU, decennali, quô Franciâ caruit, exiliô relaxatur. Propter *Joannis* enim *Caſtelli*, juvenis Pariſini, deteſtabiles in regem Henricum IV. conatus, per injuriam, & ob calumnias inimicorum, falsò conſcientiæ tanti ſceleris ſuſpecta; ſuîs plerisque pulſa domiciliîs ſedibúsque fuerat. Sed eam nunc demum, bonorum omnium adniſu, maximéque *Clementis Octavi*, pontificis maximi poſtulatu, *Regis* eximia revocavit, ac reſtituit, humanitas. Cujus tam inſignis indulgentiæ quò dignum memoris animi conſtaret operæpretium: SOCII viciſſim univerſi, tanquam laborioſæ quædam

apes, in alvearibus, ſibi reſtitutis, Eccleſiæ Gallicanæ mellificium reſumunt: omni liberalium artium, morúmque probatiſſimorum, florilegiô locupletatum. Præcipuus autem ſudor ac ſtudium fuit, Frontoducæi, Richeómi, Gentiéri, Latobaſtáni. Primas tamen, ſicut eloquentiæ religioſæ, quovis nectare dulciùs profluentis, ſic & famæ nominíſque, tulit *Petrus Cotónus*: quem ſibi *Rex* à concionibus deinceps eſſe, voluit, & ab animæ ſacro regimine.

II. Cæterùm, hic idem *Rex*, pace jam conſtitutâ, bellisq. ſepoſitis, multus eſſe cœpit, tum in urbicis ſuburbaníſque palatiorum exſtructionibus; tum in publicis quoque *Pietatis* ac *Juſtitiæ* baſilicis, partim erigendis, ac partim ornandis etiam, & integrandis. Inter quæ, *Varranæi*, Societatis amici patroníque ſingularis, ſtudiô promotionéque, *Flexiæ* collegium, ac templum, à fundamentis ad faſtigium, ejus ordinis religioſis eduxit; & incolenda dedit.

His, aliîsque talibus curarum avocationibus intentus *rex Borbonius*, temperavit nonnihilô graviſſimum, de morte ſororis ſuæ *Catharinæ*, nuntium, & indè conceptum animi dolorem.

Ea

Digitized by Google

Ea Calvini quidem pernicioſos errores, è *Joanna* matre, Navarræâ reginâ, ſuxerat. Poſtea verò, Lotharingiæ Duci, cuj nomen *Henrico*, Barri Principi, (non dubiam in ſpem, orthodoxô ſub conjuge, reditûs ad Eccleſiam) nuptum collocata fuerat. Quod tamen connubium, *canonicis* ex cauſſis, diu *Roma*, nec probârat, nec agnoverat, ut ratum; & ipſa Catharina Nanceji tantiſper, dum adhuc ea cauſſa ventilatur, mediô Februariô deceſſit: morte, ſi ſpectares ætatis annos, præmaturâ; ſi ſpem, ſuper ejus reductione deceptam, meritò lamentabilî. Suo quippe Calvino, *Molinæi* præſertim aſſiduîs indurata cohortationibus, ad ſupremum uſque ſpiritum inhæſit: Sectæ libentiùs, quàm voto Regis-fratris, immortua.

III. Dum autem hæc in Auſtraſia Galliîsque fiunt: Apud Italos, ac potiſſimùm Inſubres, rogatu Mediolanenſium, *Caroli*, Cardinalis *Borromæi*, ſollemnis in *Divorum* faſtos relatio, vehementer, & pro meritis ejus, urgebatur: utpote Viri, quem & non pridem *vivum*, & poſtea vivis exemptum, orbis univerſi ſenſus publicus SANCTI titulô decorârat; &, *Eccleſiæ DEI cœleſte candelabrum*, nominare perſeverabat. Cæterùm, hôc quidem

S 4 annô,

Anni Acta.

annô, plus hac in re promotum non eſt; quàm, ut, in geſta *Caroli*, prodigiáque, juratîs inquiri teſtimoniis ſupremus Pontifex juberet.

Quàm diſſimilis autem, eódem licèt in nomine, factîs opinionibúſque ſuîs, ſub idem hoc tempus, CAROLUS alius; Sudermanniæ putà Dux? Qui Regnum Suecorum (abſente tum, & ob idipſum audentiùs excluſô, fratris filiô, Sigiſmundo, Poloniæ rege) maluit ad ſe, quàm Splendorem Sanctorum, per Borromæi demiſſionem, attrahere.

IV. Tranſimus hinc, in Britanniam. ubi, quantum fluminis antehac *Tameſis*, cum *Scaldis* Belgarum, & cum Hiſpanico *Bæti*, divortium extiterat; tanta nunc *Jacobi Regis*, cum *Archiducibus* Brabanticis, & *Hiſpaniarum* monarchâ, Philippo tertiô, cœpta fœderum eſt connexio. Tardiùs in hanc aliquantò, ſed denique tamen, data nomina ſunt, ab Scotis, & Anglis: quibus interim utriſque, contra Sacerdotes ac ſacrificia Romana, bellum procedebat inteſtinum.

V. Apud Thracas, & Byzantium, ACHMETES, Turcarum rebus, poſt *Mahometem* patrem nuper extinctum, impoſitus; tametſi quatuordecennî non major: tranquillita-

litatem aliquouſque, ceſſationémque meditabatur atrocium armorum; & in *exteras* gentes hæreditariæ feritatis oblivionem: ſi per *Schach-Abam*, Perſidis ac Parthorum regem, licuiſſet. Hic *Schach-Abas*, Chriſtianorum rebus nondum tunc adeò graviter, utì poſterîs annîs, infenſus; ab eorum inſectatione ſibi temperabat, in uxoris Reginæ gratiam: quæ noſtratium rituum ac ſacrorum erat. Sed quantò tantiſper in nos adhuc lenior; tantô ſe præbebat Otomannidis inimiciorem: quippe, per manus, à majoribus acceptâ Turcarum deteſtatione. Quapropter, ſub hoc ipſum tempus, grandî raptô ſecum, & per legatos, exercitu, Perſiæ finibus egreſſus; in Achmetis, propinquiores ſibi, terras primùm: in remotiores verò, paullò pòſt, infeſtus incurrit. Ac per *Pharyen* quidem, ducum ſuorum fortiſſimum, invadit *Ægyptum*: capit *Memphin*: cætera terrarum vaſtat, ac depopulatur, prædîs actîs. Ipſe verò, per reliquum Turcarum imperium, Orientisque maximè regiones, tum urbes alias, cum caſtellis, occupat; tum præcipuâ famâ, potentiâque, *Taurim*, Perſidis aliquando regiam ſedem, Otomannicis extorquet: qui locum eum, Schach-Abæ quondam

S 5 majo-

Anni Acta.

majoribus ereptum, diu, per vim & injuriam, inſederant. In hunc ille modum, longè latéque victor, Achmeti, quietas alioquin hucuſque volventi res, armorum ac vindictæ neceſſitatem impoſuit.

VI. In *Tranſſylvaniæ* terris, inter hæc, ii, quos annô ſuperiore *Ciculorum* ductor, *Moyſes*, in res turbulentas impulerat; nunc demuò, velut flammæ, negligenter ſopitæ, ſuperſtites & calentes belli cineres agitant: dum rebellionis *bina* ſuſcitant incendia; totidem inquietiſſimîs ſeditionum capitibus ſibi delectîs, & impoſitîs.

Eorum alterum, *Bethlenius* fuit, cognomentô *Gabor*: multîs inferiùs, atrocibúsque, belli tempeſtatibus, non ſinè gemitu nobis memorandus. Is autem, hôc ipſo ſtatim anno, ſubjungendæ ſub Achmetis imperium univerſæ Transſylvaniæ ſummopere ſtudioſus, gentis Dacorum turbidiſſimum quemque, ſub ſigna compoſitum, ad Témeſam amnem educit: ibíque caſtra metatur. Sed ſucceſſu, parùm ſecundô. *Tampierius* enim *Comes*, & ipſum, ſuîs cum Transſylvánis, & Berkérum Baſſam, auxiliáque Gáboris Turcica, cædit, ac profligat.

At

Digitized by Google

At alter Dacicorum motuum dux, & (ut tunc belli facies præ ſe ferebat) utique gravior, erat *Iſthuanus* (aliter Stephanus) cognomine *Botskajus*. Is Hajduccorum, & ſiquos inferiorum Pannonum alios præterea ſecum traxerat, auctus tumidúſque copiîs; è transfugis, maximâ ſuî parte, conſtantem, ſed animìs efferum, exercitum conglobârat. Cúmque prœliô, nonnihilô ſecundiore, contra Belgióſam, ac Petſium, legatos Cæſarianos, commiſsô, ſuperior diſceſſiſſet: ſuperbiæ fortunæque flabrîs elatus, jam non pro victore modò, ſed planè pro *Principe* ſe *Transſylvaniæ* gerebat; pollicitus & ipſe, quod Bethlenius: *Omnes ſe Dacias ſub Otomannici Sultani jugum brevì redacturum.* Sed ille, ſæpius memoratus nobis, BASTA, fortiſſimè pulſatîs ac retusîs Botskajanis Hajduccis, ſucceſſu prælii ſuprà ſpem proſperô potitus; hominem, victoriîs ſuperioribus inſolentem, ad cogitationes aliquantò modeſtiores, & pacifica conſilia, redegit.

VII. Apud Flandros, in Belgio, conſtanter adhuc Oſtendana premebant ac verberabant mœnia, miles Albertæus, & Hiſpanicus. Eos dum ab oppugnationis ardore conatur

natur retrahere *Mauritius*, Comes *Naſſovius*: inſeſſam ab Albertæis *Schluſam*, regionis ejuſdem perquam firmum ac munitum oppidum, medium ferè ſub Majum exorſus obſidere; fame tandem ad deditionem compellit, poſt Auguſti menſis medium, jam decurſum: & emiſsîs, qui præſidium illic agitaverant, Hiſpanîs, victor ingreditur, & armatîs implet. Hujus urbis, ad multa Batavis opportunam, occupationem, Hollandi ſupra modeſtiæ, ſobriíque gaudii, leges exſultanter exceperunt; nec ſinè quadam *Archiducis* amarâ deriſione. Verùm, immemorem inconſtantis fortunæ, lætitiam, diluit ac delevit, capta paullò pòſt, & adultô Septembri triumphata, Flandrorum votum, OSTENDA. quam, tribus in unam victoriam, ac ſub unum idémque tempus, conſpirantibus cauſsîs potentibus, nequicquam jam defenſores *Batavi* tenebant: quippe, bellicîs *Archiducum* auſpiciis, & opibus; *Ambroſii* verò *Spinolæ* generoſâ ſtrenuâque contentione; *maritimorum* denique *fluctuum* tumultuoſis inſultibus, ſinè fine, requiéque, propugnacula convellentibus. quibus proinde demum & propugnatores ceſſerunt.

VIII. Annô porrò jam in Autumni medium

dium inclinatô; *ſtellæ* forma quædam & facies inuſitata, ſe conſpicuam dedit; ac duravit, magnô ſubſequentis hiemis ſpatiô. Fuit autem, nec levis primò, nec apud paucos admodum, rixæ mathematicæ materies: *Heſperum* quibusdam, adeóque Venerem; aliîs, non ipſam, ſed penitùs *novam* quampiam, eíque ſimillimam, *Stellam* eſſe, contendentibus. *Cometam* autem eſſe, contumaciter negabant; propterea, quòd *facem caudatam* non oſtentaret: ſed, quæ ratio fortaſſe, tam rationi veræ ſanæque, quàm Plinii quoque, Ptolemæíque, cæterorúmque veterum quorundam auctoritati, reclamaret. In eam tamen deniq; ſententiam itum à pleriſque fuit; *criniti ſideris* genus fuiſſe. quod dijudicare tamen, non hiſtorici fori, ſed cœli ſpeculatorum, eſt. Et certè quidem Annus præſens, eventìs, præter ſolitum aſperîs, nihil aperit, aut affert; quod vaticinii cœleſtis explemento quis aſſignandum putet. Mala tamen ingentia, (velut intrà vaginam adhuc recondita rhomphæa) pedetentim ſeſe colligebant: ſequentî mox, ac poſteris annîs, vim ſuam, & perniciem, effuſura.

METRUM.

Anni Acta.

Digitized by Google

METRUM.

Anni Quarti memorabiliora.

AGmen agit rerum, galeâque oleâque coruſcum,
QUARTUS: & in Quintum præſcia ſigna vibrat.
Cantabra, liligeris proſcripta examina regnis,
Reſcribit priſcis regia penna favis.
Pervolat aſſuetos Loyolæ fervor Hymettos:
Cœlite Cottoni pulpita melle fluunt.
Ædilem interea, poſitis rex Gallicus armis,
Incboat: ac tectis rus, fora, templa, novat.
At Soror immoritur malè fidæ regia ſectæ:
Et tamen id Vitam cæca, Fidémque, vocat.
CAROLUS, Inſubrum modò fax, lampáſque, cathedræ,
In ſuperâ ſenſim fit nova flamma Pharô.
Aſt aliis alibi ſtudiis, & Carolus alter,
Sveca Sudermannus ſceptra dynaſta trahit.
Cum Scaldi Tameſis, Bætique, Britannicus, almâ
Pace coit: Tiberi ſed nova bella movet.
Otia Turca ageret, niſi ſæva negotia Perſa,
Dum rapit ad Nilum Parthica caſtra, daret.
Relliquiæ Ciculæ, Gabor, & Botskajus, Enyûs, (1)
Dacica Pannoniô prælia Marte novant.
Dum Schluſam Hiſpano Batavus, dum extorquet egeſtas;
Oſtendâ exciſâ, Spinola victor ovat.
Autumni ſtellas, brumæq;, ignota laceſſit
Flamma, ſagittiferô viſa micare gradu:
Stella tremens, terrénſque ſimul, ſempérque ſepulto,
Quàm ſpectatori, mitior, Orbem agitat;

Ac

Ac Ptolemææ torquet collegia ſectæ,
Dum Venus, aut Veneris, creditur, eſſe ſoror.
Illa tamen (ſi vera licet, ſi experta, profari)
Mars magìs, aut tetrô crine cometa, fuit.
Qualemcunque tamen (tot damna futura loquentem,
Portantémque altô nuntia dira polô,)
Nec Venerem aſtrologi, Veneris neque dicite mœchum:
Sed, ſiquid ſapitis, credite Mercurium. (2)

NOTÆ.

(1) Bellonæ, *ſororis Martis: quæ Græcis* Enyo, ûs, *dicitur: quarta Contractarum.* (2) *Utpote, cœlô emiſſum nuntium. Sed, quorúmnam eventuum nuntium; cœli, nuntiiq;, conditor novit. De cometa porrò, aſtróve iſto, diffuſiùs tradunt annales; & P. A. Janſonius. M. item Gotardus Arthus, tomi VI. libro 1. & alii.*

APOCOMMA I.

Troja-Belgarum, Oſtenda; demum expugnata.


I. LIbuit, imitari ſcriptorum hiſtoriæ noſtri temporis non paucos; qui Flandricæ Belgicæque TROJÆ titulîs, OSTENDAM urbem cohoneſtârunt; ut, quibus hæc, & oppugna-

Oſtenda obſeſsa, & capta.

pugnata primùm, & poſtmodo ſubacta, nihil admodum ab *Ilio* priſco diverſum habuiſſe, viſa ſit. Nec aliud, ſuper hôc *antonomaſticò nomine*, ſenſerunt ipſi quoque, qui tuebantur oppidum; vel præſidiarii, vel indigenæ, ſtabiléſque-ſedium cives, & negotiatores. Hi namque, trienniô jam obſidionis toleratô, convulsâque verberationibus aſſiduîs urbe *vetere*; cùm *recentem* aliam, cámque *geminam*, ipſis è ruinis ac ruderibus, adſtruxiſſent; NOVÆ TROJÆ nomen ei fecerunt.

II. Sunt tamen, appellationis tam magnificæ, præter iſtam, *Oſtendanis* arbitrariam, aliæ quoque complures, & altioris momenti; nec ex libito duntaxat hauſtæ, cauſſæ: quas & liber, qui, ſub OSTENDANÆ PALÆSTRÆ titulo, noſtrâ memoriâ vulgatus eſt, clarè diducit; & nos, ſubjiciendâ mox comparationum *antithesî*, nonnihil expendemus. In quibus tamen, nemo ſanus (opinor) exſpectabit, ut ſingulis ſingula, nedum ad *æqualitatem* omnia, conferamus: id, quod utique nec in hac fieri poteſt, & in alia nullâ comparatione debet.

III. Quid autem & ad rem pertinet, quidquid in *vetere Troja* diſcordat ab iſta *Nova*?


1
2
4
5
5
5
6
3
3
Jac. Laets, ab Arches f.
Joh. Alex. à Bönor c.
1. Tem„
plum.
2. Porta Hi„
ſpanorum.
3. Litus ma„
ris.
OSTENDA
Obſeſſa:
et
capta.
4. Porta,
ad portū.
5. Hiſpan.
munitiones.
6. Poſtremus
receptus.

Digitized by Google

va? putà, quòd illa *vetus*, & Aſiæ minoris urbs, annô Mundi, poſt bis milleſimum octingenteſimum, ſeptuageſimô primô, deleta ſit? quòd item, belli diuturni cauſſam & originem habuerit, *Helenæ* formoſæ raptum; ac ruptam legitimi thori fidem? quòd regis filium, primam mali facem? quòd populum, domúmque patriam, ſceleris approbatores? quòd integri decennii, circa muros unos, ſeu moram, ſeu deſidiam, deſperationi propinquam? quòd denique, Sinonis ſimulatione, transfugium; &, Ulyſſis à fallacia, ligneum equum, armatîs bellatoribus repletum, & id genus alia non pauca, continuerit? quæ poſt Homerum, vel Dares Phrygius, vel Dictys Cretenſis, aut Latinus Virgilius, aut cæteri, Trojanarum rerum enarratores, tradiderunt. quorum tamen ſive *geſtorum*, ſive *commentorum*, aut nihil, aut vix aliquid, *Oſtenda* nobis depromat.

Interim, alia quædam ei, nec ea pauciſſima, ſuppetent; è quorum admiratione, ſplendori memoriæque ſuperioris illius *Trojæ* nihil admodum recentior iſta conceſſura ſit. Cujusmodi, de plurimis, (ut nonnulla ſaltem adducam) hæc eſſe poſſint.

IV. *Salamine* profugus, Græcæ juventutis

T

Oſtenda obſeſsa, & capta.

tutis princeps, *Teucer*; iratum ſibi patrem, eundémque regem, declinavit: Dardanicîs in Aſia minore latebris, ac munimentis, receptus, atque tectus. Et *Ordinum* Bataviæ, Friſiæ, Zelandiæque fœderatorum Optimates, Philippi Secundi, regis Hiſpaniarum, horrore, ſeſe quondam *Oſtendam*, tanquam in aſylum quoddam, ſtudiô ſecuritatis, & amore libertatis-Sacrorum, abdiderunt.

Trojanis antiquis, minoris Aſiæ pleræque gentes, & inter eas Galatæ quoque, ſeu Gallo-Græci, ſubſidia miſerunt, adversùs Lacónes, & regem Agamemnonem. *Fœderatis*, Oſtendanos intrà muros obſidione preſſis, & Germaniæ Proteſtantes per auxiliarem militem; & Europæa Gallia, Gallo-Græcorum conſanguinitas, per Comitem Caſtilionæum, ac duces alios, cum copiis, præſtò fuerunt.

Illa *priſca* Phrygiæ *Pérgama*, conſiliis ſuîs & opibus, non Hecuba tantùm, Paridis mater, ſed & Aquilonis ac Scythicarum gentium reginæ, juverunt. Et *Oſtendam*, regina Septentrionis, *Eliſabeta Britannica*, jam tum ab ipſis obſidionis initiis, ante triennium, milite, ſtipendiis, electiſſimíſque ducibus, firmare cœpit; Horatiô Franciſcôque, Vehérîs fratribus, illuc expeditîs. *Ilium*

Ilium illud vetus tutatus eſt *Hector*, Priami filius, militarî gloriâ celeberrimus. Et *Ilium* iſtud *novum*, non unus, ſed impendiò multi; virtute, mortéque, pluſquam Hectoreâ memorabiles. quorum nomina cum fide verſus meus adnumerat; adjectô quoque, ducum propugnantium haud poſtremô, *Vandernothio*: cujus vel ipſum quoque nomen Belgicum, (quod, Latinè converſum, *De-neceſſitate*, ſonat) res *Oſtendanas*, in extremum adductas caſum, non ominosè minùs, quàm veriſſimè, ſignificabat.

Quid multîs? Nec illa quidem abfuerunt à *Troja Flandricâ*, quæ *veterem* ad *Trojam* fuiſſe, per omnes Iliadis Homericæ libros, memorantur. Simois, & Xanthus, flumina Troadis; & anguſtum Hellesponti fretum. Ad *Oſtendam* enim, hinc quidem, *Ipperlaum* fluentum; illinc autem, *Flandrici Sinûs* arctus canalis, & *æſtuarium*, ipſa ſubluens mœnia, ſpectabantur. Quæ cuncta, cæteráque talia, Trojanos Oſtendanóſque, tanquam obſeſſos, & ſuorum utrimque mœnium propugnatores, attinebant. Addam ego tamen & illa, quæ *Græcos* & *Hiſpanos*, illos *Trojam antiquam*, iſtos autem *Oſtendam* circumſidentes, inter ſe-

Oſtenda obſeſsa, & capta.

ſe, comparationum quodam certamine, committant. quæ ſanè non multò cuipiam minora videri debent.

V. Et quidem, ad *priſcam* illam Trojam, Peloponnéſi, Theſſaliæ, reliquæq; Græciæ, pars magna ſub tentoriis, & irata Phrygibus, deſidebat. Ad *noſtratem* autem hanc, Italiæ, Germaniæ, Belgarum, Hiſpanorúmque multitudo numeroſiſſima, caſtrîs infensîs, hærebat. Ad illam, *dux ducum, Agamemnon*: ad iſtam, Agamemnonis majeſtate venerabilis, *archidux Albertus.*

Ad Trojam *antiquam*, Achilles Theſſalus; ad *Oſtendam*, Bonaventura, *Comes Bucquoius*, Achillis, utì gloriam, ità fata quodammodo, ſortitus: ut, qui poſt multos tandem annos, de mœnibus in ſe jacto mortis inſtrumentô, trajectus & ipſe fuèrit: non Paridis quidem ſagittâ, ſed Pánnonis ignitâ plumbeâque glande. Tametſi (nequid hîc per errorem tradam) *Achillis* invicti nomen, atque claritudinem, ægrè tunc alii conceſſura fuit eminentiſſima Severinatis Ducis fortitudo, Liguriæ decus ingens: *Ambroſii* nimirum *Spinolæ*, poliorcétæ. qui, *Friderico* fratri, thalaſſarcho nuper Hiſpano-belgico, ſuffectus, poſt mor-

mortem ejus; non maritimâ tantùm, ſed caſtrorum etiam, ac totius expeditionis Albertæ, præfecturâ reſplenduit. Isque, præter alia quàm plurima, fortiter ac feliciter adminiſtrata, ne prudentiæ quidem militaris præſtantiâ cujquam ceſſit, vel *Pylio* priſco, vel novo *Néſtori*. Dexteritate verò pariter, & ingeniô machinarum ac molium, ſeu terrâ ſuſcitandarum, ſeu marî jaciendarum, antiquis illis ad Trojam *Epéis* omnibus, fabricarum palmam præripuit; tum aliîs artificii ſummi ſpeciminibus; tum vel inprímis, quòd in ſolo, per omnia prorſus inhabilî repugnantéque, cuniculos tamen, & agi poſſe docuit; &, ut agerentur, perfecit.

In *veteris* præterea *Trojæ* celebrioribus obſeſſoribus, *Ulyſſes* fuit *Ithacus*; vir, bonus conſiliîs, ſed cautus certaminum, cominúsque conſerendæ manûs. In recenti Troja, *Franciſcus* erat *Mendoza* (de quo ſuperiùs quoque memoratum eſt) archithalaſſus Arrágonum; rerum gerendarum, ſiquis alius poſt Spinolam, ſanè providentiſſimus; at, niſi ioco, tempore, commodôque ſuô, vix aggredi quidquam ſolitus; & obidipſum, pleriſque tunc habitus æquô *cunctantior*, in ſuprema præſertim

T 3

Oſtenda obſeſsa, & capta.

tim Martis diſcrimina. Cuj, licebit, adjungas Marchionem Malaſpinæum, Italum; aliósque nonnullos, calliditate militarî caſtris Albertæis perutiles; nec improſperîs armorum ſucceſſibus in vulgus notos.

Penthesiléam quoque, (tametſi pro Priami partibus,) ſuper alias tamen Amázonas, MEDIIS IN MILLIBUS ARDESCENTEM, VIRISQUE CONCURRERE VIRAGINEM *auſam*, antiquum illud *Ilium* ſuſpexit. At *Oſtendana* non minùs expeditio, pro Philippi Regis, & Archiducum partibus, deprœliantem ſenſit *Bellónam mortalem*; quam tamen ſerò tunc agnovit: Hiſpanæ gentis ac fortitudinis juvenculam. Et hoc tale, gloriæ militaris capax, *pectus*, adversô militis *Oſtendani* ferrô transverberatum, tardè quidem, ſed tamen ad extremum, ſeſe probavit, è papillis *fœminam*; è vulnere, quod adverſo corpore mortiferum exceperat, *maſculam*; ex aureo circa lumbos torque, *nobilem*, ac generoſam. quem tamen ei titulum, ſi negâſſent natales, & fata ſtirpis; heroica certè facta tribuiſſent.

VI. Illud autem, quàm juſtæ, quàmque propemodum ad numeros expenſæ, comparatio-

rationis ac ſimilitudinis eſt, *Aſiaticam* inter, ac *Flandro-Belgicam*, Trojam?

Nam, in illa *vetere*, cùm ingentibus utrimque copiîs, apparatu maximô, vi ſummâ, cædibus innumerabilibus, decertatum terrâ marîque fuerit; ídque, virîs, & equis: TROJANORUM quidem recenſita cadavera ſunt, *millia ſexcenta, ſex, & ſeptuaginta*; GRÆCORUM autem ibidem, *octingenta, ſex & octuaginta millia*, Phrygiô ferrô conciſa. (1)

Sed ad *Ilium Oſtendanum*, per obſidionis univerſum illud ſpatium, (quod *non decem*, verùm, *vix trium ampliùs annorum, totidémque menſium*, fuit) interiêre, quà ferrô, flammâque, quà globîs tormentariîs, & eluvione maritimâ, fame præterea, frigore, peſtilitate, variorúmque morborum aliorum agminibus, quot tandem? *Populus* (ut ne dicam, Mundus) *immenſus!* ex quo, poſt computationis induſtrium conatum, ipſa denique numeri deſperatio numerum elicuerit; ſed mutilum, & *verô* videlicet *inferiorem*.

Deprehenſi quippe ſunt, auctore, cuj temerè fidem vix abroges (2), *intrà* quidem *Oſtendam*, cecidiſſe; LEGATI, ſupremo cum jure præſidiariis impoſiti, tredecim: Præ-

Oſtenda obſeſsa, & capta.

fecti Tribuníque novem, ſuprà viginti: Centuriones, quingenti, tres ac ſexaginta: Vexilliferi, trecenti, viginti duo; Præfectorum-vices obeuntium, mille, centum, nonaginta duo. Ductores ordinum, quater mille, ſupráque nongentos, undecim: militarium excubiarum Tribuni, novies mille, centum, duodenonaginta: Gregariorum, manipulariúmque militum, quater & quinquagies mille, ſexcenti, tres, & octoginta: Nautarum remigúmque, ſuper octingentos, undecim; Muliercularum, militariúmque parvulorum, mille, centum, & octo, ſupra nonaginta. Quo fit, ut eorum numerus, quos intrà ſuámet viſcera per triennium abſumpſit urbs *Oſtenda*, variô lethi genere deletos, ſummam capitum conficiat, ſeptuaginta duorum millium, ac nongentorum.

VII. At verò *foris*, hujus *novæ Trojæ* mœnia circumſidentium, ALBERTÆORUM, per univerſum obſidii tempus, extra controverſiam, amplior longè fuit extinctorum acervus: qui conſignatus ad plenum utique non fuerit. Interim illo bimeſtri circiter, ante captam Oſtendam interjectô, cujuſdam, ad munimenta cæſi, quæſtoris Hiſpanienſis, priuſquam terræ cadaver ejus mandaretur, excuſſa

cuſſa veſtimenta ſarcinæque ſunt. In iis deprehenſa finitio nonnulla numeri fuit, certa quidem illa; ſed ad apicem univerſæ ſummæ necdum perducta: tum, quia duo ſolidi menſes, iique poſtremi, deerant; quibus tamen ingens adhuc multitudo, dum incurſibus ardentiſſimîs obſidionis exitum adurgent, ferrô, glandiúmque jactibus, ceciderunt: tum, quia numeratorem, etiam ante bimeſtre ſupremum illud interfectorum, quàm plurimorum, occubitus fugit.

Recenſebatur nihiloſecius, jam tum, in illo *funebri*, de quo dixi, *diario*, bellô prœlíisque ſtratorum, ex *Albertæis*: Equitum magiſtri, ſeu *Mareſchalli*, ſeptem; excubiarum magiſtri viginti novem: pedeſtrium copiarum præfecti quindecim: centuriones quingenti, ſexaginta quinque; Signiferi trecenti, viginti duo; præfectorum locum tenentes, mille, centum, ac ſedecim; ductores ordinum, ultra quater mille, nongentos, inſuper undecim; tribuni minores, novies mille, centum, ſexaginta ſex; decuriones caſtrenſes, ſexcenti: milites manipulares, & cuniculis agendis conducti foſſores, quinquagies quater mille, ſexcenti, ſexaginta tres: navicularii remigésque, ſupra

Oſtenda obſeſsa, & capta.

ſexcentos, undecim: parvorum, in caſtris, liberûm, ac fœminarum, centum, & novendecim.

Summatim demum: *Albertæis* in caſtris, fato Martique conceſſerunt, ad Septuaginta duo millia, centum, viginti quatuor.

VIII. Poſt quæ tanta, taliáque compluria, quis non jam permagnam deprehendat, & iſtius *noſtratis*, & illius *veteris*, Trojarum ſimilitudinem! utpote, quarum, ſi per ſingula componantur inter ſeſe, collidantúrque, propemodum pares utrimque reperiantur, palmæ contentionum.

In unico ferè ſolo perlibenter, ſe victam, & ultrò, confitebitur, *Troja Flandrobelgarum*; & herbam *Aſiaticæ* porriget: futura tamen hôc ipſo, certâ rerum conſideratione, victrix, & ſuperior.

Cùm enim *Oſtendanum* hoc obſidium, Julii menſis ingreſſu, cœptum fuerit, anno Sæculi ſui primô; deinde quarti pôſt anni menſe Septembri, jam ſpectante finem, expugnatione conſummatum ſit: illius, è diverſo, *veteris Ilii* labores, atque caſtra, *decem* in annos, *menſésque ſex*, *& dies duodecim*, ſunt extracta.

Quocirca, ſi confitendum ſit, quod res eſt:

eſt: *Ilium* quidem illud, dum oppugnatur, plura temporum ſpatia; ſed *Oſtenda*, virtutis ac belli denſiora mundo miracula, repræſentavit, eíque ſuſpicienda dedit: cùm id præſtitit, quod, vel in otioſis tabularum picturis, majori laudi datur; ac videlicet, rerum geſtarum, & generoſorum facinorum, ampliſſimam diffuſámque copiam, arctiores intrà metas, & ſtadia, compegit. Quod enim ægrè Phrygum domitores illi Græci, poſt *decennium* denique, *tardiúſque*, dolîs ſuîs ac machinamentis, emoliti ſunt; id Belgarum Germanorúmque virtus; id Italorum & Aſturum equitatus, artis bellicæ glorioſiore breviariô, quoddam expeditionis in compendium miſerunt: decem amplorum Solis orbium recurſuúmque moram, in *unius quadriennii*, duntaxat *inchoati*, promptitudinem compellendo.

Nimirum itaque, plus *fecit*, quisquis *celerius* aliquid, & tamen rectè, *conficit*. ac planè, *fluxu* bella, *ſucceſſúque*, non *ſtatione*, celebrantur, aut *deſidiâ*.

TESTIMONIA.

(1) *Jacobus Salianus, Annalium eccleſiaſticorum Vet: teſt: tomo 2. in annum mundi 2871.*

(2) *Gotar-*

Oſtenda obſeſsa, & capta.

(2) *Gotardo Artho, tomo 6. libro 1. narrationum hiſtoricarum.*

Cæterorum, quæ retuli, geſtorum, obvii paſſim auctores ſunt, multæ lectionis viro. Quorum in numero ſunt, P. A. Janſonius: Emmanuel Meteranus, fine ſuorum, de rebus Belgicis, operum: Slejdani continuator Germanicus; Laurent: Beyerlinckh, tomo. 2. chronicorum: & Henricus Spondanus, in proluſionibus continuationis Baronianæ, aliique. ſed accuratiſſimâ diligentiâ, PALÆSTRA, quam inſcripſerunt, OSTENDANA.

METRUM.

Duarum Trojarum, priſcæ, novæque, inter ſeſe collatio.

FLandrica quòd Phrygio toties Oſtenda labori,
Antiquóque recens, adſimiletur, opus;
Magnificum ſi hoc fortè tibi, nimiúmque, *videtur:*
Cauſſas, quæ legis hæc, accipe, poſteritas.
Abluant, agè, pauca, ſinas. ſi cætera bellè
Congruerint; quædam & vincere poſſe, dabis.
Non fuit inceſti tutrix Oſtenda *grabati:*
Nec Paris hic raptor, Grajáque rapta nurus.
Non hîc lenta moræ, non ſegnis Achaia pugnæ;
Non fallax (Martis linea ſumma) Sinon. (1)

At

At fuit, in Troja hac, Batavo ſua Regia Teucro:
Pro Troja hac, Galatûm ſtabat amica fides.
Pro Troja hâc, Hecube incaluit Tameſæa, veternô
Marcida, per Priamos, Priamidáſque ſuos.
Dorpius, ac Veeri, & dux Vandernotius (arctis
Triſte omen fatis) Hectores urbis erant.
Nec Simois, Xanthúsve, aberant, Hellêsve profundum;
Ipperlæa, *arcto mixta* fluenta *ſalo.*
AT foris, in Trojam hanc, regnorum ingentia caſtra,
Atque Europææ flumina militiæ.
Hîc Agamemnonides Albertus; & alter-Achilles,
(Spinola ſi huic poſſet cedere) Bucquoius.
Spinola ſed Neſtor fuit idem, & gnavus Epéus,
Dictatórque novi dædalus obſidii.
Hîc quoque pro vafro felix conſultor Ulyſſe
Præſtò erat; & præſtò Penthesiléa furens;
Cincta armis, torquata aurô, nec acinacis expers,
Et bellatricî docta ferire manu.
Hîc quoque caſtra, rotæ, tormentigeræq; quadrigæ:
Hîc maria, hîc claſſes, vulnera, pugna, neces.
QUID minùs ergò recens veteri tenet Ilion Iliô (2)?
In Troja niſi quòd fabula nulla *meâ eſt.*
SED, bis quinque (*inquis*) *ſunt Pergama preſſa per* annos.
Audio. Caſtra igitur tam, tibi, lenta placent?
Bætica, Cantabricîs equitans Victoria mannîs,
Unâ luſtra duo clauſit Olympiade. (3)
Trojam igitur Trojæ compone. noviſſima vincet;
In qua nil ſerum, *Dardaniúmque, fuit.*
Confer & excidio excidium; QUAM diſſona! (dices)
Hoc fecêre Homines: ligneus illud Equus.

TESTI-

Oſtenda obſeſsa, & capta.

TESTIMONIA.

(1) *Æneid. 2.* Talibus inſidiîs, perjuríque arte Sinonis,
Credita res; captíque dolis, lacrymíſque coactîs,
Quos neque Tydejdes, nec Lariſſæus Achilles,
Non anni domuêre decem, non mille carinæ. &c.

En! quantum in Sinone *pondus, & inſtar, fuit! ad Trojam capiundam.* (2) *Tali Dactylo verſum heroicum abſolvit, ſequente mox vocali initiô proximi versûs, Virgilius, l. 6. Æneid. cùm ſcribit.*

Per campos paſcuntur equi. Quæ gratia curruum,
Armorúmque fuit vivis &c. (3) Quadrieñiô.

Græcos conſule, contra quoſdam Daſypodios Latinos.

APO-

APOCOMMA II.

Pretioſus, ex urbe, tumulus, facta eſt Oſtenda everſa.

I. QUID Labor deinceps ullus, non dicam, *Togatus*, & in umbræ duntaxat tranquillitate negotioſus; ſed planè *paludatus* etiam, & in ſagulis exhauſtus: ſub Sole multo, denſum inter pulverem, copioſum per cruorem, ſub ſignis, & claſſicas inter tubas, exantlatus? quid, inquam, fallaci mortalium exſpectationi, quid meritis ſuîs dignum unquam, & par, repenſurus eſt: ſi fefellit ſudor *Oſtendanus* circumſeſſores urbis illius? eóſque tam pertinaces, & indefeſſos? Et tamen fefellit.

II. Ad decimum enim Calendas Octobres ſibi deditam *Oſtendam*, ductore *Spinolâ* Genuate, miles victor ingreſſus, ac ſingula contemplatus; quid, (oro te,) quid invénit? Nimirum, *Pluſquam dimidium Oſtendæ*, tormentorum ictibus, & fluctuum, mœnia ſubluentium, impetu proſtratum; in ruinas, in fragmenta ſaxorum, in rudera pulverémque, deſediſſe. Partis autem reſiduæ, ſic omnia quaſſata, deprehendit; ſic convulſa disjectá-

que,

Oſtenda obſeſſa, & capta.

que, ſacrîs pariter ac profanis in ædibus, & in publicis privatíſque domiciliis: ut, nec UNICUM quidem, (nihil in *hyperbolam* extollo) per oppidum vetus omne, tectum, nullúmque prorſus parietem, ſuis conſtare compagibus, & integritati, miraretur. (1) Quid vis, lector? In compendio dicam. CIPPUM veriùs, quàm *Civitatem*, aſpexêre: TUMULUMque contemplati ſunt; ſub quo, non opes, & gazæ transmarinæ, ſed tot millia cadaverum defoſſa latitarent, mortalitatis illius; quæ pro mœnium illorum defenſione procubuerat.

III. HÆC ergò, nec alia, cùm miles expugnator in *Oſtenda* ſuâ videret, ſedis (tam amplæ quondam) poſſidendæ ſpe fructúque dejectus; & prædæ divitis adeò diuturnâ, ſed gratìs, exſpectatione lactatus; quid *dixiſſe* cenſes? Divinare, quàm ſcire, promptius eſt. Quid autem *dicere potuerit*, aut *debuerit*; & quibúſnam ſententiarum ponderibus reſpondere ſuorum querelis *ductor* eorum *Spinola* ſategerit: in Apollinis omne ſedet arbitrio. quod nos verſu damus.

TESTI-

TESTIMONIA.

(1) *Tradunt id, exſertis verbis, P. A. Janſonius, tomi 6. libro 26. & Arthus Daniiſcanus tomi 6. lib. 1.*

METRUM.

Hic, *ubi Cattiaci ſteterant modò littoris* (1) *arces,*
Oſtendi ſolitæ nomine, Marte, manu:
Jam nihil eſt, digiti quo ſe monſtrator acuti
Articulus laſſet; tecta, ſitúmque, notans.
Vix portus, lapidúmque ſupèr ſcopuloſa ruina eſt.
Hæc, (rogo) quô ſteterant, quô jacuêre, lucrô?
Talia ſi, Ligurum duce (2) *coram, verba vibrâſſes,*
Pulſa foret nullâ quæſtio vana morâ.
Verſus in obſtantûm namque imperterritus ora,
Dicta hæc magnanimâ Spinola *voce daret;*
PARVA licèt viſu, magna eſt res capta, ſodales,
Quámque bene hôc emptam, credimus, excidiô.
Namque his in ſcopulis, lapidosôque aggere, COTEM
Viva *habuit Virtus*; mortua, *MARMOR habet.*

TESTIMONIA.

(1) *Vide Abrahami Ortelii tabulam Belgii Veteris, geographicam: ubi, quo ferè loco recentiores* Oſtendam *exhibemus; priſci* Cattos (*qui pòſt aliò migrârunt*) & Cattiacum *littus, collocaverunt.*

V

Oſtenda obſeſſa, & capta.

verunt. (2) Genua, *unde* Spinola *oriundus*, *Liguriæ maritimum caput*, *& Reſp. eſt.*

APOCOMMA III.

Bellum ingens; præda belli, Nihilum.

OStendanam urbem, deditione quidem denique traditam, ſed in annum uſque quartum obſeſſam; quantam ſibi, quámque ſpoliorum opulentam, victor exercitus ſit pollicitus: quantò, contrà, ſperatîs tenuiorem invenerit, poſtquam introgreſſus eſt; in promptu tenes. Id enim & nos paullò ſuperiùs demonſtravimus; &, qui Thuanum, Boterejum, cæteróſque, nomine *Continuatoris*, defloravit; id diligenter expoſuit. Hic idem, *Oſtendam*, qualis ab Hiſpanis expugnatoribus erat reperta, SEPULCRUM nominat. At Henricus Spondanus, etiam PULVEREM. (1)

Et, pro tantillo terræ ſabulô, concuſſus tunc eſt Septentrio? tremuítque mundus, & intonuerunt elementa rerum!

TESTI-

TESTIMONIUM.

(1) *In Proluſionibus, ad Sæculum, à Chriſto nato decimum ſeptimum.*

METRUM.

DEdita cùm victrix Oſtendæ *mœnia tandem*
Intraret legio, ſurrigerétque caput;
Urbem urbe in media, Oſtendam *quæſiſſe minacem*,
Fertur, in Oſtenda: *víxque fuiſſe fides.*
Atque aliquis, tantæ tam vilia Pergama *famæ*
Miratus, querulâ talia voce refert;
LONGORUM *hoc igitur pretium eſt, tam informe, laborum?*
Hoc, *ſparſi in terras ac freta, Martis opus?*
Hoc bis-vicenæ meruerunt cornua Lunæ,
Cornua, quadrimâ pervigilata tubâ?
Hoc Poliorcétes? *hoc, haud Demetrius* (1) *unus,*
Palladiô ſollers extudit ingeniô?
Menſtrua cuj proſunt, plus quinquagena, globorum
Millia; fulmineis torta, retorta, pilis?
Tantillum toties tantô cur ſanguine littus
Immaduit? quæ ſpes digna tot hauſit opes?
Tam denſô Byrſam (2) *hanc minimam, littúſque, parârunt*
Quindenæ (infandùm!) funere myriades? (3)
Mœnia *credideram, quæ nunc* pomœria *non ſunt:*
Tecta, arces, turres, finximus; & Nihil *eſt.*
Gens *ubi nunc, cùm vix* hominis *veſtigia reſtent?*
Urbs *ubi? Vix* cinis *eſt urbis*, & umbra, *ſupèr.*

Oſtenda obſeſſa, & capta.

Ad ſummam! Oſtendæ *quod reſtat, ſiquis obibis;*
U T O P I Æ (dices) hic, puto, vicus erat!
Sin geſta obſidii numeres, cladéſque, viréſque;
Dardania *hæc (referes), ſed,* RECIDIVA, *fuit.*

TESTIMONIA, & NOTÆ.

(1) *Macedonum regis Antigoni filius, ab urbium expugnatione proſperâ,* πολιορκητής *cognominatus.* (2) *A* corio bubulo, *ſeu taurino,* conciſô, *quod ſpatium, ab urbe condendâ occupandum, includebat & ſignabat;* Byrſa *principiò dici* Carthago *cœpit. erátque Libyci maris littoribus impoſita: non ſecus, ac poſtea* Oſtenda *Sinûs Flandrici maritimo margini.* (3) *Tot* myriadas *computant, Janſonius, & alii quidam, eorum; qui obſidionis* Oſtendanæ *toto decurſu ceciderunt. Et nos paullò ſuperiùs,* Quinque *duntaxat* myriadibus *minùs: ut, qui disertè profeſſi ſimus, integrum Albertæorum cadaverum cenſum obitum non fuiſſe; propter duorum menſium poſtremorum Libitinam, necdum tunc conſignatam.*

Cæterùm, apud eoſdem quoque ſcriptores reperies; Unici menſis *ſpatiô,* pluſquam quinquaginta globorum *miſſilium* millia, *ab ſolis etiam Albertæis, intrà oppidum fuiſſe conjecta.*

Quan-

Quantum ergò tu numerum, indidem cenſes regeſtum, in Alberti caſtra?

APOCOMMA IV.

Nuda ſteriliſque, ſed Hiſpanici tamen tunc juris facta, Oſtenda: non faſtidienda.

I. MUlti ſub id tempus, quo vel obſidebatur *Oſtenda*, vel tandem occupabatur, more malè-feriatis & invidis hominibus ſollemnî, calumniabantur; Tantum, pro loci, nec opimi, nec adeò magni, neque ſaltem adhuc integri, poſſeſſione, fuiſſe contentionis laboriſque ſuſceptum. Quem tandem fructum, aut quódnam par lucrum fore, tam ingentium ſtipendiorum, ac ſumptuum, quadrienniô durantis obſidionis? Quódnam æquū dignúmq; pretium repenſum iri, tot fortiſſimorum Heróum vitis? tot millibus, ac myriadibus, ſtratorum cadaverum militarium? Nimirum, *mactari*, clamabant, *Hecatomben*; *&*, *pro centum tauris*, *impetrari vix culicem. Auream impendi Cherſonéſon*; *& ſeri metique cavam Arabiam.*

V 3 Hæc

Oſtenda obſeſſa, & capta.

Hæc illi tunc, & alia talia, livoris, & otioſæ garrulitatis, ſcabie prurientes, crepitabant.

II. At nihil his contrà majeſtas Hiſpana, maturitáſque prudentiæ Brabantinæ: niſi loquacibus, ſilentium; & *Oſtendæ* dirutæ, ſua mœnia, novîs exſtructîs, repoſuit; celeritate, quantacunque fieri maximâ potuit. Impellebántque feſtinantes, *Spinolæ* ducis alacritas, & Archiducis *Alberti* præſens ſemper ſtimulus; inſtaurationis exhortator. Ducum horum auſpiciîs, muros ac tecta reparantibus fabrîs, & militibus, impendia ſubminiſtrabantur.

III. Ità, *leonum* more, *catellorum* latratum contemptu refutantium, diſſimulatione magnificâ victrix Hiſpania, ſuæ laudis obtrectatoribus os intercluſit; *Satìs eſſe ſibi*, demonſtrando: *Si ſolo, quantumvis ſterilis ac nudo, dominatu tamen, ac pleno jure, lætari ſic poſſet:* ut Invidos indè mœror torqueret; & victos coërceret imperium.

METRUM.

SPinola dum Batavæ vexilla volantia Trojæ
Inferret, dignum nuſquam habitura locum;
Uno fortè ſimul Sollertia, Gloria, Livor,
Tres ſteterant, capti ceſpitis orbe, deæ.

Hic

Septennii I. Annus 1604.

Hîc Livor; *Quid reſtat, ait,* Sollertia *quô ſe*
Jactet, arenoſis ditior aggeribus?
Hócne igitur cupidis ſpes lenta rependit Iberis;
Ut nudum, eluſô vomere, littus arent?
Sic Livor. *Nihil, hæc contrà,* Sollertia. *Pro qua*
Gloria, *patronâ ſtans animoſa fide;*
Littus aret (dixit) victoria Bætica nudum!
Dummodo, captivô *jam, domitôque,* bove.

APOCOMMA V.

Pyramis probroſa, dejecta, Inſontibus infamiam detrahit; everſori gloriam addit.

I. SÆpenumero, quam *Ratio* noluit, aut nequivit, *ætas* correxit, indignationem: quoties præſertim hæc incidit in animum bonum, indolémque generoſam: apud quam vulneris, etiam profundiùs adacti, memoria demum commoritur. Teſtis eſt aſſertionis hujus, HENRICUS Borbonius, Francorum ac Navarræ rex: omnis, non clementiæ minùs, ac veniæ, quàm gloriæ militaris, exemplar.

II. Hunc, annô ſæculi ſuperioris quartô, ſupra nonageſimum, *Joannes* quidam *Caſtellus*, cive mercatoréque Lutetianô genitus, è

Probroſa pyramis dejecta.

medio tollere, mente furiîs incenſâ, deſtinavit. Quocirca, ſextô Calendas Januarii, confertam inter turbam, cœnâ digredientem in cubile regem, exitialis ferri mucrone, per inſidioſum impetum eſt aggreſſus. &, quantum in ipſo fuit, utique mortem intulerat. Sed ſaluti fuit; quòd Rex, eodem ipſo, quo percutiebatur, momentô, diſcedentem à ſe quendam amicorum, per valedictionis officium, complexu ſtrinxerat: ídq; dum agit, corpus (ut fit) aliquantò promiùs inclinârat. Quo caſu, ſive fortunâ tunc Regis, ſive (quod aliqui crediderunt) genii cœleſtis directrice tutelâ, *Caſtelli* percuſſoris nefandus ictus, in regis *dentes* eſt impactus. *Dentium* autem pauculîs excuſsîs; de cætero ſalvum rex corpus, & Spiritum, aſportavit.

III. At inter hæc, qui ſe per tumultum jam ſubduxerat, quæſitus ſicarius, ac repertus erat: non tam apparitorum, qui tergo profugientis inhæſerant, induſtriâ, quàm propriæ, maléque diſſimulatæ, trepidationis vî, comprehenſus. Nam, QUOTOCUIQUE ſceleſto, recèns-patratum facinus, impavidum animum, orísque conſtantiam, poſt ſe relinquit? In ſummam! MALA Conſcientia, quovis lorariô potentiùs, arctiúsq;, reum ligat.

Retra-

Retractus igitur è fuga percuſſor, quæſitoribus ſiſtitur. Isque, monſtratîs primùm, ac mox, adhibitîs quoque, fidiculîs; de ſuſcepto facinore confitetur. De domo, quâ prodîſſet, déque parentibus, interrogatus; *Petrum Caſtellum*, ac *Dionyſiam Itaſardam*, parentes nominat. Et patrem quidem, (quem tam improbum conſilium non celâſſet) conatûs adeò tetri diſſuaſorem ſeſe præſtitiſſe.

De *Societatis* verò JESU Religioſis, (quorum ſe ſcholas olim & auditoria frequentâſſe, faſſus fuerat) interpellatus, ecquid nôſſet? *Guerrérum*, dixit, quendam, Ordinis illius, doctorem ſibi fuiſſe litterarum inferiorum; ſed eo tempore, quo de cæde regia nullamdum cogitationem ſuſcepiſſet. Poſtea verò, quàm in voluntatem tam pravam incidiſſet, ſe conſcientiæ ſuæ directori, pro ſecreto ſacræ Confeſſionis, ſuam aperuiſſe mentem; ſed ab eo, vehementiſſimè ſcelus id exſecrante, verbis multîs fuiſſe deterritum; at incaſſum. *Sociorum* cæteros, ex æquo cunctos, à *Regicidii* conſcientia per omnia pronuntiavit alienos.

IV. Nocuit hæc ipſa tamen enuntiatio; non quidem *confeſſo*. Quid enim, exempla noviſſima promerito, poterat ad ſupplicii cen-

Probroſa pyramis dejecta.

ſuram accedere ; cuj nihil jam addi poterat ad facinoris atrocitatem ? Læſit is tamen *innoxios*, hôc ipſo ; quòd ab homine *nocentiſſimo*, patrocinium, ac teſtimonium accepiſſent innocentiæ : tanquam arcana nefarii conſilii ſocietas , *Caſtello* defenſionis ſollicitudinem expreſſiſſet.

Itaque, (ne longior in narrando ſim,) cruciatibus noviſſimîs , utì meritus erat, laceratus reus eſt : in exilium pulſus Petrus genitor. Collegium præterea *Societatis* Claremontanum , cum univerſis ſcriniis ejuſdem librariîs, excuſſum. *Joannes* quidam *Guingardius*, ob nonnulla Theologicè de tyrannicidio, ſed nequaquam è mente præſidum , exarata, raptus in furcam; & ſuffocatus. Subjectus quæſtionibus is quoque, qui *Caſtelli* confeſſionibus, arcani ſigillô munitis, aures præbuerat ; eò, quòd flagitium, à juvene conceptum, à ſe verò diſſuaſum , ac diris devotum , auſus eſſet ſilentiô premere. *Societas* denique, juſſa *Galliîs* emigrare; præfixô die, cujus exordio primô lucis omnes excederent.

V. Caſtelli, poſt hæc, ædes dirutæ, ſolóque ſunt æquatæ. Vacuam autem earum aream, altitudinis ac molis viſendæ pyramis inſe-

Digitized by Google

inſedit, lapidea. cujus marmor, AD PERPETUAM REI MEMORIAM, *Caſtelli* parricidiũ, ac facinus, loquebatur; notîs elementorum, grandibus, & æternitatem laturîs. Et, quoniam is, *Societatis* ab hominibus, litteras, ac conſcientiæ ſuæ moderamen, hauſiſſet : ob id in eandem inſcriptionem illam, Ordinis etiam iſtius mentio, nequaquam honorifica, pariter intrârat. Id operâ ſtudiôque fiebat eorum, qui vel *Calvini*, vel malevolentiæ, vel utriusque pariter, malîs imbuti venenîs; ad inveteratum explendum odium, turbine fluctúque temporum illorum abutebantur. Id quod mirum videri, novúmve, non debet. NAM, utplurimùm, quæ ſimulatione caret, *ſimulatorum inſidiis Innocentia non caret.*

VI. Duravit porrò monimentum illud ſaxeum, ac marmorea ſatyra; quamdiu, regnô proſcriptæ, *Societatis* exilium. At exiliô, poſt hæc, per Henrici IV. clementiam, verè regiam, antiquatô; *pyramis* etiam illa, quam dixi, paullò pôſt, Sole populóque ſpectantibus, excisa funditus eſt : & integritatis infamatrix ſcriptura, minutiſſimos in pulveres redacta; deſedit, & obmutuit.

Ità factum eſt, ut Galliarum rex fortiſſimus,

Probroſa pyramis dejecta.

mus, poſt tot, ex aliis reportata, bellica trophæa; tandem, exactô jam illo turbido decenniô, ſuapte quoq; de mente victoriæ vexillum erigeret: reconciliatus eis, erga quos aliter, ac voluiſſet, indignitate temporum, & inimicorum, aliquamdiu ſeſe monſtrâſſet affectum. Clementer itaque, ſub hæc, in gratiam eosdem recipiendo, providéq; columnam, Religioni nocituram, diſſipando; populorum quoque mentes, diversè priùs animatas, blandè recompoſuit. Ipſe quoque Rex, ad fabricas & ſtructuras, quibus ſub idem ipſum tempus Gallias ſuas exornabat, reverſus eſt: poſt mandatam pyramidis ruinam, exſtructor *eminentior*, quàm quiſquam uſpiàm *urbium ædificator*.

METRUM.

Societas reducta; Columnáque glorioſè dejecta.

Turbine fatorum, Franci quos limite regni
Præcipitî expulerat torta procella fugâ,
Mellea pacati jubet indulgentia Regis,
In portum Socios *vela referre ſuum.*
Utque redux ageret, nullâ jam nube relictâ,
Ævum laturas gratia tanta moras;

Ipſe

Ipſe ſerenatô placidus de pectore tollit
Omnia præteriti turbinis indicia.
Ipſe, gravem ſaxîs, graviorem pondere famæ,
Magnanimô ſternit fulmine pyramidem.
MACTE, novô, rex Magne, gradu! quo, (cætera ſummus,)
Nunc, ipſo quoque te celſior, erigeris.
Edúcant alii, certantes nubibus, arces:
In cœlum ædificent: ſidera pulſet apex!
Hoc nihil eſt. *Rhodios ducant ex ære Coloſſos;*
Reſtituant priſcum marmor. Et hoc nihil eſt.
Rex ſtruat ipſe licèt: poſitore Lutetia *rege,*
Aurea, & auguſtum *Flexia* (1) *fiat* opus:
Laus, etiam hæc, minor eſt; & Opus mortale. *Quid ergò?*
Quæ ſolida eſt fabricæ laus? ITA deſtruere. (2)

TESTIMONIA, & NOTÆ.

(1) *In ea namque urbe Societati JESU Collegium tunc ponebat Henricus IV. Galliarum rex.* (2) Pyramidis, *toties nobis hoc locô nominata, demolitionem, refert in hunc annum Continuator, cum aliis quibuſdam. At, in annum proximè ſequentem, Jacobus Gordonus; operis chronologici poſteriore tomô. Sed mihi, Societatis JESU, ſub unum idémque ferè tempus, & ſedibus ſuis, & meliori famæ, reſtitui cœptæ, narrationem hiſtoricam diſcindi, non placebat. Ejuſdem autem pyramidis, & mentionem reperies, & epigrammation, apud Franciſcum Remon-*

Probroſa pyramis dejecta.

mondum, Societatis ſcriptorem, libro 2. epigr. 68. editionis Antuerpianæ, anno 1614.

Ad Caſtellum *denique* ſicarium *quod attinet; cave, impingas in Urſini Eibenholdi, neſcio cujus, narrationem maledicam, ac mendaciîs refertam: in qua, pro Caſtellis, Chaſtelios ponit. Societatis verò famæ, quàm amicus fuerit; libri Titulus loquitur, qui,* Jeſuitica Secta, *inſcribitur. Tam infenſus igitur* Ordini, *(quem, lite præjudicatâ, ſe putat meritò* Sectarium *vocare); credine poterit, non inimicus fuiſſe Veritati? Sincerioris ergò fidei ſcriptores conſules: inter quos & Spondanum, tomô 3. Baronianæ Continuationis. Eibenholdus enim, fumos tibi vendet.*

ANNUS

Septennii I. Annus 1604.

ANNUS M.DC.V.

ANNI M. DC. V.
Geſtorum
SYNOPSIS.

I. ANni ſuperioris minæ, mortalibus intentatæ per *ſtellam*, quam diximus, nominis & originis incognitæ; non diſtulerunt exſolvere Dirarum ſuarum fidem, ac denuntiationem auctorare. Quod ſanè patuit, pænè primîs ſtatim Anni QUINTI menſibus: intrà bimeſtre (ſi biduum adjicias unicum) dierum ſpatium, duobus Romanæ cathedræ præſidibus è vita raptîs.

II. Eorum prior, CLEMENS Octavus, mortalitatem quintô Calendas Martias explevit. Poſterior autem, *Alexander* fuit *Medices*; patriâ, gentéque, Florentinus: Clementi ſuffectus. Qui, dum LEONIS Undecimi nomen aſciſcens, pontificatûs adminiſtrationem præclaram animô conceptam volvit; exſequi, bene ſalubritérque cogitata, non potuit: quip-

Anni Acta.

quippe, gubernationis aditæ *die ſeptimô*, *ſuprà viceſimum*, orbi, lege mortalium, ereptus. (1)

Horum obitu, locus, ad ſupremam Sacrorum in terris poteſtatem, apertus fuit *Camillo Burgeſio*, cuj pater, Antonius: viro, natalibus quidem Romano; ſed ab Senis Hetruſcis oriundo. Cæterùm hic, ad decimum ſextum Calendarum Junii, plerorumque ſacræ curiæ purpuratorum ſuffragiîs, CHRISTI Vicarius electus, & promulgatus; PAULI ſibi nomen aſſumpſit: cognominũ ſibi Pontificum *Quintus*.

III. Inter hæc autem, Hiſpaniarum regi, Philippo Tertio, naſcitur ad diem ſextum Iduum Aprilis, ex Anna, gentis Auſtriacæ, PHILIPPUS *Quartus*, Dominicus, Victor; in ſpem, & auſpicatorum nominum molem, ingentem. Natale ſolum ei, Valliſolētum fuit, urbs: hora, nona circitèr pomeridiana, (3) diem jamjam nocte ſepeliens.

IV. Ad Arabici Sinûs fauces, in Oriente, meridiem ſpectante, rebus Otomannicis impropitia ſua *Luna* fuit: quam *Turca* tamen vexillîs, turriúmque ſuarum culminibus, & inſignium gentilitiorum ſcutîs, extollunt. *Sol*, è diverſo, candidioribus videri potuit auſpiciîs, radiîſque, *Perſarum* affulgére genti: cuj ſidus

Digitized by Google

ſidus hoc, & antiquitus *Muthra* nomine celebratum; & hodiéque ſuapte ſub appellatione, multâ fuit, (& adhuc eſt) in veneratione; contumaciâ ſuperſtitionis.

V. *Achmetis* itaque, Turcarum principis, imperio rex Perſarum, *Schach-Abas*, Adénum eripit; oppidum propugnaculúmque, ſitu permunitum, ac manu: quódqne dolorem in jactura cumprimis inflammavit, mercimoniîs inſuper Aſiaticîs, Europæîs, & Africanîs, maximopere quæſtuoſum.

VI. Succeſſu Martis, aliquantiſper, haud ferè proſperiore *Carolus* eſt uſus, Sudermanniæ Dux; qui ſe paſſim jam pro *Succiæ rege* ferebat: ac regni, quod à Sigiſmundo nepote ſuo, patruus, & pupilli tutor, ad ſe transtulerat, ex arbitrio ſuo gubernacula verſabat. Hic bellô, quod in Livoniæ terris adversùs Polonos ſuſceperat, infeliciter geſtô; clade magnâ, densâque, copias ſuas attriverat: ipſéque, difficili ſuî receptu, vix fugæ ſubſidiô ſalutem in tuto collocârat. Et is quidem, interruptam parumper illo conflictu potentiam, repetîtis ſtrenuè demum armîs, reſarſit; & in annos poſtmodo complures, illic, & alibi, conſtabilitam produxit.

X VII. Par

Anni Acta.

VII. Par autem excelſi culminis ambitus, ſed ambitionis ſucceſſus diſpar, *Stephanum Botskajum*, ſub idipſum ferè tempus, agitavit. Hic, inaugurante ſuperbiſſimi ſatellitis ſui potentiam Byzantinô tyrannô, *Principis Hungariæ* titulum, & ejuſdem illius regni partem bene magnam, ac fructuoſam, ſibi rapuerat. Sed raptô, (fatîs & Numine repugnantibus,) diu gaudere non quivit; quippe, dominatu mox pariter, & vitâ, miſer extruſus.

VIII. Quod idem, eodem prorſus in ſcelere, *Boriſio* tunc, *Hodnino Fedrovvizio*, bonîs omnibus volentibus, evénit. Qui, per ſcelus ingens, ad ſe quondam tractô, mox & per grandius nefas violenter geſtô, *Moſcorum* imperiô, punctô temporis eſt excuſſus: quando nimirum eum, legationibus audiendis arroganter intentum, de ſolio repentina mors, ad inſtar fulmine percuſſi Capánei, deturbavit. (4) Moſcorum autem dominatum capeſſivit *Demetrius*; Joanne Baſilide, gentis ejus *Ctzare*, ſeu *Magno Duce*, genitus.

Et regnandi quidem, æquiores multò tituli *Demetrio*, quàm *Fedrovvizio*, ſuppeditabantur, ab ipſa ſanguinis in ſucceſſionem prærogativâ-fiduciâ; ſi fidem interim & *fortuna*, *rerum*

rerum humanarum agitatrix, præſtare voluiſſet. Pridie Calendarum Auguſti, *Demetrius* imperium exorſus, in verba ſua Moſcos omnes, *Albóſque* (quos appellant) *Ruſſos*, adegit. Firmandæ verò, finitimîs affinitatibus, potentiæ novæ, continuandæque per ſobolem dominationi; Poloniæ regnum ei ſponſam, *Annam Mariam*, *Sendomiriensî* Palatinô genitam, offerebat. Eam Dux Moſcus, cùm conditiones & pacta placuiſſent, miſsîs in Sarmatiam legatis, ad decimum Calendarum Novembrium, abſentem ſibi deſpondendam curat: fœdere tamen, quàm exitu, nuptiarum hilariore. Quod, cujuſmodi ſit, annus proximè ſequens exhibebit: declaraturus lubricam infidámque ſupremarum potentiarum ſtationem, ac ſedem; præcipitii, ne tunc quidem, ſecuram, cùm vel maximô ſibi videtur jure fulta.

Sed ſanè præſagire tale quidpiam metuendum *Demetrio* poterat, è ſimilitudine periculi, præſens etiam Annus: qui *Jacobum Stuartum*, Magnæ Britanniæ regem, exercuit, & conſternavit.

IX. Hujus *Regis*, & Fortunæ ſecundioris, inter læta, flatus, & ejuſdem inter adverſa re-

flatus, tanquam in *Euripo* quodam *Periculorum* & ſalutis, alternatos; ex re fore videtur, aliquantò pluribus expendi. Variâ namque, per omnem ferè vitam antecedentem, tempeſtate jactatus; nunc, ſerenô viſus eſt cœlo frui; nunc, nubibus involutô, premi.


Raptus primùm ei, vix nato vagientíque, certè quidem, *bimo* pupillóque, genitor *Henricus Stuartus*, Scotorum rex. Poſtea verò, jam juveni florentíq;, *mater* adimitur, *Maria Stuarta*; ſæculi ſuperioris annô, poſt octogeſimum ſeptimô, ferrô carnificis, Eliſabetæ cognatæ mandatîs, capite plexa. *Triſtia* fuerunt iſta.

Sed, bienniô pôſt ſecutæ, cum *Anna*, Friderici II. Danorum regis filiâ, nuptiæ; Regem fructu *liberorum octo* (5) ſolari viſæ ſunt. Ac durâſſet ea, (qualis & quantacunq; capitur è numero prolis,) parentum hilaritas; per años *tredecim continuos* fœcunditate Reginæ vigente (6): niſi *ſex* illorum, ante diem ſuum, decedere mors coëgiſſet. *duos* verò, vita longior, magnas in calamitates protruſiſſet; & lucis hujus, ærumnis potiùs, quàm commodis, reſervâſſet. (7) Erat & hæc *Jacobo regi*, fluctuantis inter gaudia mœroréſque vitæ, viciſſitudo magna.

X. Sed



Digitized by Google



Digitized by Google

X. Sed intervênit his ipſis fortunæ variationibus tempus ejusmodi; quô videri rex poterat, nullum in terris hilarius eſſe nactus: eòque magìs, quòd nec prenſanti, nec ſperanti, ſed potiùs penitùs incogitanti, gaudium ingens eſſet oblatum. Id erat ejuſmodi.

Rebus humanis exemptâ (quemadmodum narratum in ſuperioribus eſt) *Eliſabetâ*; proceres Angliæ, ſupremam Reginæ voluntatem ex denuntiatione *Cæcilii* ſecuti, *fecialem* in Scotiam ad regem Jacobum expediunt. Is, verédo celerrimô vectus, *Edimburgum* (urbem ſedémque Scotiæ regiam) intempeſtæ ferè noctis ſilentiô pervénit. Intromiſſus in oppidum, ad palatium rectà contendit: & ibi quoque recipi poſtulat. Tergiverſantibus, aperire portas id temporis, quo rex jam altùm dormiret; *Atqui, faciam ego,* (reponit curſor) *libenter ut aperiatis, & vel ipſe demum Rex. Bonum nuntium apporto. Dicite vos, & affirmate Regi, verbîs Ordinum Londinenſium; Ex teſtamento Reginæ defunctæ, Regem Scotiæ Jacobum, eundem & Regem Anglorum Hiberniæq́; declaratum eſſe.*

Sub quæ, celeriter excitatus à cubiculi cuſtodibus Rex, &, quid rerum eſſet, edoctus;

Digitized by Google

ſtratô ſe proripit: & , in genua dejectus, levatîs ad cœlum palmîs; *Gratias* (exclamat) *& laudes immortales, tibi Rex-regum, DEUS, referimus, omnis Stuartaa domus, in me, capite ſuo: cui, vel dormienti, nec tale quidquam opinanti, volens, ultrò, tuâque ſolius ſponte, regna donâſti; Dominus univerſorum, indigno famulo tuo.* (8) Rectè rex *Jacobus* hæc, & ordinè! laude dignus, quòd dixerit iſta, quódque fecerit; arguendus è diverſo, ſi prætermiſiſſet. *NEC enim ulli mortales magis in peſſimam debent conditionem incidere; quàm, qui præſtantiſſimam, DEI munus eſſe, non agnoſcunt, neque prædicant.*

XI. Cæterùm, ab eo rex nunciô dies haud ampliùs *decem* moratus in Scotia, dum in ea ſingula quæque cum cura prudentiâque componeret, & in tuto conſtitueret; adhuc Aprilî durante menſe, feſtinat, & venit in Angliam: *mente geſtiens*, hàc tenus, & alacer *gaudiô* novi capeſſendi regni. ſed, quod gaudium, ſub ipſum ferè mox urbis regiæ conſpectum, ità mœrore dilutum, ac proprii metu periculi turbatum, fluctuaret; ut ejus acceſſum horrere cogeretur, ac fugere. Quamvis enim ſint, qui referant; (9) *Regem* primò (luis fortaſſe,

taſſe, ſuſpicione magis aliquâ, quàm præſentiâ, perſtrictum) in ſuburbano vetere *Carthuſianorum aſcetério* ſubſtitiſſe tantiſper, dum Edimburgô *regina* quoque conjux, & Henricus *filius* (tunc decennis, ac jam Cambriæ (10) deſignatus Princeps) ſubintrarent: quibus demum advectîs, incredibilî, ferunt, magnificentiâ, civiúmque plauſu, Londinum pariter omnes, ac Regiam, intrâſſe; poſterôque ſtatim die, regem & reginam oleô ſacratô, priſcîs è ritibus retentô, palàm inauguratos eſſe. Quamvis, inquam, hæc ità tradantur idoneis ab auctoribus, quemadmodum retuli: nihilominus id tamen, & apud hos ipſos, & apud cæteros multò magis, eſt in confeſſo; nequaquam diuturnam eam in regia, Londiníque, fuiſſe moram: (11) ſed extemplò compulſum *Regem* (& utique cum ſuis), irruente funeſtâ lue, ſubducere ſeſe Londinô, tertiôque milliari (12) diſtantem indè *campeſtrem in Regiam* (utì *Petrus-Matthæus* loquitur) commigrare. (13) Sæviit autem adeò tunc *peſtilitas*, ac vix tandem cum incremento ſequentis brumæ decreſcere parumper cœpit; ut, per pleroſque menſes illos interjectos, hominum *triginta quatuor millia* ſuſtulerit. Quibus ne ſua deeſ-

ſet mantiſsa funebris: morborum alia, diverſáque, genera, *millia* funerum *quatuor alia* ſuperadjecerunt. (14)

En! quemadmodum, non *Extrema* modò, ſed *Exordia* quoque *gaudii*, *Luctus occupârit!* (15) in diſcrimen vitæ, cum ſuis, conjectô Jacobo *rege*, dum *regere* novas gentes (16) orditur.

XII. Sed non fuit contenta caſuum varietas, in communi gentis contagione, Jacobi quoque regis, concutere metu vitam: niſi ſimul, inter hæc, & ſolium pariter ac ſpiritum uno ſubruere punctô, vel ictu, laborâſſet. *Ralleckus*, ecce, qui corporis regii cuſtodum, ſub *Eliſabeta*, princeps fuerat; ſub rege nunc ſucceſſore, ſucceſſorem & ſibi datum, *Scoticæ* gentis virum, ac ſe redactum in ordinem eſſe, vehementer indignatus; cum *Anglis* aliquot aliîs, qui, ſibi quoque, diverſis in officiis ſuffectos *Scotos* fremebant, opprimendi regis conſilium cepit; & conjurationem fecit. Sed & ante *Ralleckum*, quidam, non (uti vulgus imperitum fabulabatur) è *Catholicis* occultis, verùm ex ipſiſmet regni *Calvinianis Optimatibus*, ob eandem ferè cum *Ralleckianis* querelam, de Scotorum in aula præcellentia; compegiſſe, fere-

ferebantur, fœdus inter ſeſe, ſuper Rege, per inſidias tollendô: totâque ſimùl familiâ regiâ delendâ. Sic autem eorum fuiſſe deſcriptum conſilium, ajebant: ut, interfectô cum ſuis Rege, dejectîsque Scotîs; *Arabellam* eveherent in regni faſtigium: viraginem, dignitate *Comitem-limitaneam*: ortu generis utrique domui regiæ connexam: & *Eliſabetæ* quidem nuper in loco *neptis* (17) habitam: *Jacobo* verò, propinquitate junctam; quòd *Carolum* ea *Stuartum* haberet parentem (ſicut ſuperiùs indicatum eſt): eóque nomine, neutrius anteceſſorum imaginibus erubeſcendæ. Qui propitiam *Anglorum-genti* ſemper ſenſiſſent *Eliſabetam*; fœminam, nullo regnantium virorum inferiorem: eoſdem ſe, non minùs *Arabellâ* nunc, muliere generoſæ mentis, & notiſſimi candoris, uſuros ex voluntate; quippe, nunquam indolis, ab *Anglis* alienæ, compertam.

XIII. His rationum momentîs conflatam, perhibebant, à conjuratis, *Regicidii* meditationem. Cæterùm, qui de populo dicace Conſpirationis hujus omnem originem in *Orthodoxos* Anglicanos detorquere conati ſunt, (quam Rex tamen culpam ab eis, edictô publicô,

blicô, ſatis ſupérque depulit) adjicere *conditionem* illis conſpiratorum pactis auſi ſunt: *Ut, armorum Hiſpanienſium opibus, in ſolio collocata Britannorum, Arabella; regia Sabaudorum-Ducum domui quamprimùm innuberet. unde gradus, & initium fieret, Religionis majorum in omne regnum reducendæ.*

Sed hæ nugæ fuerant, & commenta, malè feriatorum homiuum; & ſuſpicacis, in trivio, vulgi. *Reipſa*, Periculum iſtud omne, regis in caput incubiturum, in fabrica cuſum erat *Reformata-Secta*, prætorianorum, ac prócerum. Quorum molitionibus, in tempore deprehenſis, & convictis, viâ caſtigationis geminâ Rex occurrit. *Arabellâ*, quam iſti ſibi *Reginam* deſtinaverant, ut *patiente* magis quàm *res agente*, diſſimulatâ: cæteros conjuratorum attinuit; in cuſtodiam, ac vincula, conjectos. Ex quibus, *Georgium Brochium*, & ordinis *Eccleſiaſtici* duos præterea; ſuſpendendos vivos, & semíneces laniandos, (ſupplició Majeſtatis-reorũ, in Anglia ſuetô,) tradidit. At adversùm alteros, à *Rallecko*, tanquam cogitati facinoris conſcios & participes nominatos, haud paullò diverſiùs (per *ſimulacra* tamen *Juris*) inceſſit. *Cobhánum*, *Grayum*, *Marchánum*, éadem præſtolari

Digitized by Google

ſtolari ſupplicia, coëgit: &, ad palum primò deligatos, deinde carnificis manum ac ferrum opperientes, formidine ſolitâ moriturorum implevit. Repentè demum, ſolvi dimittíque juſſis, (internuntiô, ſatellitum præfectô,) parricidii publici cogitati veniam dedit; ac vitæ gratiam fecit. Qua talî rex, hinc quidem manſuetudinis, illinc autem ſeveritatis viâ, *Purpuræ* ſuæ *primordia* viſus eſt, & *ſanguinis* voluiſſe notîs, & *lactis* dulcedine, reſpergere. (18)

XIV. Neque tamen hac ipſa *Juris* & *Clementiæ* temperie, potuit in optatiſſimam à à ſe mentium, rituúmque, conjunctionem ſic adigere Scotos & Anglos; ut non illi, *Puritani* (quod eſt, Galvini decretis rigidè ſtantes) iſti verò, laxiùs in *cærimoniis* incedentes, permanere mallent. Et alioqui, vetus jam dudum animorum gliſcebat, inter utramq; gentem, amarities, & alienatio. propter quam proinde ſæculi præſentis annô quartô, (qui Jacobo regni fuit in Anglia ſecundus) è machina campeſtri ſcenicîs artibus producti, Divus *Andreas*, Scotorum, & *Georgius*, Martyr Cappadox, Anglorum antiqui tutores appellati, theatricis in geſtibus, & indumentîs, fruſtrà fuerunt: cùm, ſtantes in conſpectu, ludicrúmq; cientes prælium,

Digitized by Google

lium, hinc Scoticas, illinc Anglicanas cohortes; ad unam, eámque perpetuam, animorum, armorum, ararúmque, mixturam hortarentur. Diſceſſum eſt enim, iîs utrimque, quibus adventum erat, alterorum in alteros, ſtimulîs, & aculeîs. *INFIXA namque radicitus faſtidia, nudîs verborum runcînis (19) haud evelluntur. Omnis vis, ac ſucceſſus, eſt ab intimo petendus.* (20)

Hæc itaque, taliáque cætera, quæ primis aditorum Angliæ gubernaculorum curis intervenerunt, incommoda; delectare Jacobum regem nequaquam potuêre. Quantò minùs ergò, quæ ſecum annus, proximè ſequens (Sæculi noſtri *quintus*) invexít? atrocia, dira, raróque vel à barbaris exercita formidatáve ſeditionibus; nedum, à natione tam excultâ ſuſcepta, machinationum conſilia. Quid jam dicam, ab iis ſuſcepta, purioris *Eccleſiæ* filiis; quibus Londinenſis baſilicæ ſupremæ (21) *patronus*, à tot retrò ſæculîs è ſuggeſtu, per divinæ legis interpretes, inculcavit illud ad Romanos (22) præceptum: *Non vosmetipſos defendentes, chariſſimi: ſed date locum iræ.* vel ad Corinthios: (23) *Quare non magis injuriam accipitis*, (ſiqua vobis inferri videatur) priùs, quàm

Digitized by Google

quàm hoſtiliter *poteſtati* vos opponatis ? *cui, quiſquis reſiſtit ; ordini reſiſtit , quem Numinis auctoritas inſtituit.* (24) Scelus interim hoc, & creatum Regi periculum , *Catholicorum* fuit, non *Sectariorum*, opus : velut hîc paucîs exponam.

XV. Ex ipſo Britanniæ meditullio, Thomas Percyus , & Catesbius quidam , & Gvido Fauxius, aliíq; nonnulli, nobilitatis Anglicanæ, conjurârunt. Qui, religionis quidem, (utì diximus) orthodoxæ, ſanæque, ſed væſanæ mentis homines, in vaſa doliáque capacia, numerô *triginta duo*, nitrati pulveris *pondo circiter novies mille* congeſta , locô curiæ *VVeſtmonaſterienſis* appoſitiſſimô , per nefandam ſimulationem abſtruſerant ; lignorum ſuperimpoſitâ ſtrue, quæ machinationem doloſam obvelaret. Porrò , regni tunc inſtabant comitia : ſedésque comitiorum, *VVeſtmonaſterienſis* erat aula (de qua dictum eſt) futura. Præſentes autem illic futuri ; Rex Jacobus; Anna regina; liberi regum ii, qui per ætatem poſſent. antiſtites item ; ac prima regni nobilitas.

Hos omnes, & his longè plures, ſubditô, per dolum, lentè reptantem, ignitô fune, conſpirârant inſidiarum auctores, in flammas , & cine-

cinerem, atque fumum, momentô temporis redigere: patraréque, præter *regicidium*, facinus, ſæculîs anterioribus univerſis inauditum: poſterioribus autem ætatibus, etiamſi juratò narraretur, fidem ægerrimè reperturum. Incensîs enim, per applicitam à funiculo flammam, doliîs; ac ferri maſsîs, petrarúmque fragmentîs ingentibus,(quibus nitri cupæ gravabantur) in ſublime proruptur îs; ocyùs unà ſimùl diſſultura fuerat & baſilica domus. interiturus, cum uxore ſtirpéque ſuâ, rex. igne, ruinis, obtritione, delenda mortalium *plusquam triginta millia.* ſimul autem, in excidii ſocietatem abitura, vicinarum quoque curiæ domuum, ac platearum, maxima multitudo.

XVI. Sed tantam hanc ſtragem antevertit altioris oculi Provida vigilantia. disjecit, inſtinctu Providentiæ, *baronis* orthodoxi *Montaquili* (†) ſedulitas. Hujus quippe fideli monitu, prima tam atrocis tragœdiæ mota ſuſpicio, Regi ſcrupulum & conjecturam inſidiarũ injecit: cæteris autem, indagandi curam, (25) ac ſollicitudinem. Deprehenſa, ſuîs cum artificibus, nefariæ proditionis inſtrumenta cuncta ſunt. Et patefactum, (confeſſione nocentium, quotquot eorum comprehendi potuêre), facinus tam

tam immane; reis quidem extrema ſupplicia, ſervatis verò, ſuperô favore, lætitiam creavit: ſed etiamnum tamen *Periculi*, quantumvis jam diſcuſſi, redeuntibus in memoriam Imaginibus, & horrore, miſtam. Nec immeritò.

XVII. Quàm enim, quæſo, turbidus atque nebuloſus *Nonarum* ille *Novembrium dies* (in hunc enim deſignatum deſcriptúmq; fuerat incendium illud); quàm caliginoſus ac fumidus univerſæ fuerat *Angliæ* futurus? in flammam & auras evolaturis, ſoliô, domô, ſanguine, conſeſsúq; cunctô, regiô: cùm tantum gentibus, trans Rhenum, ac Rhodanum conſtitutis, formidinum excitârit *caligo tenebrarum*, neſcio quæ, nondum tanto cum periculo conjuncta? Quippe, non ità multis, ante Britannicam conſternationem illam, ſeptimanîs, die, Calendas Octobres ſubſecutô, *Solis*, inuſitatè ſpiſſa, *defectio*, ſic cœlum omne, terras, elementorúmque reliquam compagem, per Galliarum regiones obduxerat; ut, à prima pomeridiana noſtræ calculationis, ad tertiam uſque veſpertinam, viſum ſit omne mundi lumen extinctum eſſe: pavidíque, ſuîs in domiciliis, incolæ vix limen, & egreſſum, in agris autem, & campis, coloni paſtoréſque, diffi-

difficulter reditum, invenirent: cùm, relictîs ruri jumentis, gregibus, & aratrîs, ad villas ac tecta feſtinarent: cùm, hiante rictu bruta, ſtupefacta conſiſterent; verita, de preſſo ſemel veſtigio vel latam ungulam promovere.

Vulgò quidem certè, mortalium timidiores, interrogationibus obvios fatigabant; *Númnam, cardinibus ſuîs excuſſus, mundus animam ageret? aut in ſeſe rerum machina relaberetur?* Nec tamen aliud tunc, è Franciæ tenebris illis Ægyptiacis, aut ſolatium Gallis *orthodoxis*, aut terriculum *Calviniſequis*, emerſit; quàm Theodorus BEZA, *tenebrio* celeberrimus, menſe mox eodem, huic luci ſubtractus; & in profundum rerum chaos (quod nemo bonus in dubium vocavit), aurigante ſontium umbrarum eſſedariô, devectus. (26)

TESTIMONIA, & NOTÆ.

(1) Circa dierum numerum, hoc loco, Jacobus Gordonus, à Spondano (quem in his ſequimur, quoadusque res ſinit,) diverſus abit: dum Clementis Pontificis exceſſum, in quintum Nonarum Martii; Leonis quoque Noni ſubrogationem, in quartum Nonarum Aprilium, refert.

ſert. Sic & Roma natum Camillum Burgheſium, Spondanus memorat: Gordonus verò, Senenſi patre. quæ duo tamen rectè congruunt. (3) Continuator Sl: hoc annô. Lucas item Kilianus, in icone Philippi IV. (4) Nobilis Argivi, mariti Evadnês: quem poëtæ præſertim, ad Thebas, in ipſo ſcalarum aſcenſu, fulmine ferunt oppreſſum; hiſtoriæ verò conditores, grandine lapidum, à Thebanis in eum conjectorum. (5) Nicol. Rittershuſius, in Genealogia Regum Scotiæ. (6) Ab Henrico ſcilicet Friderico, primogenito, qui ortus eſt annô 1593. uſque ad Sophiam, poſtremam liberûm regiorum, natam annô 1606. (7) Eliſabetam, Friderico V. Palatino nuptam; & ante paucos hos annos in terris Borealibus extinctam. Carolúmq; præterea primum; in Anglia decollatum. (8) Continuator Slejd. parte 3. pag. 260. col. 2. poſt med. (9) Auctores ejuſdem Continuationis, parte 3. cit. pag. 262. col. 2. (10) VValliæ ſuis dictæ. (11) Ait enim Slejdan. Redivivus, in annum 1603. §. Aber &c. Es hat gleich im Anfang ſolcher Königlichen Regierung / die Peſt zu Londen / vnd auff den nächſten vmbligenden Flecken / alſo häfftig gewütet / &c. (12) Clarè colligitur hoc è Continuatore infrà, partis 3. pag. 271. ad med. in narratione rerum Rallecki. Fue-

Anni Acta,

rint autem milliaria Anglicana: ut aliunde colligo. (13) Lib. 6. hiſt. Henrici IV. pag. 195. ante med. (14) Saurius, in Opere de Urbibus, V. Londinum, pag. 79. princ. (15) Proverb. 14. v. 13. (16) Anglos, & Hibernos. (17) Sl. redivivus Part. 3. in annum 1603. pag. 261. col. 2. à fin. Die letzte Proceſſion hat beſchloſſen Arbella, die Marggräffin / Eliſabethæ Enicklin. (18) Narratio rei hujus à Continuatore Sl. proponitur, Part. 3. pag. 271. col. 2. & 272. col. 1. ac 2. (19) Hortulanorum, frondatorum, ac Vinitorum ferramentum eſt, & ligo; dumetis exſcindendis, & eruendis. (20) De ludorum illo ſpectaculo agit Continuator pag. 282. col. 2. & ſeq. De irrito verò Unionis conatu: clarum promit indicium paginâ 284. col. 2. med. (21) Ad S. Paulum. Stapletonus, in vita Thomæ Mori. (22) cap. 12. v. 19. (23) 1. Corinth. cap. 6. v. 7. (24) Ad Roman. cap. 13. v. 2. (†) Sic Continuator, anno 1605. pag. 315. (25) Legitur Percyanæ conjurationis narratio epiſtolaris, operibus Barclaianis ad calcem, anonymo tamen auctore, ſubnexa: formîs Batavicis. fideliùs tamen extat, apud Philippum Alegambe, Bruxellenſem, in Heroibus: nominatim, in Henrico Garneto. Cæterùm, ad pulverem pyrium quod attinet: numerat Continuator

tor Slejd. cupas pulveris, ſeu tonnas (ut ipſe loquitur) triginta ſex, *pag. 315. col. 2. med.* (26) *De hoc Genevatium, & reliquorum, qui Sectam ſuam* Religionem *appellant* Reformatam, *Cálypha Miniſtróq;, dicetur etiam infrà.*

METRUM.

Anni Quinti memorabiliora.

E*Xonerante, minis gravidam, teliſque, pharetram*
Sidere, quod ſpuriâ preſſerat aſtra face;
Pontificem ſternunt geminum duo cornua Lunæ:
Quæq; ſubit Clemens, hæc Leo fata ſubit.
QUINTUM igitur quintus Romæ caput accipit Annus,
Nomine quod Pauli, *ſervet ovile* Petri.
Bæticus interea, quartus *jam nominis hæres,*
Et vitæ, & ſolii jura, Philippus *init.*
Turcica Perſarum ſuccumbens Cynthia Mithræ,
Perdit Adenæi clauſtra lucroſa freti.
At nova, Sarmaticô Suecorum purpura ferrô
Saucia, Livonicâ plurima cæde madet.
Sicciùs, at breviùs, Thracum Boskajus *ab arce*
Pannonicos faſces, emptáque jura, tenet:
Rectiùs at Moſcæ regimen Demetrius *aulæ,*
Sendmiriique ſubit provida pacta thori.
Heu, ſceptri malè tuta fides! *non perferet ævum.*
I, Moſce! externo diſce timere metu.
Ecce, Stuartææ Tameſæa palatia gentis,
A nitri, ac flammæ, peſte latente tremunt!

Anni Acta.

Tetrica quas claro Solis ferrugo diei
Induxit, Phariis Cimmeriisque pares, (1)
Beza *petit, tenebras; caliginis omnis, & umbræ,*
(Quid tum, ſi neget hoc natio cæca?) faber.

NOTA.

(1) *De tenebris Ægypti (cujus inſula Pharos eſt) denſiſſimis, habes Exodi caput 10. à verſu 22. Cæterorum verò teſtes auctoréſque, præter Spondanum & Gordonum, leges etiam Laurentium Beyerlinck, Janſonium, Boterejum, Continuatorem, Joannem Cluverum; ſuîs quemque annîs.*

APOCOMMA I.

Beza, repetundarum variè poſtulatus, à morte ſuá.

I. THeodori BEZÆ Vitam, pravos mores, & obitum, aliis in curis expreſſi: cùm *Illuſtribus ætatis noſtræ*, per contrariorum jus & legem, etiam *Caliginem* iſtam Gallicanam, ac Genevatem, insererem. Nunc, ut ſummatim aliquid adferam, quod ad *Metri* ſubſecuturi lucem faciat: índico potiùs, quàm exſequor, quæ de potioribus ejus Vitæ capitibus huc ſpectant.

Natus

Natus eſt is Vezeliîs, oppidô Sequanorum. unde *Vezelii* quoque cognomentô, paſſim illius *Luſus* inſcribuntur. Parentes habuit, & Sororem; antiquæ Romanæque religionis, & in qua nimirum educatus & ipſe principiò fuerat, ſtudioſiſſimos.

Enutrivit eum porrò, clanculùm paternîs ædibus, & omnino Vezeliîs, egreſſum, *Nicolaus Beza*, patruus; PRIOR (ut vocant) Longemeldenſis, prope Lutetiam Pariſiorum. qui vir, vitâ decedens, eum hæredem ſibi bonorum, ac tituli muneríſque ſucceſſorem, inſtituit. Dedit autem Beza Junior operam litteris, Lutetiæ partim; & non minùs Aureliîs. Sed inter hæc negotia ſtudiorum, (ut multis, & ſæpius, évenit) abreptus vitiîs, & libidinum magìs, quàm divini cultûs, ardore; cùm, ob carminis, neſcio cujus, obſcœnitatem, in jus vocatus Pariſiis fuiſſet: ne capitis adiret periculum, fugâ ſubduxit ſe; venditô priùs ſacrilegè *Prioratu*, quem à patruo, ſicut memoravi, relictum obtinuerat; ablatôque, per fallaciam, ab illius præfecturæ curatore, grandi pecuniarum acervô.

II. Profúgit autem fur improbus *Genevam*, ad Calvinum; abductâ ſecum pariter

Theodorus Beza, Vezelius.

& *Claudiâ* quadam, ſutoris Pariſienſis uxore; quam ipſam ſcilicet, jam olim adamatam, verſo nomine, *Candidam*, ſuîs in carminibus, appellare ſolitus erat. Poſt verò, cum hac, & cum adoleſcentulo quopiam, quem hic *Audebertuli* nomine celebrabat, impudicè, ſicut antea, ſic vivere deinceps perſeverans; cenſuum ſuorum, geniali prodigentiâ, naufragium fecerat. Et hæc quidem hactenus; impudentiâ tamen audaciſſimâ, *Chriſtianum* adhuc *orthodoxum* ſemet oſtentans. Hanc autem ſacrorum profeſſionem, ſimulac *Genevam* venit, ejuravit; non citra ſingularem propinquorum animi-dolorem. E quibus pater, jam antehac improbitatem filii, diris omnibus devotam, etiam exhæredatione multârat. At is à Calvino, cuj ſe nexibus quàm arctiſſimis totum adſtrinxerat, Loſannam ſemel iterúmque miſſus, ac Genevam tertiò revocatus; quidquid à magiſtro pravarum hauſerat inſtitutionum, id in diſcipulos, & auditores, nequiùs ipſe diffundebat.

III. Sub hæc autem, ab eodem illo, *Pariſios* quoq; legatus, & ad *Colloquium* (quod appellabant) *religionis*-controverſiarũ *Poiſſiacenſe*; REPETUNDARUM nomine vocatus in judicium eſt; *hinc* quidem, à Roberto quodam Bibe-

Biberio, fratribúſque; quippe, quorum à parente quondam auri grande pondus, per dolum, abſtuliſſet: *Indè* verò poſtulatus, graviore ſub crimine, ſacri peculatûs eſt, à Præſide Burgundionum Aurelianenſium; quorum arcanius Sacrarium (priſcis *Flaviſſas*), calicum, ac ſupellectilis Eccleſiaſticæ ſelectioris, furtô coarguebatur expilâſſe. Convictus ab his, æſtimatæque litis condemnatus; in caſtra ſe contulit Hugenotica; ſecutus auſpicia tympanáque rebellia, Principis, neſcio cujus, ac cæterorum, fœderis acatholici capitum: militaríque (*vir*, uti præ ſe ferebat, *ac præco*, *pacificus*) habitu cinctúq; conſpicuus; prœlio Drocenſi, non minùs ac mitiùs, quàm annîs ſuperioribus Helvetico Zwinglius, interfuit. Verùm, ſicut ex acie Philippenſi Flaccus Horatius, malè parmulâ relictâ; ſic ex iſto Gallicano conflictu Beza, ſeſe proripuit.

IV. Quòd autem ferrô non valuit, id linguâ ſupplevit: qua *ſectarios* Principes adverſùs *Catholicos*, maledicentiſſimorum & ſermonum, & dicteriorum, quaſi ſarmenticiîs ſubjectis facibus, inflammaret. In Franciſcum autem, Guiſium ducem, utpote, vel inprimis orthodoxum, & majorum religionis propugna-

Theodorus Beza, Vezelius.

torem, etiam ſicarium, argentô collatitiô, Beza comparavit: fortiſſimi viri doloſâ cæde, ſimul autem (quantum eſſet in ſe) domûs inclytæ Guiſianæ totius, ferali buſtô gloriam ſibi tantam venaturus; quantam Heróſtratus, ex incenſo quondam Epheſiorum templô, quæſîſſet.

Poſt hæc autem omnia, pluráque mala facinora, Genévam regreſſus, mortuo patriarchæ ſuo Calvino ſubſtituitur; acerrimus, ſi quiſquam alius, adverſùs priſcam pietatem declamator. In hoc ille Satyrarum genere, cavillandíque ſtudio, gloriæ ſuæ, (quam apud ſolos impios, ipſe ſignifer impiorum, quærebat,) punctum conſtituebat: honorum & aliàs aliunde quoque, paſſim, & è quibusvis titulis, appetentiſſimus. quippe, qui ſe, non diſſimulanter, & *Epiſcopum* jactaret; & *Archiepiſcopum* quoque conſalutari per epiſtolam, haud quaquam averſaretur. Quin idem, & *Sanctimoniæ* non vulgaris opinionem, ac Propheticam quampiam exiſtimationem, nefariâ ſibi ſimulatione conciliare viſus eſt; ſuorum, pro *Reformata* (qualem nominare gaudent) *Eccleſiâ* laborum, diſcriminúmque, verboſus prædicator. Hac autem ille ſuímet immodicâ jactantiâ, collegis quoque ſuis inviſum ſe reddebat: ac

Digitized by Google

ac, ſicuti claris ipſe viris invidere conſuêrat, ſic ab illis invicem, & haud mitiùs, inceſſebatur. Inter quos, Bolſécus, *Ambitioſum* dixit *Bezam*; *regnare voluiſſe, ſolúmq; digitô monſtrari. Nullius eum, nec ſuperioris tolerantem, nec paris, fuiſſe: ſed eorum denique ſolorum, à quibus honorum omnium ſibi ſuffragia deferrentur. Suîmet ipſius denique, ſi quando cæteri ſilere cœpiſſent, ordiri præconia non erubuiſſe.* Sic Bolſécus in Bezā.

V. Obiit hic tandem diem ſuum, apud Genevates, annô ſæculi noſtri quintô; tertio menſis Octobris iduum die: non niſi quadrienniô diſtans ab octogenario ſenecione. Deceſſit autem, in medio probrorum, etiam ſenectutis, curſu: quorum, (ut & univerſæ vitæ ſuperioris) tunc cauſſam, apud ſupremum judicem, dixit; nec (opinor) expurgavit.

Cæterùm nobis *Beza*, REPETUNDARUM maximè titulô crimineque poſtulatus, arguitur: ut immodici NOMINIS affectator. Exprobratur ei præterea, deſertus apoſtaſiâ Catholicus ſacrorum cultus, ac Dei caſtus timor: relictum fugâ natale ſolum; in mœrorem datus ab improbo filio bonus pater. Fraudatus inſuper, emunctúsq; pecuniâ, ſimplex villicus; & ſpoliata, cum liberis, egens

Theodorus Beza, Vezelius.

ac vidua, villici conjux. ſacri templorum cenſus per luxum dilapidati: Longemeldenſis Prioratus per *ſimoniam* divenditus: temerata nuptiarum ſacra fœdera. raptu, ſuper hæc, abducta, Pariſienſis Claudia: poſt majorum ejuratam *Fidem*, procuſa nova: Gallorum tumultuantium inſtigatus in bella furor: per inſidias interemptus in caſtris Dux Guiſius. Detracta denique ſacroſanctiſſimo Chriſti corport, cum ejus *præſentia*, cuncta pariter Evchariſtica majeſtas, ac Divinitatis in eo cultus longiſſimè profligatus; *nudô* videlicet illic *Signô*, pro veriſſima Chriſti *præſentiâ*, per dogma, plenum impietatis, effictô. Quocirca, poſt tot erepta Superis ac Mortalibus, quídnam & Inferis jam, obæratus vetulus, à morte, debeat; æquo rerum æſtimatori, judicatâ lite, permittemus.

METRUM.

Bezæ,

multis multa debet.

Ut Nihil, aut cunctis, Theodore, ut celſior eſſes,
Ac neque Majori, nec premerêre Pari;
Undiq; grande tibi, per & obvia, & avia, NOMEN,
Trans maria, ac terras quærere, certus eras.

Nec

Nec votum fruſtrata tuum ſcelerata fefellit
Ambitio, aut vitæ longa palæſtra tuæ.
Invenêre tui, nova per compendia, mores,
Unde tuus faceret NOMINA *mille tumor.*
Ecce, patrem patriámque fugis! Dolet ille, gemitque:
DEBES *pro lacrymis, impie gnate, patri.*
Templorum abſumis, vendis, rapis, helluo, cenſus:
DEBES, *ſacrilegô rapta furore, tholis.*
Vexâſti furtis villáſque, laréſque profanos
Ruricolæ. DEBES *Triptolemo, atque Pali.*
Conjugia expugnas; alienámq;, improbe, nuptam
Avehis. Hanc repetit vir ſibi: redde viro.
Abjuras, fugitive, Fidem; Scita impia condis
In ſuperos. DEBES *fœdera læſa, polo.*
Buccina bellorum, & Guiſiani funeris auctor;
Pacem orbi, DEBES *vitam, homicida, Duci.*
Angelici-*exploſor* PANIS, *quem Numine privas,*
Nónne Deo DEBES, *prædo ſceleſte, Deum?*
Nónne hîc eſt grandis, ſuper omnia DEBITA, *nexus?*
Non repetundarum *es, te quoque teſte, reus?*
Qui tamen, ex omni ne non ſis DEBITOR *aſſe;*
Æs unum, en, ſupereſt: Hora ſuprema citat.
DEBES *(ſi neſcis) naulum fatale Charonti:*
DEBES *auſtero mollia verba Seni;*
Denique, Diti animam, Rhadamanthæúmque quadrantem.
Sat, Beza, eſt: NOMEN *ſub Styga grande vehis.*

APO-

Theodorus Beza, Vezelius.

APOCOMMA II.

C. Julii Cæſaris Dictatoris, & Theodori Bezæ, Gallicani triumphi, & eorum acclamationes, comparantur.

I. QUOD hæretici Waldenſes, & Picarditæ, cum quodam Petro-Joannis, Abbatis Joachimi diſcipulo, blaterârunt; *Eccleſiam Romanam, Apocalypticam eſſe purpuratam illam meretricem*: idem, cum multis aliis, noſtrorum quoque temporum hæreticîs & hæreſiarchis, avidè Theodorus etiam Beza, Calvinô magiſtro præferente facem, iter ingreſſus eſt: auſus, ſuper illa capitis Apocalyptici decimi ſeptimi verba, (*Mulier erat, circumdata purpurâ*), virulentos hos elegos, in veſtes Eccleſiæ-Cardinalium tortos, effutire.

Semiviros quicunque Patres, radiante galerô,
Conſpicis, & rubra ſyrmata longa toga;
Sanè rubra vides Sanctorum cæde virorum.
Et merſa inſonti tota cruore madent.
Aut, memor iſtorum, quæ celet crimina, veſtis,
Pro dominis juſtô tacta pudore, rubet.

meretricia nempe probra (quorum mendaciſſimè

ſimè Cardinalitium omne faſtigium inſimulat) ſubindicans ſcurra.

II. Bilem ea carmina, nec immeritò, moverunt, *Cornelio* primùm *à Lapide*, commentatori verborum Apocalypſeos illorum: ut, iis recitatis, ſucclamaret; *Ità impurus ſycophanta omnes ſibi ſimiles putat! omnibus ſuam Candidam, & Audebertum, affricare conatur.* Poſt Cornelium autem, excitavit eorundem verſuum illorum indignitas, æqualem temporum eorum poëtam, Alemannum; ut in Bezæ *ſubterraneum iter* elegidarium effunderet ſatyricum: quod hîc Apocommatis ſupplere vicem queat; proſâ tamen illi prævium (ut alibi nos quoque ſolemus) applicante lumen, in hæc verba.

III. C. Julius Cæſar, cognomentô *Perpetuus Dictator*, Romanarum illuſtrium complures adulteriô corruperat. In iis, Servii Sulpitii Poſthumiam; cujus matronæ mentionem (nec tamen inhonoram) epiſtola ſecunda libri quarti Familiarium Ciceronis infert. Marci quoque Craſſi Tertullam; Cn. Pompeji Mutiam; Auli Gabinii Lolliam; Bruti Cepionis Serviliam; ſi non & ipſam quoque Serviliæ filiam, *Tertiam*, Marci Bruti ſororem.

At,

Theodorus Beza, Vezelius,

At, ne Gallicîs quidem, (quoad illîs in terris cum exercitu fuit,) à fœminis ſibi temperâſſe; clara pervulgatáque fuit apud omnes fama, cum infamia. Certè quidem Triumphô, quem, è debellatis Galliis, longè poſtea celeberrimum Cæſar egit, militarium ei Trochaicorum jocularî licentiâ fuit inſultatum; acclamatúmque, quo tempore Capitolinum clivum ſcandere victrice pompâ, currúque magnificô, cœpit;

Urbani! ſervate uxores! mœchum calvum adducimus. &, quæ ſequuntur. (1)

Et hæc quidem tunc in Cæſarem Dictatorem jactata dicteria ſunt; nec inficiantem, nec adeò ſtomachantem: perinde, ceu gloriæ triumphíque pars foret, & non potiùs convitium, corruptarum nuptiarum exprobratio.

IV. Videamus autem nunc; quàm caſtus Pudicitiæ, cum Clodio Cæſaréque, Sacerdos inventus fuerit, iſte noſter, eminentiſſimorum Eccleſiæ Romanæ *cardinum* concuſſor, & exagitator, BEZA Vezelius? *Dictator*, inquam, ille novus: non ſanè tamen, qualem Cæſar ſe præſtitit; ſed, qualem falſiſſimorum axiomatum magiſterium, & bellorum ac tumultuum præceptiones, eum nobis depinxerunt: præ cunctis autem, turpiſſima morum illius,

illius, & exempli, diſciplina; cujus obſcœnitatem nullus, quantumcunque latus, pétaſus; nulla, quantumvis infra talos demiſſa, ſtola palláque, velare valuiſſent: nedum *rubra ſyrmata longa toga*, quæ Cardinalibus is objecit, cohoneſtare.

Silentiúmne ſuper illo, compreſsîs labellis, Alemanni ſatyricæ Pierides ſervâſſint? Si profectò fuerunt (ut erant) *orthodoxa*; dicacis hominis petulantiam liberióribus & ipſæ verſiculîs, haud immeritò, ſunt inſectatæ: ſenémque capularem cantârunt; ſex & ſeptuaginta rotîs, ac lapſibus annorum, per illa ſubterranea ſtadia, Circenſiáque, Plutonias quadrigas agitantem. Acclamârunt ei, funebrem ducenti pompam, non, quidquid in buccam venerat; ſed, quod ſparſim, & cum delectu tamen modeſto rerum, in memoriam revolvebatur; non ſinè quodam veterum triumphorum imitamentô.

V. Quamvis enim Beza moriens, neque C. Julii Dictatoris aureum, neque Theſbitæ vatis cœleſtem, nactus eſt currum; ſed, Romuli potiùs avectus fatîs, quem, ad Capræ paludem concionatum, terra (ſicut apparet) diſrupta deglutivit: in aliquem tamen eum

Theodorus Beza, Vezelius.

eum levare ſe currum poſſe Satyricus exiſtimavit; qualemqualem tandem, & undecunque productum. Fuerit igitur ille, *Drahomiræ* ſaltem covínus, Bohemici regni *Medéæ*; quam, poſt innumera flagitia, die quodam extra muros urbis regiæ vectam, atrîs geniîs auriganibus, momentô diductîs rictibus Tartarus excepit, & abſorpſit. Ità Beza, Lemannicum ad Lacum, impurus Præco, vectus éſſedô Gallicanô, tractus raptatúsve ſit; non, Romanum in Capitolium, (quid enim hæreſeon doctori, cum Roma?) nec in ulla loca celſiora; ſed in *barathrum*, Athenarum illo carcere (2) deterius; aut in *Profundum-maris*, illô Cyzicéno (3) longè depreſſius: & igne ſulphuréque ſempiternô bulliens. Et inter hæc tamen, nihilominus veterum ei triumphorum ritus, & acclamationes æmulæ, cenſeantur obtigiſſe.

VI. Quapropter, inſiſtat ſanè *Beza Vezelius* rotis & axi; cinctu cultúque qualicunque triumphantis: ac circùm tempora laurô Parnaſſiâ revinctus, ut Vates. Sequantur currum ejus, captivæ catenatæque, manibus poſt dorſa renodatîs, Chriſtianæ legis ac verecundiæ Virtutes univerſæ: quippe, quas jam olim *Beza* calamô, doctrinâ, morúmque

petu-

petulantibus exemplis, Veneri ſúbjuges effecerit. Per me quoque licet; ut, in Alemannide Satyrâ, pedes ſuos impuratos ſuper colla modeſtiæ pudicitiæque ſtatuat; & eas ludibundus proculcet: utpote, quas jam olim, & junior, in *hendecaſyllabis* maximè ſuîs, & poſtea ſenior, in ipſis adeò Davidici Pſalmi quinquageſimi paródicis hexametris, *pedeſtri* laſciviâ ſacrilegus (4) ſcurra, protriverit.

VII. Quoniam verò, triumphalibus in pompis, *Victorum* quoque *filios* patribus ſuis conſidére, mos permittebat: rectè forſitan & Alemannus, Bezæ *fictoris* ovantis chariſſima pignora non putavit ab ejus excludenda vehiculô. quo factum proinde fuit, ut, tanquam liberi genitorem, ſic ejus *ingenii partus*, ſic Amores nefarii, ſic improbiſſimæ Bezæ deliciæ, Bezæ latera ſtiparent: *Audebertulus*, inquam; & *Candida*, puſionis iſtius aliquando corrivalis, & æmula: nunc autem conjunctior, *Claudia Sutorina.* (5) Nec abeſſe triumphalibus à comitibus paſſus eſt pellicem illam, *Abra* diffictо vocabulô nominatam, ancillulam; cuj vitium olim Beza clam obtulerat. Non denique, ſeſe pompæ ſubducere, permiſit Bezææ ſecundæ nuptæ, patriâ Florentinæ. Cir-

Z cùm

Theodorus Beza, Vezelius.

cùm hos autem, per currûs ambitum, parvorum *Erótum*, & *phaleucorum*, ſedentem turbam, cum nequiter circumſilientibus, ſed damnatîs, Feſcennínis, non prætermiſit.

Sic igitur, & tales inter aurigationis comites, ad Plutonias arces perrecturo Theodoro, neque Charon utique, nec ullus Tartari janitor, creaverit negotium; aut moram interjecerit.

VIII. Solus ille, mordacitatis æternæ Canis, *Lucianus* Samoſaténus, dialogorum Momicorum ſcriptor, ac ſophiſta Syrus; quanquam à canibus ipſe quondam diſcerptus, caninum tamen, eúmque genuinum, dentem illum, Alemanno viſus eſt haud quaquam abſtinuiſſe. Cæſarianam enim illam Gallicanorum militum conſuetudinem, è priſci triumphi more, ſugillator ille refricuit: quando, maledicentiâ ſibi nativâ, *Plutoniam* & ipſe SERVARI, (ſicut à Julio quondam Cæſare, gynæcéon Romanum,) UXOREM juſſit. Hoſpitem enim, clamavit, ad manes deſcendere, Theſeo Pirithoôque nihilô temperantiorem. Et duos quidem illos ad Orcum veniſſe quondam, Proſerpinæ (quæ Perſéphone Græcis) rapiendæ cauſsâ. Venire verô nunc &

& tertium hunc, conatuum eorundem hæredem, ac petulantiæ ſucceſſorem; prioribus illîs, nec in hilo, continentiorem; ac plurium jam palmarum *Ægiſthum*: inconſultiorúmque viraginum inſidioſum corruptorem, per illecebroſa carminum ſuorum blandimentorúmque philtra, ſeu tragémata.

Quæ, ſeu Luciani dicacis, ſeu cenſoris Alemanni, mordax utcunque Satyra, cùm *Bezam*, ejúſque mœchas & ſcortilla, perſtringat; nondum interim vel Bezæos æquat, vel Calvini, maledicos, & atroces, in *Eccleſiam* orthodoxam, ſtylos. Nimirum, *Auctorum in capita, relabuntur Injuriæ.* Virginea Chriſti ſponſa, ſuum his ranis Apocalypticis vomitum, id eſt, Babylonem, ac meretricem, glutiendas refundit.

TESTIMONIA, ac NOTÆ.

(1) *Suetonius Tranquillus in vita Julii, capite 51.* (2) *Athenienſium carcerem,* βάραθρον *nomine, Suidas etiam in,* β, *littera memorat.* (3) *Cyzicenorum, oppidi Minoris Aſiæ, carcer; horridus admodum, longéque profundiſſimus, fuit: ideóq;* Profundum-Maris, *tanquam* abyſſus,

Theodorus Beza, Vezelius.

ſus, *dicebatur, etiam Divo Paulo Apoſtolo, 2. ad Corinth. cap. 11. v. 16. Id, quod & Venerabilis Beda docet, Quæſtionum Sacrarum librô, quæſtionis 3. titulô 8.* (4) *Illius egregii ſcilicet Idyllii, partem non minimam, Jodocus recitat Coccius, Eccleſiaſtici theſauri tomo 1. lib. 8. artic. 12.* — Rex David, amore

Correptus, vertit Bethſábæ ad limina vultus,

Bethſábæ, qua non formoſior altera —

(5) *Illius enim* Candida, *verô nomine* Claudia *dicebatur: Pariſienſis ſutoris, cùm adamari à Beza cœpta eſt, uxor; ut tomo 2. de Origine & progreſſu hæreſeon l. 8. c. 17. tradit Florim: Ræmondus. Etſi Coccius, locô ſuprà laudatô, ſic è Bolſeco narret rem.* Cùm Lutetiæ vir quidam honeſtus, ſartor, habitaret in vico eo, qui Calendra vulgò nominatur; hujus uxorem Beza primùm ſollicitare, atque ejus pudicitiam expugnare, deinde ſecum etiam Genevam abducere, cœpit: quam adhuc ibi retinet. Atque eam illam eſſe meretricem, ajo, quam ſuis verſibus tantopere celebravit; fictô tamen nomine Candidæ: cùm verâ appellatione Claudia nominetur. *&c. Ubi vides,* Sartoris *dici conjugem à Coccio, quæ Ræmondo,* Suto-

Digitized by Google

Sutoris *eſt. Sed vel error altrinſecus eſt librariorum: vel, cùm ipsâ de rei ſummâ veritatéque conſtet; controverſiola duntaxat, inter* acûs, *&* ſubulæ, *tractatorem:* puncti *diſcrimine, vix æſtimandô.*

METRUM.

F*Eſta triumphatis victor Capitolia Gallis*
Dum petit, ac niveis JULIUS *urget equis;*
SERVATE UXORES, clamabant caſtra, QUIRITES!
SERVATE! hem calvæ frontis adulter adeſt!
Da veniam Muſæ, licitis cum milite mimis
Dicturæ in mores, Beza odioſe, tuos.
Tu quoque (quis neſcit?) poſt Gallica fraude ſubacta
Jura, fidem, mentes, ac ſacra, victor ovas:
Tu quoque, (poſt canâ, pluſquam duodena peracta
Luſtra, comâ) capulum, mœche glabelle, ſubis.
Jámque tuum, poſt fata, polum, ac ſubiturus Olympum,
Calvini ſtruxit quem tibi fabra manus;
Non niveis, ut Cæſar, equis, neque cœlite bigâ,
Thesbæive rotâ Vatis, Averna petes:
Sed, quibus ad Capræ rex ille homicida (1) *paludes,*
Aut ruptam intravit trux Drahomira Stygem.
Luciferi vapidâ tinctis ferrugine rhedis,
Cornipedi traheris, per nigra regna, jugô:
Quàque ruis, validô miſces iter omne tumultu;
Ac, Bezam ſub humo, nunc quoque ſentit humus.
Axis, & ora, ſtrepunt: &, ïo, ïo! belle triumphe!
Infera Cerbereâ regia fauce ſonat.

Theodorus Beza, Vezelius.

Ante rotas, manibus poſt dorſa cruenta revinctis,
Relligio, & Pietas cana, & avita Fides,
Et pax Imperii, & candor Germanus, & ardor
Gallicus, ac ſanctus lege thorôque pudor:
Poſt currum, bella, inſidiæ, fuga, vulnera, cædes,
Tympanáque, & litui, vis, ſpolia, arma, faces.
Tu, pompæ medius, rapidos ſublimior axes,
Ventivolô ſparſos pulvere Beza premis.
In manibus, geminô infames ab amore, Phalevci,
Et, Belli *inſcriptus* CLASSICA (2), *verna* (3) *liber.*
Ad latera, hinc atque hinc, Aubertulus, &, Ganymedi
Paullatim côncors, Juno, favénſque, tua;
CLAUDIA, *quam,* claudo *abductam à ſutore, nefandus*
Nomine diffinxti candidiore *procus.* (4)
Ad mœchæ ſedet Abra (5) *pedes, tibi cognita furtim:*
Tuſcáque (6) Bertha, *tui teda ſecunda thori.*
Plebs fremitu, plausúque, tibi Phlegethontia præſtò eſt.
Unicus in populo te malè Momus habet;
Latrator Divûm atque hominum, Syrus ille ſophiſtes;
Cerberus, ac, profugô (7) *de cane* (8), *cœna canum.*
Hic, priùs, inferni quàm eſt ventum ad limina Regis,
Dum rapidum volitant trans Acheronta rotæ;
Hactenus! (exclamat) nunc ſiſtite, turba! Satelles,
I celer; ac Stygii limina claude Jovis:
Ac procùl ingenti regem Orci voce moneto,
Ægidem ut caveat, Pirithoúmque novum.
Dic, clauſam ut pénitùs dominam penetralibus abdat:
Callidus, & multæ noctis, adulter adeſt.
Hujus (ut eſt nequam) pellace cupidine tracta,
Non una, aut uni, Claudia rapta viro eſt.

Hujus

Hujus & (*ut catus eſt, ac transformare peritus,*)
Claudia *quæ fuerat*, CANDIDA *facta librô eſt:*
Namque librum, & verſus, atque hendecaſyllaba, portat;
Incantatricis dulcia philtra lyræ.
Bezâ igitur viſô, ac mediâ Stygis arce receptô,
(*Ut res eſt Mulier, ſemper avara novi,*)
Quid ſi, his exemplîs, etiam Proſerpina FUSCA
Plutonis, fieri CANDIDA *- Bezæ, aveat?*

TESTIMONIA, ac NOTÆ.

(1) *De Romulo, Remi fratris cæde maculatô; poſteáque ad Capræ paludem, dum concionatur, raptô (quò nempe Idololatra rapi potuit, ac debuit); vide Tit. Livium, decadis 1. libro 1.* (2) *Librum Beza ſcripſerat, cuj titulus* CLASSICUM. *de quo in Vita Bezæ leges.* (3) Liber verna, *qui domi natus, aut elaboratus eſt: ſicut vernæ, ſervuli, in familia geniti; non aliunde introducti.* (4) *Honeſtè namque* Claudiam *hanc ambire nullô titulô* Beza *potuit, ut ſponſam, & in conjunctionis pacta: quippe, jam pridem alii, eiq; tunc adhuc ſuperſtiti, nuptam.* Nefandus *ergò* Procus *erat.* (5) Abras, *Græcè τὰς ἄβρας, aut etiam cum aſpiratione, ἅβρας, Attici matronarum locupletiorum pediſequas, & ancillas, honeſtioris ſortis, aut formæ, nominant.*

Theodorus Beza, Vezelius.

Quorum idcirco exemplô, Divus Hieronymus, in verſione Latina libri Judith, cap. 10. v. 2. vocem abræ, *hoc eſt*, puellæ honorariæ, *divæ Juditha, repertam in Græco, reliquit in ſtylo Latino; ſicut & cap. 16. v. 28.* (6) *Florentia namque, in Hetruria eſt, adeóque Italiâ Tuſcâ.* (7) *Fuit enim Lucianus religionis Chriſtianæ perfidus deſertor.* (8) *Vulgò* Canis *ipſe quoque dictus; eò, quòd omnes, & omnia, allatraret: tandémq; & à canibus devoratus, ut è Volaterrano Turſellinus in Epitoma hiſtor. tradit.*

Septennii I. Annus 1605.

ANNUS M. DC. VI.

ANNI M. DC. VI.
Geſtorum
SYNOPSIS.

I. IN hunc Annum inciderunt eæ rerum *Adriaticarum* controverſiæ; quæ paullisper, hinc quidem Paulum Pontificem, ac Theologos nonnullos; illinc autem, inviſtiſſimæ Reipublicæ ſtatum Sacrorum, utrimque ſcilicet invitos, exercuerunt: brevì tamen, & pacatè, compoſitæ.

II. Gallia, quæ tunc tumultibus caruit, terrore ſollicitudinéque, pro capitis ſui periclitantis ſalute, vacua non fuit; è *fluviali*, quod *Reginam* involvit, diſcrimine: velut inferiùs explicabitur.

III. Jacobus, magnæ Britanniæ rex, quod animô jam antehac conceptum habebat, ut in *unam* quampiam *Religionis nova* formam Inſulam ſuam univerſam adigeret: hôc tandem annô, non jam ſuaſu, monitîs, ac libel-

lis, ut antea, ſed omnino minis adniſus eſt, & gladiô, perficere. Detrectavêre, durâ mentium obſtinatione, Scoti. Nam his Anglicana religionis mixtura, *Papiſticis* (uti loqui ſolebant) *quibuſdam adhuc cærimoniis inquinata*, diſplicebat: & ad Calvini ſui ſenſum minùs REFORMATA videbatur. Turbulentorum porrò, reluctantiúmque, dux & caput, *Andreas* erat *Melvinus*, Theologiæ ſectariæ, Miniſteriíque ſimul Scotici, Primas, & archiſynagógus. Hic, quòd ore pariter, & auctoritate, cæterorum contumaciam maximopere confirmaret; *Seditionis* ipſi, (nec præter verum) impactô crimine, diuturnam, jubente rege, datur in cuſtodiam: exemplôque calamitatis ſuæ reliquos, ne perſtent in contumacia, terret.

IV. Tam itaque rigidô, ſuóſmet in Scotos, ipſo tunc Rege, quid mirum erat; illius ejuſdem regni Novatores, adversùm Romanam-profeſſos-doctrinam, ſacrorúmq; cultum, imperiis odiiſque, multò dirioribus, inſurrexiſſe? Nimirum, in eos, non leges modò, ſed & ſtylus, & ferrum, diſtringebantur. Ab eis, (ut vel inſulâ, vel majorum ſacris, orthodoxos expellerent) extorquere conaban-

bantur, quod nemo ſolet, niſi, qui vim conſcientiæ libertatíque mortalium, inferre conatur. Edictô namque conſcriptô, quod circùm omnia regni fora templáque miſſum eſt, JURAMENTUM, quod appellabant, FIDELITATIS, ab omnibus ac ſingulis Britannis exigebatur; *obſequii*, ſiquis in ea verba jurâſſet, *teſſera*; ſi jurare detrectâſſet, *fuga*, ſed capitalis. In eo, præter cætera, poſtulabatur: ut DEUM in ſe vindicem expeteret, *Siquis in Sacris haud minùs, ac Profanîs, CAPUT in terris Britannicis aliud, quàm id, quod tunc imperitabat, agnoſceret: aut etiam, ſi ſecus animô ſentiret, quàm linguâ juraret, jurâſſit. Sacramentum illud quiſquis abnuat, abnuiſſet; is perduellionis, is læſæ majeſtatis, extremas pœnas daret.*

V. Præ cæteris interim univerſîs, juramentum ejuſmodi, cum ejus approbatione, detrectantibus, *Henricus* deprehenſus eſt GARNETUS, è Societate JESU Sacerdos; eidémque tunc Ordini, per Angliæ regnum ſparſo, provinciali præfecturâ præpoſitus. Id quod auctor ſcripti famoſi, cuj titulus eſt, *Aphoriſmi Jeſuitici*, memorare non prætermittit. Eum, *annorum* jam *ſeptuaginta* virum, etiam antè

Digitized by Google

antè jam, antiquæ religionis hoſtes, illius in regem, de qua ſuperiore dictum eſt annô, *Percyanæ* conſpirationis, (& falsò) poſtulâ- rant: eâque cauſsâ, peracerbè vexaverant. Neque tamen aliud ex eo, quàm ſceleris tam atrocis veriſſimam negationem, extorſerunt. Quibus illi tamen illatîs cruciatibus, & ab eo generosè ſuperatîs, nihilô facti placatiores; eum tandem, & ut *Percyi* conſcium, & ut *Juramenti-Fidelitatis* detrectatorem, in fur- cam, & ſueta perduellibus ſupplicia, ſpiran- tem exſpirantémque rapuerunt; ad *quintum* hujus anni *nonarum Maji* diem. Et hic qui- dem *Londini* ſic, in cauſsa Religionis, immo- latus eſt.

VI. At *Vigorniæ*, paullò priùs, ejuſdem ipſius regni civitate, nec cauſsâ ſacrorum diſ- pare, nec genere diverſo mortis, ad ſeptimum idus Apriles, vitam impenderat *Pater Edmun- dus Olgurnus*. Fuerat & hic è cœtu *Societa- tis*; habuerátque *Sectarios* eoſdem, eorúmque ſatellites, ob ſacrorum conſtantiam, inſecta- tores: plurimæ vir precationis, & rigoris, in corpus ſuum, inexhauſti; quíque Britannicæ vineæ labores indefeſsâ tolerantiâ, ſolidîſque pertuliſſet annîs octodecim.

Sed

Sed fuerit iſta quidem *heterodoxorum* (ut ſemper, inter diſcordes religionum ventos,) adversùs eos debacchata procella, quos illi vel ſuſpicarentur, vel calumniari gauderent, *rebelles*: oſtentatione potiùs infeſtæ potentiæ, quàm ullâ demonſtratione ſolidâ veritatis.

VII. Aſt alibi, viam tuendi, vel ulciſcendi ſuî, diverſiſſimam ingreſſus, *Poloniæ* rex, *Sigiſmundus*; clementiâ maluit, quàm ſuppliciîs, in refragantes ſibi populares, inclareſcere.

Cùm enim in hunc, Sarmaticæ nobilitatis magna pars, religionum ferè ſenſu diſſona, cervices erexiſſet; jámque ſolio capitíque *Sigiſmundi*, virîs, armîs, equîs, & apparatu cuncto rebellionis, imminerent: occurrit armatis quidem, ac furentibus, armatus & ipſe, concitatúsque, rex: &, quantò tunc copiîs inferior, tantò cauſsæ bonitate potior, acie perduelles fregit. Magnificentius tamen, ſub hæc, glorioſóque ſceptrô dignius, exiſtimavit; delicti gratiam facere victis: quàm, victoris ſummo jure, nocentibus inſultare. Superatis igitur ignovit: ut, *QVI melior armorum fortunâ fuiſſet, illuſtrior quoque manſuetudine fieret: ſinè qua, procul dubiô, bellorum, præſertímque civilium, nunquam ulli diu felix eſt palma*

Anni Acta.

ma conceſſa. Tam igitur moderato victoriæ popularis uſu, *Sigiſmundus*, & impræſentiarum, & poſt hæc ſæpius, clementiæ tulit, operæque, fructum: &, infidæ cæteroqui potentiæ, non ſemel nutaturam coronam, tam arctè ſuo vertici, ſuæque faſtigio domûs, infixit; ut ætas hæc noſtra regni *Polonici* tertium è Suecico ramo Jagellónidem, in culmine poſitum, ſpectârit.

VIII. Utinam autem, ex illa Sigiſmundæa lenitate, ſub idem illud tempus, & DEMETRIUS aliquid hauſiſſet, *Moſcus*! quem cùm Europææ Scythiæ (cujus caput, urbs eſt *Moſcua*); cùm item *Albæ*, quam vocant, *Ruſſiæ*, Magnum Ducem, & Imperatorem novum, annus ſuperior vidiſſet, extincto Boriſio ſubſtitutum: præſens hic annus, miſerandô ruinæ genere, dejectum obſtupuit.

Dum enim hic, parùm admodum vicinæ ſibi Poloniæ clementibus exemplîs manſuefactus, *majeſtatis multum in eo conſtituit, ut à ſuis formidetur*; & imperium ſatìs ſupérque terroribus, externæque gentis ſatellitiô, vallatum arbitratur: regiminis turbidi ſalebris paullatim implicari cœpit. Quibus intemperiis dum, inſipientis *Roboámi* veſtigiis inhærens, conſul-

tores

Digitized by Google

tores peſſimos adjungit; iracundiam videlicet, externi ſplendoris pompam, ac nimiam ſuî fiduciam: nempe, demum barbaricô popularium furore concurſúque miſer oppreſſus; vitam celeriùs, quàm juventam, velociúsque dominatum, quàm primum illius annum, explevit. Majô namque menſe præſentis anni periit; cùm ab Sextili ſuperioris imperitare cœpiſset.

IX. At, inter hæc, alibi terrarum, *Iſthuánus* BOTSKAJUS, ambitionis, & arrogantiæ ſuæ, perperam currentia, ſtudia retrorſum torſit; & in rationis orbitam revocavit.

Is, Transſylvaniæ nuper, ac ſuperioris Hungariæ, tyrannidem (ſicut in ſuperiore geſtorum breviario dictum eſt) involârat. Nunc, fragili dominantium conditione, per maturitatem rationum expensâ; cùm inſuper & alienô malô doctus eſſet, *DIUTURNITATEM principatûs, in obtemperantium potiùs alacritate, quàm in regnantium arbitrio, conſiſtere:* conſilia tandem, de reddendis, quas injuſtô bello rapinâque ceperat, provinciîs, inire cœpit. Ad quæ, bene cogitata, cùm primùm quidem morbus, pòſt paullò verô, fata-

fatalis etiam horæ neceſſitas, acceſſiſſet: moribundus demum in fidem Rudolphi Cæſaris póſtliminio conceſſit.

Convenerat autem jam antehac, ad pridianum Iduum Octobris diem inter Cæſarem & Botskajum compoſitâ pace, juratîsque pactis: UTI Cæſar Botskajo *Tranſylvaniæ* principatum, jure fiduciariô, permitteret, etiam in poſteros ſexûs virilis tranſiturô. Quos tamen ſiquando legitimi natales deſtituere cœpiſſent; tum Daciarum jus univerſum, Cæſaris in manus, fide quàm optimâ, reverteretur.

X. Quamvis autem hæc in eum, quem dixi, modum, & conditiones, utrimque transacta fuerint; diversîs poſtea nihilominus animorum ſtudiîs, factionibúſque, certatum à *Tranſylvanis* eſt. Exemptô namque rebus humanis *Botskajo*; nobilitatis Dacicæ pars quietior, ſed numerô ſuorum, ac viribus, inferior, æquiſſimi fœderis legibus, utì fides exigebat, ſtare certa; Rudólphum ad Cæſarem deportârunt ſceptri jus illud, quod ab uſque Decébalo rege, per Trajanum Auguſtum debellatô, ſemper Romanæ dominationis, & aquilæ, fuerat. Pars igitur Dacorum, quam dixi, nobilior, ac ſincerior, Rudolpho (quoniam ſinè maſcu-

maſculo *Botskajus* hærede deceſſiſſet,) permittunt ; ut is de ſucceſſione, tanquam ſupremum caput, ſuúmmet ad arbitrium ſtatueret. E diverſo verò, Transſylvanorum ferocior, ac ſuî multitudine præſidentior, factio, contra jus fásque, Cæſaris (adeóque fœderum) obliviſcuntur. Eô proinde nec conſultô, nec conſciô ; ſi verò ſcîſſet, dubium, an approbaturo ? *Sigiſmundum* RAGOZIUM, invitum quidem ſanè, maximâque contentione reluctantem, per vim, & armîs intentatîs, niſi cogentibus acquieſceret, ad Dacica gubernacula capeſſenda rapiunt.

Erat hic porrò, de prima gentis illius, ac patriciâ nobilitate, vir ; quietíſque cæteroquin amantiſſimus : moribus quoque, minimè gentium ambitioſis. In ſumma ! dignus, qui de *Religione* quoque rectiùs ſentiret. nam *Calvinianîs* erat erroribus in abrupta tractus, ſed adhuc intrà controverſiæ civilis limites ; ac retentô, quantum erat in ipſo, tranquillitatis ſtudiô.

XI. Dum autem in his vel maximè *Transſylvani* ſunt : ne tamen denuò *Cæſaris* in ſe mentem aſperarent, ac nempe *Baſtam*, Rudolphi ducem, clade Daciarum non ſemel

perſpectum & cognitum, iterum iterúmque laceſſerent: ad rebellium noſtræ tempeſtatis conſueta *ſophiſmata* verſutè decurrunt. Audacis igitur facti manifeſtam invidiam lenire conantur, *proteſtationibus* urbanîs, & è *Genevate* ſcholâ petitis argutiîs; *Se Cæſaris ab obſequiis, inter hæc talia, nihilô magis receſſuros. Ipſum enimvero Principem, quem ſibi præfeciſſent, altioris eſſe Principis, ac videlicet Imperatoris Rudolphi, donum & auſpicium. In Ragozio, Cæſaris ſibi vices, Cæſaris formam & imaginem, expreſſam, ac propoſitam, ſpectari.*

Sed hæc ſplendida, ſinè fide nervóque, Transſylvanorum-verba, Cæſaris ultorem gladium parùm flexiſſent; niſi Germanicorum agminum incedentem jamjam ſtrepitum *Ragozii* pacata modeſtia ſapienter præſenſiſſet: inſtánsque periculum maturè, tametſi clandeſtínâ, propemodúmque *furtiva* ſimili, poteſtatis depoſitione diſcuſſiſſet. In hunc ille modum, & ſuam ſuorúmque popularium cladem prudenter avertit; &, ſuum in caput potiſſimùm ardentes, ſpiritus Martios eluſit. *Uno quieſcente, quieverunt univerſa.*

XII. Talia tunc, in *Europa noſtrâ*, ſeu bellîs, ſeu bellorum meditamentîs, agitabantur.

Septennii I. Annus 1606.

Digitized by Google

tur. quorum (ut & omnium vitæ tumultuum aliorum) ſatur, JUSTUS LIPSIUS, vir, amore pacis & Muſarum eminentiſſimus, vitam clauſit; quam litterarum elegantiorum publicô bonô tranſegerat. Eum naturæ lex, ac morbi vis, ſub ipſum æquinoctii verni decurſum, morte, cæteroqui placidâ, ſtravit: altiſſimum, ſinè controverſia, doctrinæ politioris, & exquiſitæ, verticem, atque culmen. Cujus, deplorandam æquis rerum æſtimatoribus, ruinam, haud quaquam cladibus caſibúſque ſuîs æquâſſe cenſeri debet ea, quæ paullîlô pôſt ſubſecuta tempeſtas eſt.

XIII. Cùm enim *hebdomadis*, quam appellamus, *Sacræ*, ſeu *Majoris*, mediô ferè ſpatiô *Lipſius* exſpirâſſet; ipsis, ecce! *Paſchæ* lætioribus diebus, ventorum turbinúmque tanta, tam inſana vis, in omne paſſim *Belgium* irrupit: ut tectorum, domuum, turrium, arborum, & animantium, complura millia ſtraverit everterítque. Raptavit autem inſuetiſſimus hic, & prioribus illic ſæculis incompertus, procellarum impetus, etiam flumina, terras, atque maria. Sunt verò (ſiquis fortè plura ſuper his, ac particulatim, cognoſcere deſideraret) hi celebres illi per Europam VENTI;

TI; quos libris duobus, animosè juxtà, concinnéque, *Caroli Malapertii*, Belgæ Montenſis, heroica tuba decantavit. (1)

NOTA.

(1) *In hujus, &, tam ſequentium nonnullorum, quàm antecedentium, Annorum geſtis, ordini claſsique temporum reddendîs, abeunt interdum, Gordonius, & pauci quidam alii ſcriptores exteri, ab ea* chronotaxeos *ſerie; quam Henricus Spondanus, P. Janſonius, Arthus Dantiſcanus, & Continuator è Thuano Boterejóque, poſuerunt. Id, quod eos ſingillatim evolventibus, intérque ſeſe illos committere ſatagentibus, planum fiet. Mihi, præmonuiſſe ſemel, abunde ſatìs eſt viſum: cui, ad evitandas inutiles, lectoríque properanti graves futuras,* Chronologorum *rixas, placuit;* Acta *potiùs publica, famámque Annalium, quàm frivola* partium ſtudia, *minutiáſque, conſectari.*

METRUM.

Anni Sexti memorabiliora.

OStenſum Hadriaco fulmen Latiale profundo,
Diſcuſsô poſuit leniter igne minas.

Aſ

Septennii I. Annus 1606.

Aſt alibi, nullos metuit dum navita fluctus,
Nulla, procelloſô nubila torta Notô,
Gallicus *immodico tamen æquore. Sequana turgens,*
Reginæ *factus quàm prope tumba* (1) *ſuæ eſt?*
At procùl, orbe alio, Jovis attonat ira Britanni
Scotica, cum Tameſi non bene nexa, Sacra;
Melviniúmque, *ſuis pro ritibus imma ſupremis*
Miſcentem, lentæ compedis ære domat.
Uſque adeò ergò ſuis rigidus Numa, (2) *mitior eſſe*
Romicolis, *calamis acer, & enſe, queat?*
Ille, ſacrum qui ſe ipſe caput propugnat, ab aris
Exiget atque focis, in ſua Verba, fidem:
Garnetúmque, reum *(quem abſolvit cauſſa),* nocentes
Prodere quòd renuat, *proditionis aget.*
Hinc, perit innocuus. Quantò meliore Polonus
Præſidiô firmat, ſtrata per arma, caput?
Sarmaticæq; ſibi cidaris diadema propagat,
Dum conjuratos, quo domat enſe, tegit?
Hos utinam mores Ruſſæ Dux inclytus oræ
Vicini hauſiſſet Regis ab ingenio!
Quem, ſceptri (heu!) nimium, in funus, fuga funeris ipſa;
In cinerem, ac ventos, turbida Moſca, dedit.
Poſt Demetriacam jam cautior ergo ruinam (3),
Pannonii, ac Daci dux malè-firmus agri,
Inſeſſas ejurat opes Botskajus, & arma:
Séque malè arreptis cedere, morte probat.
Barbara: non ideò minùs indignatur Erinnys,
Dacica ſub Romæ jura redire juga.
Occupat ergo tuam, Deceballe, (4) *Ragozius aulam,*
Quò, tardum ac reſugum, vis, ſatrapæque, trahunt.
Horribili, hæc inter, Borearum quaſſa tumultu,
Æqua ſolo paſſim Belgica tecta jacent.

Tam nova *miſcentem mundum Vir, MORIBUS hærens*
Lipſius *ANTIQUIS* (5), *nauſeat. hinc, moritur.*

TESTIMONIA, & NOTÆ.

(1) *Vox* Tumba, *Eccleſiaſticæ potiùs, quàm claſſicæ Latinitatis, lexicographo Bergomáti,* Subterranea cavitas eſt : *& indè, tropicè, Sepultura ; vel vas potiùs, & Urna, in quam recondebantur antiquitus defunctorum cineres, & oſſa, ſepulturæ causâ. Colludit autem & Græca vox, ὁ τύμβος, ȣ, idem prorſus ſignificans: & Italica,* tomba ; *Gallica,* tombe ; *Belgica* Tumbe : *ſepulcrum, aut urnam ſepulcralem, ſignificantes.* (2) *Numa Pompilius, aliunde accerſitus in regnum, ac Romuli ſucceſſionem ; ſacris, &* religionibus novorum rituum *ordinandîs, quàm tractandis armîs, occupatior fuit. Conferat hunc, qui volet (quantum ad iſta), regem, è Scotia vocatum in Anglicum regnum ; & utriuſque Sacrorum curam : rectiùs* Pontificibus *tractandam, & tranſmittendam.* (3) *Demetrius enim, Moſcoviæ dux, hoc annô ſublatus, lapſu ruinâq; periit ut inferiùs dicetur.* (4) Decébalus, *Dacorum plerorumque (qui Tranſſylvanorum hodie, Moldavorum, & VVallachorum, nominibus cenſentur,) Rex olim ; cum Trajano Romaníſq;*

diu,

diu, Marte ferè æquali, certavit. Cujus vide laudes apud Suidam, tomo primô, loco ordinéque litteræ Δ *proprio; ſed in voce* Δεινός. *Et is quidem primô, ſcribit* Δεκέβαλον, λ, *ſimplici. poſteriore verò locô,* λ *geminatô,* Δεκέβαλλον: *cùm ait;* Ὅτι Δεκέβαλλος, ὁ τῶν Δακῶν βασιλεὺς, δεινὸς μὲν ἦν συνεῖναι τὰ πολέμια. *Priorem ſcribendi rationem reſpuentibus metri legibus, ad poſteriorem adacti neceſſitate; tametſi contra torrentem conſuetudinis loquentium,* λάμβδα *nos quoque duplicavimus: ſicut, qui, nequaquam eâdem conſtricti neceſſitudine, tamen pro Pórſena, &* Porſennam, *pronuntiant; &, vice versâ, pro Porſenna, ac Porséna Liviano,* Pórſenam, *cum Martiali.* (5) *Emblema, ſymbolúmque, Juſti Lipſii, pervulgatiſſimum,* Moribus Antiquis; *è Q. Ennio, poëta vetere, petitum.*

APOCOMMA I.

Maria Medicæa, Galliarum Regina; à flumine periclitans.

I. MEnſium anni totius, ut in Europa vulgò lætiſſimus aliis mortalibus, *Majus*; ità (velut inferiùs prodetur) hoc anno *Moſcorum*

Digitized by Google

Duci prætriſtis ex interitu; *Maria* verò, *Gallorum Regina*, propè propiùs, ex interitûs vicinia, funebris fuit. Id in hunc, quem dicam, modum evénit.

Amœnitate redeuntis, poſt longam hiemem, verni Solis invitatus, rex Henricus Borbonius; ad Divi Germani ſuburbanam Ædem, cum conjuge, familiæque regiæ delectu, ſeceſſerat; non animi magìs remittendi, quàm religionis, ſtudiô. (1)

II. Dum illic moram trahunt; dum, re divinâ peractâ, lento paratu Lutetiam revertuntur: immensîs interim incrementîs tumefactus *Sequana* fluvius, utramque longè latéque ripam ſtagnaverat. Sublata proinde per pontem commeandi facultas; transvectionis nauticæ neceſſitatem regibus impoſuerat, ad viciniam amnis, eodem ipſo tempore vel maximè ſævientis, regreſſis. Porrò curribus Rex ac Regina diversîs advenerant: in quibus & transportandi, per indomitos Sequanæ gurgites, ad citeriorem aquæ marginem opperiebantur. Hujc interim expediendæ transvectioni dum navis oneraria (2) conquiritur; dum & remiges ac nautæ cunctantur, de navigii delectu ſolliciti; dum & tandem fluviô, ſed



MARIA MEDICÆA REG. GALL.
Annô
1600. nupta. 1601. mater
1606. aquis erepta.

Digitized by Google

Digitized by Google

ſed adverſô, proptereáque tardior, actuaria, ſubvectatur: factum eſt, ut ii, qui Reginam, etiamnum in curru ſedentem, traxerant equi, verni caloris petulantiâ furias conciperent; intérque ſeſe calcibus, alterníſque morſibus, deprœliari geſtirent. Tantus autem pugnantium fuit ardor; ut, quantumvis omnibus omnia, dirimendæ contentionis cauſsâ, tentantibus; ſedari tamen ſiſtíque pugnax laſcivia neſciret. Spretîs igitur aurigarum hortamentis, & ſcuticarum ictibus; in furore perſeveratum eſt; donec equorum obſtinata ſurdáque rabies, obſequium omne, cum parte jugi, rupit: prioribúſque jugalibus poſteriores jugales, ungularum infeſtis ictibus, à tergo repellere laborantibus; ſuæ fidei commiſſum onus jumenta, ſupremum in diſcrimen adduxerunt. Cùm enim, ipſas propemodum ſupra ripas, (tunc aquîs obtectas,) defixa quadriga ſtaret, locô, quo clementius adhuc vadum ſpatiabatur: pars ejus poſterior, in quo *Regina* deſidebat, *Séquanam* amnem retrorſum, ac prorſus ipſum ejus alveum, urgebat. Anterior verò currus, & temo, terram ac ſicciora camporum, ſpectabant: ſic ſcilicet, tanquam ex compoſito retrorſum quadrigâ verſâ;

Maria, Galliæ Regina.

sâ; quò tantò minus formidinis ex aſpectu tumentis fluminis regina conciperet.

III. His igitur in hunc, quem dixi, modum conſtitutîs; jumentorum indomabilis impetus, & rectorum ſuorum imperiîs, & Dominæ periclitantis clamoribus, (in quos, animadversô diſcrimine, proruperat,) inſupèr habitîs: retrorſum in profluentis alveum, uno ſecum raptu, currum, ſeſſores, ac reginam, in præceps, per abrupta ripæ trahit.

Ejulatus igitur confeſtim, ac tumultus ingens; hinc quidem, ruentis in profunda Reginæ, regiíque gynæcéi (quod caſum, tam dirum, è propinquo ſpectârat, & exhorruerat); illinc autem, ſatellitum, ac nobilitatis, in equis circumfuſæ. Nec minor *regis Henrici*, tam conſternatio, quàm clamor & ſollicitudo, ſe prodebant; ut, ad quem, aliquantò tunc remotiorem, muliebris ploratus, ac tanti periculi nuntiæ voces, illico pervenerant. Omnes ergò rúere: jumentíſq; ſuîs, ut quiſque promptior, defluere. pro ſe ſinguli, lamentis alii, votîsque nuncupatîs, pars manuum pedúmq; conatibus incertis, in *reginæ* ſuæ ſuppetias feſtinare. Rex ipſe, quò thori conſortem, & regiæ ſucceſſionis unicam tunc propagatricem, ſerv-

ſervaret, advolare: pro dilectæ ſibi *ſalute, voce*, manibus, & omni contentione, *niti*.

IV. Verùm, jam dudum omnibus *anteverterat*, in ope ferendâ cæteris animoſior, expeditiórque, CASTENERIUS quidam, eques auratus: digniſſimus utique, cujus, *utì cognomen*, ità *nomen* etiam, ac familiam, aris Memoriæ ſempiternis Gallia conſecret univerſa. Nam is, ſub primum ſtatim *ruentis* currûs, ac reginæ vociferantis, articulum temporis excítus; aſturcóne ſuo deſiliens; ſicut erat, & ocreîs latè laxîs inſtructus, &, ſuprà cæterum apparatum equeſtrem, etiam calcaribus impeditus: ſuímet tamen diſcriminis contemptor, & alieni depulſor; ad eripiendam exitio *Reginam*, in *Séquanam* ſeſe jacit: &, induſtrius urinator, circumventam jam undique neceſſitate *lethi* regni-dominam, ſub undis quærit. Reperit demum, ſub everſa quadriga luctantem; &, influentis ab omni parte, *mortis præguſtu* conflictatam. Eam, invitîs licèt, diúque repugnantibus, amnis vorticibus, extrahit: *flumineámque*, (ſed, cui parem alius antehac nullus ullo reti [illegible]ſerat,) *prædam*, diademate fulge[illegible] gentis regni pretiô ſtantem, edu[illegible]

Maria, Galliæ Regina.

quidem (quod admirêre) per omnia ſalvam incoluméṁque ſiſtit ; ac celeriùs tamen, quàm cujuſquam oratio deſcripſiſſet.

V. Quis jam autem illam *Caſtenerii*, qua ripam iſte repetivit, pro dignitate *gloriam* depingat ? Cum venia dixerim miraculorum Antiquitatis ! Magnificentiùs *eques* iſte ripas & ſiccum, tali cum impedimento, tenuit ; quàm Cæſar olim, Dictator, littus Pharium, ad Alexandriam ; quando, cum libellis in manu læva, cum paludamento, dentibus apprehensô, ſolâ verò dextrâ quodammodo ſubremigans, enatavit. *Regina* tantiſper, tàm lacrymis, è periculo, quàm *Sequanæ* fluentîs, madenti, jam dudum gratulabantur, effusîs in lætitiam animîs : *Rex* primùm, maritus ; deinde comitatus regius univerſus. Indè Lutetiæ populus innumerabilis ; ac regia poſtremò ſedes, in occurſum ruens, ſibi conclamatæ paullò priùs, tunc autem ex inſperato repentéque reſtitutæ, vitæ regnatricis ſuæ.

Dulcior tamen Auguſtæ matri, cæterîs (ni fallor) omnibus, gratulatio tum accidit, è *Ludovico Delphino*, filio. quem tunc, quinquennium ætatis paullatim egreſſurum, & maternis inhærentem amplexibus, haud inferiore credi-

Digitized by Google

crediderim admirationis ac lætitiæ perfuſum fuiſſe ſenſu; quàm, quantum Babylone quondam, redditâ ſibi genitrice, caſtiſſimæ *Suſannæ* liberi, depulsô periculô grandinis-lapidum, hauſerunt. (†)

VI. Cæterùm, *Caſtenerio* ſervatori, (ne, cum aquis ſimùl, meriti fluvialis aut gratia diffluerct, aut memoria,) Reginæ liberatæ civilis liberalitas proſpectum abunde voluit, & conſultum.

Nam *ſoſtrum* (3) ei rependit, aurô ſolidô, mirificâque celatoris arte, laboratum; ac pretioſiſſimîs quibusq; gemmîs interſtinctum. Cuj propterea, ſic donato, non defuêre plauſus æqualium; eorúmque potiſſimùm, quibus *Invidia, clarorum facinorum tinea*, nihil in laudes illius iniquum dictârat. Succinebant autem (opinor) illi jocô gratioſô; *Feliciter Caſtenerio Medicæos, ex hortis Heſperidum, fructus fulvos, & pretioſam è Séquana capturam, obtigiſſe. Nobilem equitem, nobiliorem eſſe piſcatorem factum.*

TESTIMONIA, & NOTÆ.

(1) *Ex æde Divi Germani repetîſſe reges aulam, auctor eſt Continuator Slejdani, parte 3. libro*

† Maria, Galliæ Regina.

libro 12. (2) *Hoc ipſum navigii genus auctor idem ſignatè exprimit. Tradit porrò Galliarum reginæ periculum iſtud, in eo, quem aſſignavi paullò antè, libro operéque Slejdanianæ Continuationis, idiomate Germanico: præfatus, Ex Auguſto Thuano, Boterejo, Benthero, plurimiſque manu-ſcriptis, Acta ſe, cum ſtudio veri, collegiſſe. Sed ſcriptor eorundem ipſorum temporum Gallicanus, & is quidem Pariſiis tunc in Curia regia Cauſſidicus, ſentire dicere͏́que videtur; In ipſo flumine Sequana, & in Oneraria navi, cùm ea jamjam appulſui, ripæq; ulteriori, propinquaret, equorum rixam illam, & reginæ, cum quadriga, everſionem ac præcipitium, eveniſſe. In cæteris omnia, quemadmodum retuli, concordant. Equidem, de minutiis, rem circumſtantibus, haud quaquam ſollicitus anxiúsve; diſcriminis regii punctum princeps, &, (ut ajunt)* rei jugulum, *afferre, ſatis impræſentiarum habui.* (†) *Daniel. cap. 13. v. 30. & v. 63.* (3) *Quæ merces ſoſpitatori-valetudinis, medico, datur; σῶςρον, à σώζεσθαι* ſanari, ſoſpitari, percurari, *dicitur. quæ proinde vox eadem, qui minùs conveniat* pretio, *quod à* ſervato *rependitur* ſervatori vitæ?

METRUM.

Septennii I. Annus 1606.

METRUM.

Reginæ Galliarum, in curru naufragium.

Regia Sequanicum repetebant eſſeda pontem,
Functa ſuburbani relligione tholi,
Hâc Rex, hâc alibi conjux Medicæa quadrigâ,
Urgebant ſuetum trans juga pontis iter.
Obſtitit, inſanô ſubitò furioſior æſtu,
Sêque ipſo accitîs Sequana major, aquîs.
Spes ſiccæ nuſquam ulla viæ eſt. Stagnantia, reſtat,
Trajicere ingenti flumina navigiô.
Dum remi aptantur; dum tardô oneraria lapſu,
Dum Palinurus, eat: ſtatur; & alta mora eſt.
Ecce autem, ſaturô ſonipes laſcivus omasô
Regius, ac vernæ Cypridis igne ferox,
(Ver, ac Majus, erant) rivales calcibus armos
Impetit, ac ſocii provocat arma jugi.
Hoſtis, in ultrices aſſurgens arduus iras,
Calcem calce aſper, varáque crura, terit.
Alternant fremitum: accendunt hinnitibus auras:
Cornipedésque alios in paria arma trahunt.
Pacatorum etiam, poſt terga, caleſcit equorum
(Quos equa jam ſtimulat nulla, ſed ira,) jecur.
Acris, & in ripæ gliſcebat margine, pugna:
Quàm propè, Lethææ, tunc aberatis, aquæ?
Nec verbis quidquam Autómedon (1), neque verbere flagrum,
Gallica nec centum proficit aula minis.
Ipſa adeò rixoſæ hoſpes Regina quadrigæ,
Increpitante licèt, nil tamen ore movet,

Scilicet

Maria, Galliæ Regina.

Scilicet, IN furiis, brutiſque, quid attinet; Irus,
An Xerxes? Juno, an Jupiter, arma vetet?
Omnia cùm facies, referes nihil. Irrita vox eſt
Reginæ: indomitis ira valeſcit equis.
Jámque jugum, ripæ adverſum, jámque eſſeda, ſævi
In vada, retrò actis dant Medicæa rotis.
Præcipitî auriga, & quadriga, & regia conjux,
Margine, quà rapiunt Sequana fórsque, ruunt.
Fit clamor: concurſu ardet, ſtudiôque juvandi,
Omne ſatellitium: regius ardet eques.
Quot Reginam, undis preſſam, jam jámque ſepultam,
Circumſtant mortes; tot pia vota volant.
Sed, quid velle juvat, lethi jam in limine? *VERAM*
Ille operam præſtat, qui citò portat opem.
Et ſunt, qui apportent; nec aperta pericula vitent:
Flos equitum, in rapidas corpora jactat aquas.
Sed SUNT thyrſigeri multi, Dionyſius unus (2):
Laus CaſtenerI *hic* clarior, *ut* prior, *eſt.*
Ille, moræ impatiens, mortiſque irriſor, in undas
Fortia magnanimô robore membra jacit.
Indè, manu prenſam, vix jam, vixque, ægra trahentem
Brachia, reginam vincere cogit aquas:
Explicitámque undis, Neptunivagóque covino,
Incolumem reddit Regibus, atque ſibi.
Parvulus exultat, notô Lodovicus ab ore
Pendulus, ac matris roſcida pepla (3) ſtupens.
At ſervator eques gemmis ditatur, & aurô,
Quæ dat ſervatæ grata, memórque, manus.
Hunc, Mala Heſperidum, ac Medicæi poma vireti (4),
Piſcatum aurilegis retibus, (5) Aula canit.

TESTI-

TESTIMONIA, ac NOTÆ.

(1) Auriga. *Hoc nomine celebratur Achillis ille curruum rector; factus poſt hæc armiger Neoptolemi, filii Achillis. Virgilius l. 2. Æneid. de Neoptolemo.*

Unà ingens Periphas, &, equorum agitator
Achillis, Armiger Automedon. —

(2) *Græcorum verſus, ac proverbium eſt, in anthologia.*

Πολλοί τοι ναρθηκοφόροι, παῦροι δέ τε Βάκχοι.

quod ab aliis & ſic, eodem tamen omnino ſenſu, effertur.

Πολλοί τοι ναρθηκοφόροι, παῦροι Διόνυσοι.

Ab noſtris redditur, ut eſt expreſſum in verſu. (Dionyſius enim, Διόνυσος, *Bacchus eſt:* διονύσιος, *Bacchicus, aut Bacchéus): quo adagio ſignificatur; Plures Virtutis, aut rei præclarè geſtæ gerendæve, nomen, titulum, conatum, inſignia, profeſſionem, famámve, nonnunquam* præ ſe ferre: *reapſe verò, paucos* exercere. (3) *Jam alibi, nominatim verò noviſſimè in Antiquitatibus Angelicis, adnotavi, Græcis æquè Latiniſq;, & Virgilio pariter, Homeróque,* πέπλυς, *&* πέπλα, fœminarum, auctoritatis conſpicuæ,

Maria, Galliæ Regina.

Digitized by Google

ſed adversô, proptereáque tardior, actuaria, ſubvectatur: factum eſt, ut ii, qui Reginam, etiamnum in curru ſedentem, traxerant equi, verni caloris petulantiâ furias conciperent; intérque ſeſe calcibus, alternísque morſibus, deprœliari geſtirent. Tantus autem pugnantium fuit ardor; ut, quantumvis omnibus omnia, dirimendæ contentionis cauſsâ, tentantibus; ſedari tamen ſiſtíque pugnax laſcivia neſciret. Spretîs igitur aurigarum hortamentis, & ſcuticarum ictibus; in furore perſeveratum eſt; donec equorum obſtinata ſurdáque rabies, obſequium omne, cum parte jugi, rupit: prioribúſque jugalibus poſteriores jugales, ungularum infeſtis ictibus, à tergo repellere laborantibus; ſuæ fidei commiſſum onus jumenta, ſupremum in diſcrimen adduxerunt. Cùm enim, ipſas propemodum ſupra ripas, (tunc aquîs obtectas,) defixa quadriga ſtaret, locô, quo clementius adhuc vadum ſpatiabatur: pars ejus poſterior, in quo *Regina* deſidebat, *Séquanam* amnem retrorſum, ac prorſus ipſum ejus alveum, urgebat. Anterior verò currus, & temo, terram ac ſicciora camporum, ſpectabant: ſic ſcilicet, tanquam ex compoſito retrorſùm quadrigâ verſâ;

Maria, Galliæ Regina.

ſâ; quò tantò minus formidinis ex aſpectu tumentis fluminis regina conciperet.

III. His igitur in hunc, quem dixi, modum conſtitutîs; jumentorum indomabilis impetus, & rectorum ſuorum imperiîs, & Dominæ periclitantis clamoribus, (in quos, animadverſô diſcrimine, proruperat,) inſupèr habitîs: retrorſum in profluentis alveum, uno ſecum raptu, currum, ſeſſores, ac reginam, in præceps, per abrupta ripæ trahit.

Ejulatus igitur confeſtim, ac tumultus ingens; hinc quidem, ruentis in profunda Reginæ, regiíque gynæcéi (quod caſum, tam dirum, è propinquo ſpectârat, & exhorruerat); illinc autem, ſatellitum, ac nobilitatis, in equis circumfuſæ. Nec minor *regis Henrici*, tam conſternatio, quàm clamor & ſollicitudo, ſe prodebant; ut, ad quem, aliquantò tunc remotiorem, muliebris ploratus, ac tanti periculi nuntiæ voces, illico pervenerant. Omnes ergò rúere: jumentíſq; ſuîs, ut quiſque promptior, defluere. pro ſe ſinguli, lamentis alii, votîsque nuncupatîs, pars manuum pedúmq; conatibus incertis, in *reginæ* ſuæ ſuppetias feſtinare. Rex ipſe, quò thori conſortem, & regiæ ſucceſſionis unicam tunc propagatricem, ſerva-

ſervaret, advolare: pro dilectæ ſibi ſalute, voce, manibus, & omni contentione, niti.

IV. Verùm, jam dudum omnibus anteverterat, in ope ferendâ cæterîs animoſior, expeditiórque, CASTENERIUS quidam, eques auratus: digniſſimus utique, cujus, utì *cognomen*, ità *nomen* etiam, ac familiam, aris Memoriæ ſempiternis Gallia conſecret univerſa. Nam is, ſub primum ſtatim ruentis currûs, ac reginæ vociferantis, articulum temporis excítus; aſturcóne ſuo deſiliens; ſicut erat, & ocreîs latè laxîs inſtructus, &, ſuprà cæterum apparatum equeſtrem, etiam calcaribus impeditus: ſuímet tamen diſcriminis contemptor, & alieni depulſor; ad eripiendam exitio *Reginam*, in *Séquanam* ſeſe jacit: &, induſtrius urinator, circumventam jam undique neceſſitate lethi regni-dominam, ſub undis quærit. Reperit demum, ſub everſa quadriga luctantem; &, influentis ab omni parte, mortis præguſtu conflictatam. Eam, invitîs licèt, diúque repugnantibus, amnis vorticibus, extrahit: *flumineámque*, (ſed, cuj parem alius antehac nullus ullo reti circumcluſerat,) *prædam*, diademate fulgentem, & ingentis regni pretiô ſtantem, educit. Et eam qui-

Maria, Galliæ Regina.

Digitized by Google

quidem (quod admirêre) per omnia ſalvam incoluméмque ſiſtit: ac celeriùs tamen, quàm cujuſquam oratio deſcripſiſſet.

V. Quis jam autem illam *Caſtenerii*, quâ ripam iſte repetivit, pro dignitate *gloriam* depingat? Cum venia dixerim miraculorum Antiquitatis! Magnificentiùs *eques* iſte ripas & ſiccum, tali cum impedimento, tenuit; quàm Cæſar olim, Dictator, littus Pharium, ad Alexandriam: quando, cum libellis in manu læva, cum paludamento, dentibus apprehensô, ſolâ verò dextrâ quodammodo ſubremigans, enatavit. *Regina* tantiſper, tàm lacrymis, è periculo, quàm *Sequanæ* fluentîs, madenti, jam dudum gratulabantur, effuſîs in lætitiam animîs: *Rex* primùm, maritus; deinde comitatus regius univerſus. Indè Lutetiæ populus innumerabilis; ac regia poſtremò ſedes, in occurſum ruens, ſibi conclamatæ paullò priùs, tunc autem ex inſperato repentéque reſtitutæ, vitæ regnatricis ſuæ.

Dulcior tamen Auguſtæ matri, cæterîs (ni fallor) omnibus, gratulatio tum accidit, è *Ludovico Delphino*, filio. quem tunc, quinquennium ætatis paullatim egreſſurum, & maternis inhærentem amplexibus, haud inferiore credi-

Digitized by Google

crediderim admirationis ac lætitiæ perfuſum fuiſſe ſenſu; quàm, quantum Babylone quondam, redditâ ſibi genitrice, caſtiſſimæ *Suſannæ* liberi, depulsô periculô grandinis-lapidum, hauſerunt. (†)

VI. Cæterùm, *Caſtenerio* ſervatori, (ne, cum aquis ſimùl, meriti fluvialis aut gratia difflueret, aut memoria,) Reginæ liberatæ civilis liberalitas proſpectum abunde voluit, & conſultum.

Nam *ſoſtrum* (3) ei rependit, aurô ſolidô, mirificâque celatoris arte, laboratum; ac pretioſiſſimîs quibusq; gemmîs interſtinctum. Cuj propterea, ſic donato, non defuêre plauſus æqualium; eorúmque potiſſimùm, quibus *Invidia, clarorum facinorum tinea*, nihil in laudes illius iniquum dictârat. Succinebant autem (opinor) illi jocô gratiosô; *Feliciter Caſtenerio Medicæos, ex hortis Heſperidum, fructus fulvos, & pretioſam è Séquana capturam, obtigiſſe. Nobilem equitem, nobiliorem eſſe piſcatorem factum.*

TESTIMONIA, & NOTÆ.

(1) *Ex æde Divi Germani repetiſſe reges aulam, auctor eſt Continuator Slejdani, parte 3. libro*

Maria, Galliæ Regina.

libro 12. (2) *Hoc ipſum navigii genus auctor idem ſignatè exprimit. Tradit porrò Galliarum reginæ periculum iſtud, in eo, quem aſſignavi paullò antè, libro operéque Slejdanianæ Continuationis, idiomate Germanico: præfatus, Ex Auguſto Thuano, Boterejo, Benthero, plurimiſque manu-ſcriptis, Acta ſe, cum ſtudio veri, collegiſſe. Sed ſcriptor eorundem ipſorum temporum Gallicanus, & is quidem Pariſiis tunc in Curia regia Cauſſidicus, ſentire dicereque videtur; In ipſo flumine Sequana, & in Oneraria navi, cùm ea jamjam appulſui, ripæq; ulteriori, propinquaret, equorum rixam illam, & reginæ, cum quadriga, everſionem ac præcipitium, eveniſſe. In cæteris omnia, quemadmodum retuli, concordant. Equidem, de minutiis, rem circumſtantibus, haud quaquam ſollicitus anxiúſve; diſcriminis regii punctum princeps, &, (ut ajunt)* rei jugulum, *afferre, ſatis impræſentiarum habui.* (†) *Daniel. cap. 13. v. 30. & v. 63.* (3) *Quæ merces ſoſpitatori-valetudinis, medico, datur; σῶϛρον, à σώζεσθαι* ſanari, ſoſpitari, percurari, *dicitur. quæ proinde vox eadem, quî minùs conveniat* pretio, *quod à* ſervato *rependitur* ſervatori vitæ?

METRUM.

Septennii I. Annus 1606.

METRUM.

Reginæ Galliarum, in curru naufragium.

Regia Sequanicum repetebant eſſeda pontem,
Functa ſuburbani relligione tholi,
Hâc Rex, hâc alibi conjux Medicæa quadrigâ,
Urgebant ſuetum trans juga pontis iter.
Obſtitit, inſanô ſubitò furioſior æſtu,
Sêque ipſo accitîs Sequana major, aquîs.
Spes ſiccæ nuſquam ulla viæ eſt. Stagnantia, reſtat,
Trajicere ingenti flumina navigiô.
Dum remi aptantur; dum tardô oneraria lapſu,
Dum Palinurus, eat: ſtatur; & alta mora eſt.
Ecce autem, ſaturô ſonipes laſcivus omaſô
Regius, ac vernæ Cypridis igne ferox,
(Ver, ac Majus, erant) rivales calcibus armos
Impetit, ac ſocii provocat arma jugi.
Hoſtis, in ultrices aſſurgens arduus iras,
Calcem calce aſper, varáque crura, terit.
Alternant fremitum: accendunt hinnitibus auras:
Cornipedésque alios in paria arma trahunt.
Pacatorum etiam, poſt terga, caleſcit equorum
(Quos equa jam ſtimulat nulla, ſed ira,) jecur.
Acris, & in ripæ gliſcebat margine, pugna:
Quàm propè, Lethææ, tunc aberatis, aquæ?
Nec verbis quidquam Autómedon (1), *neque verbere flagrum,*
Gallica nec centum proficit aula minis.
Ipſa adeò rixoſæ hoſpes Regina quadrigæ,
Increpitante licèt, nil tamen ore movet,

Scili-

Maria, Galliæ Regina.

Scilicet, IN furiis, brutiſque, quid attinet; Irus,
An Xerxes? Juno, an Jupiter, arma vetet?
Omnia cùm facies, referes nihil. Irrita vox eſt
Reginæ: indomitis ira valeſcit equis.
Jámque jugum, ripæ adverſum, jámque eſſeda, ſævi
In vada, retrò actis dant Medicæa rotis.
Præcipitî auriga, & quadriga, & regia conjux,
Margine, quà rapiunt Sequana fórsque, ruunt.
Fit clamor: concurſu ardet, ſtudiôque juvandi,
Omne ſatellitium: regius ardet eques.
Quot Reginam, undis preſſam, jam jámque ſepultam,
Circumſtant mortes; tot pia vota volant.
Sed, quid velle juvat, lethi jam in limine? *VERAM*
Ille operam præſtat, qui citò portat opem.
Et ſunt, qui apportent; nec aperta pericula vitent:
Flos equitum, in rapidas corpora jactat aquas.
Sed SUNT thyrſigeri multi, Dionyſius unus (2):
Laus Caſtenerl *hic* clarior, *ut* prior, *eſt.*
Ille, moræ impatiens, mortiſque irriſor, in undas
Fortia magnanimô robore membra jacit.
Indè, manu prenſam, vix jam, vixque, ægra trahentem
Brachia, reginam vincere cogit aquas:
Explicitámque undis, Neptunivagóque covino,
Incolumem reddit Regibus, atque ſibi.
Parvulus exultat, notô Lodovicus ab ore
Pendulus, ac matris roſcida pepla (3) ſtupens.
At ſervator eques gemmis ditatur, & aurô,
Quæ dat ſervatæ grata, memórque, manus.
Hunc, Mala Heſperidum, ac Medicæi poma vireti (4),
Piſcatum aurilegis retibus, (5) Aula canit.

TESTI-

TESTIMONIA, ac NOTÆ.

(1) Auriga. *Hoc nomine celebratur Achillis ille curruum rector; factus poſt hæc armiger Neoptolemi, filii Achillis. Virgilius l. 2. Æneid. de Neoptolemo.*

Unà ingens Periphas, & , equorum agitator
Achillis, Armiger Automedon. —

(2) *Græcorum verſus, ac proverbium eſt, in anthologia.*

Πολλοί τοι ναρθηκοφόροι, παῦροι δέ τε Βάκχοι.

quod ab aliis & ſic, eodem tamen omnino ſenſu, effertur.

Πολλοί τοι ναρθηκοφόροι, παῦροι Διόνυσοι.

Ab noſtris redditur, ut eſt expreſſum in verſu. (Dionyſius enim, Διόνυσος, *Bacchus eſt :* διονύσιος, *Bacchicus, aut Bacchéus) : quo adagio ſignificatur ; Plures Virtutis, aut rei præclarè geſtæ gerendæve, nomen, titulum, conatum, inſignia, profeſſionem, famámve, nonnunquam* præ ſe ferre : *reapſe verò, paucos* exercere. (3) *Jam alibi, nominatim verò noviſſimè in Antiquitatibus Angelicis, adnotavi, Græcis æquè Latiniſq;, & Virgilio pariter, Homeróque,* πέπλυς, & πέπλα, fœminarum, auctoritatis conſpicuæ,

Bb *non*

Maria, Galliæ Regina.

non capitis tantùm eſſe velamina, ſed corporis quoque totius, è ſubtiliſſimo ſtamine, operimenta; cæteris earum veſtibus ſuperinjecta. Maro, Æneid. 1.

Interea ad templum non æquæ Palladis ibant
Crinibus Iliades paſsis; peplúmq; ferebant,
Suppliciter triſtes — *peplum, uſque ad talos, ab humeris defluens; & inſuper, à tergo quoque tractum. unde* τρωάδες *etiam* ἑλκεσίπεπλοι, *frequentes Homero ſunt, Iliade totâ.* (4) *Ad Medicææ gentis, in Hetruria, Coſmorúmq; ſtirpis,* Inſignia *alluditur: quorum ſymbola ſunt, MALA ſex Aurea.* Maria *porrò,* Gallorum Regina, *Henrici 4. uxor, Ludovici XIII. mater, gentis illius, latéque per Tuſciam regnatricis familia, ſanguis erat.* (5) Piſcatus auri, *non tantùm in Hermo, Pactolo, Tagóque, fluvius eſt; ſed in Græcorum etiam epigrammatibus.*

APOCOMMA II.

Sequanæ fluminis proſopopæja.

I. SOla DEI præſcientia compertum habet, ab æternis retrô ſæculis; Quídnam, poſitîs eventuum ſingulorum appendicibus ſingulîs,

Digitized by Google

gulîs, porrò futurum fuerit? quam *Scientiam*, certîs quibuſdam in arcanis, docti MEDIAM appellabant. Hujus igitur pace, bonâq; veniâ, liceat interrogare nobis; Ecquid, non modò per omnes Galliarum provincias atque civitates, ſed planè per terrarum orbem univerſum manſuetiorem, ſermonum, & invidioſi clamoris, proruptúrum fuerit, in SEQUANÆ fluminis exſecrationem: ſi ſub ejus gurgitibus Gallicanæ potentiæ regalis conjux, & mater, *Maria Medicæa*, periiſſet.

Conjecturam ſuggerunt facilem, priorum aliquot in fretis, & ſub marium promontoriis, vel in amnibus ſubmerſorum, aut aliter extinctorum, Illuſtrium utriuſq; ſexûs, mortes; hærentiáque, longum in ævum, aquis agnomina: quibus *Interitûs* illorum *Voragines* hodiéque traducuntur. Hujuſmodi ſunt, æquoris Ægæi pars; *Icarium* putà pelagus, ex Icari, nobilis pueri, pernicie. Fretum *Hellespontiacum*, ex Hellês virginis; *Tiberis* amnis (Albulæ quondam) è Tiberini, regis Albanorum; *Málea*, promontorii Laconici (quod *Aureum* latrones, & piratæ, nominabant) fluctus & vertices; ex innumero naufragorum ac ſpoliatorum exitio famoſi.

Maria, Galliæ Regina.

Quódnam ergò clementius infamiæ ſempiternæ ſtigma, ſuis inurendum aquis, SEQUANA, Franciæ Gallicanæ fluvius, è caſu, tam lacrymosô juxtà famosóque, *tanta* pereuntis (ſi perîſſet) *heroidis*, debuerat exſpectare? Cujus idcirco criminis, & occaſionis ejus, ab ſe diligenter, & omnî ſtudio, vitatæ, *cauſſam* Amnis Gallicus, etiam à nemine ſibi *dictâ die*, ſubjectô Metrô *dicit*; profeſſus, Se, ſi Reginam fluctibus ſuis ſuffocâſſet merſam, ſcelus admiſſurum fuiſſe, lymphîs luſtricis univerſis inexpiabile.

METRUM.

Reginam, immiti præreptam ſortiter undæ,
Cur reddam ſiccæ Sequana *mitis humo,*
Siquis fortè roget, tantô à diſcrimine? diſcat.
Conſului Dominæ: nec minùs ipſe mihi.
Integritas, & FAMA, bonum eſt, reparabile nulli;
Quæ duo, ſi perdant flumina, vile fluent.
Icarium, nôſtis, pelagus, quâ à morte notetur?
Hellespontiacum quæ nigret urna fretum?
Quid Máleam infamet? Cur nunc ſit Thybridis unda,
Albula quæ fuerat? Nomina, Parca novat.
Vertêre his titulos merſi, Tiberinus, & Helle, &
Icarus, & quorum naufraga fata natant.
Sequana quid levius poteram, quàm antiqua, timere,
Æquora; ſi noſtrum mors *foret iſta ſcelus?*

Sequa-

Sequana *qui nunc ſum, quid ſi* Medicæa *vocarer?*
Grande quidem id; vitreis ſed grave, Nomen, aquis!
Denique, Submerſæ *ſaltem (ſi parva videntur*
Cætera, Reginæ, *quæ ferat unda probrum?*
Non fremerent Tuſcus? Gallus? regna omnia? Ferre
Si poteram titulum, *non poteram* Invidiam.

APOCOMMA III.

Demetrius, Moſcoviæ Dux.

I. TZerrovitius DEMETRIUS, Joanne Baſilide, Moſcorum, & Albæ Ruſſiæ, magno Duce, genitus; matrem habuit, ejuſdem gentis, ac proſapiæ nobilis: & *uxorum* Baſilidæ *ſeptem*, quas ille ſibi per ordinem & ſucceſſionem conjunxerat, *poſtremam*. Hic, cum matre, poſt parentis ſui, fratriſq; Theodori, deceſſum, in abdito quopiam ac remoto Moſcoviæ loco, per primam ætatem omnem, etiam ultra puberes annos jam aditos, delituit; iniquitate fortunæ, plebejum in morem non educatus modò, ſed & ignoratus; ac tamdiu conditione vitæ variâ circumactus; donec in Polonia *Sigiſmundi tertii* gratiæ, per neſcio quos miſerorum amicos, inſinuatus; Moſcovici principatûs hæredem ſeſe legitimum adprobavit. Et Regis igitur, & Sarmatiæ nobili-

Demetrius Moſcus.

bilitatis ſtudiis, quà clam, quà palàm, provectus DEMETRIUS; cùm armatorum copias haud aſpernandæ multitudinis ſibi comparâſſet, *Boriſio* Godunovio, cognomentô *Fedrovvizio*, Moſcovici principatûs invaſori, bellum movit: póſtque Martis ancipitem aliquouſque, variámque, fortunam, pugnæ tandem ſecundioris eventu, ſuperôque ſubſidiô, ſuperior; Imperium Moſcoviæ, Moſcorum in urbe principe Regiâque, ſub *Czaris*, id eſt, *Imperatoris*, appellatione ſuſcepit, ad XII. Calendas Julias, anni, poſt Chriſtum natum, milleſimi ſexcenteſimi quinti: cùm haud antè multò *Boriſius*, eâ, qua ſuperiùs memoratum eſt, morte terrîs exceſſiſſet.

II. *Demetrius*, ſub hæc, *Annam Mariam Minſeciam*, Georgii Minſecii, Palatini Sendomirienſis, in Poloniæ regno, filiam, ſibi nuptiîs copulavit, anni præſentis Majo menſe: cùm jam anni ſuperioris Novembrî, per legatum ſuum abſens eam ſibi deſpondiſſet. Ea, patre, fratribus, ac magnâ Polonicæ nobilitatis manu, comitata ſtipatáque; poſtridie Calendas Majas, hoc ipſo, quem exſequimur, annô, *Moſcuam* urbem, imperii (ſicut paullò ſuprà dixi) ſedem, & arcem, intravit; inter

ter omnium generum ordinúmque feſtiva lætitiæ plauſuúmque ſigna. quibus impoſita ſuprema manus eſt; ad octavum idus Maji nuptiis ingenti pompâ celebratis.

III. Verùm, ut humana ſunt, & eorum inprimis, qui ſibi feliciſſimi videntur; gaudiorum curſus medius, objecto multiplici luctu, ſtatim eſt ſucciſus: in *Demetrii Ducis* interitum coëuntibus interea, tam Moſcis, quàm Ruthénis. Oderant enim eum gens utraque; quòd ipſum *novandorum* in terris illis *Sacrorum*, & abolendi *Græcanici ſchiſmatis*, conſilia volvere, nequaquam temerè ſuſpectabant: quantùmvis rebellandi cauſſas & alias quaſdam (incertum, utrum veras, ac probabiles?) jactarent.

IV. Nonô proin', à nuptiis, die, qui Calendarum Junii decimus ſextus, & tunc *Sabbati*, ſeu Saturni fuit; diu cogitata conſultatáque clanculum, in apertum conjurati prorumpunt, hunc in modum.

Convenerat inter eos, ut *Septimæ matutinæ* ſonitus, è turri Moſcuæ primariâ, ſignum eſſet concursûs, ac decreti ſibi facinoris patrandi. Coitur igitur à Moſcorum *millibus quindecim* armatîs; & ab alia, præter hos, in-

cóndita multitudine: quibus ira, vel caſus, in manum dederat obvia quæque cædis inſtrumenta. Faciunt impetum in ædes regias; veterem Demetrii progenitorum ſedem. Et, quoniam ſtatas ad palatium excubias, & ipſam adeò cohortem prætorianam pleramque, jam antè ſuas in partes conjurati pertraxerant: haud ægrè multitudo ferox irrumpit in veſtibulum, ac mox in imma mediáque regiæ. Sub hæc verò, metu dilapſis iîs, ſiqui fidiores munitiora palatii ſervârant, aut pro thalamo-Ducis excubias egerant; ad ſuperiora quoq; rebelles celeriter evadunt: ac penetralia moliuntur.

V. Solus in fide, ſemel *Demetrio Duci* datâ, Petrus PAZMANNUS perſiſtit, copiarum Imperatoris ſui ſupremus ductor: quod idem & ſub *Fedrovvizio* priùs fuerat. Is, cubantes adhuc in thalamo, *Ducem*, uxorémque ducis, tutaturus; ſeditioſos, furiîs incenſos, & irruptionem jamjam facturos, vi ſummâ rejicere nititur: & pugnando diſtinet. ſed, poſt fortiſſimum certamen, denique cadit; invictæ fidei, conſtantiæque, memorandum in paucis exemplar! Eô ſtratô, ſummâ rebelles ope, cubiculi foribus inſultant; & ingreſſum urgent.

VI. Ad-

Digitized by Google

VI. Adversùm hos, *Demetrius Dux*, intus cum conjuge concluſus, multò, quàm antè, firmiùs arctiúsq; fores obſerat: imminentémque ſibi vim, quantum ingeniô roboréque valet, excludit, & arcet. Nimirum eum, *ſomnô* paulò priùs etiamnum ſtratum (*id quod Principi, ſeptimâ demum matutinâ vigili, tam altâ jam luce, parùm ad gloriam addit,*) toto palatio perſtrepens tumultuantium furor excitârat. Diſſilierant *ambo* thorô, pavitantes. Ac *Ducis* quidem uxor, latibula quærebat; muliebrî trepidatione totam occupante mentis aciem, & obtundente. *Dux* autem acinacem ſuum, quem ad lectuli latus, veſperâ pridianâ ſuſpenderat, correpturus erat. *Latebras* (ſed breves, & malefidas,) *mulier* invénit: *Ferrum* Demetrius, non invénit; famuli, (ſicut dein compertum eſt), pretiô corrupti, perfidiâ ſubductum.

VII. Inter quæ, diffractô, cum ſeris ac repagulis, aditûs obice, rebelles irrumpunt. *Demetrius* inſtantes, quantum in re trepida relictæ ſibi vires, & inermes lacerti, ſinebant, haud ſinè vulneribus (quod neceſſe fuit) multîs & luculentîs, reprimere conatus: ubi tamen fruſtra ſeſe videt unum tantæ multitudi-

ni repugnare; ne vivus in eorum manus veniat, ope ſummâ cavet. In diverſum illi, ne confeſtim inter manus eorum occumbat, unicè laborant: noviſſimîs ſcilicet tormentorum exemplis eum viventem, ſentientémque, laceraturi. Verùm idipſum providè *Dux* metuens, & cavens; fugam tandem per obſtantes capit: &, in aliud ex alio conclavi curſitans, Moſcos inſequentes eludit. Ad *vaporarium* demum, quod *lavacri* cauſsâ ſupremîs erat in palatii tectis, fugâ penetrat. Sed & ibi confeſtim rebus arctîs deprehensîs; &, hinc quidem patentibus in edito loco feneſtrîs, illinc autem ſolio balnei, calidis undis refertô, conſpectîs, ſubſtitit aliquantulùm. Ac, priuſquam conjurati ſupervenirent, deliberare ſecum viſus eſt; *De valvíſne ſeipſum in auras, ad Icari Dedalive morem; an in fervens potiùs balnei labrum, jactaret, ut crudelitatem hoſtium evaderet?* Elegit denique *jactum* per patentes feneſtras, in ſubjectum atrium: & ex altiſſimo loco ſe dejecit in aream, ſaxîs inſtratam. Illic, illisô crudeliter, ac fœdè diſpersô, cerebrô: cùm adhuc tamen ſemínecem traheret utcunque ſpiritum; à ſupervenientibus barbaris, inſatiabili crudelitate, contrucidatur.

VIII.

Septennii I. Annus 1606.

Digitized by Google

VIII. Exanime porrò *Demetrii* corpus, tractum à furente multitudine, per urbis *Moſcuæ* celebriores, & lutô profundas, vias; in forum denique, per contumeliam raptatur. Ibi, ſuper menſam, nullo penitùs contectum amictu, palàm, ac ſupinum, extenditur: &, cum obſcœnitatis infandæ ludibriis innumerîs, ſub dio relinquitur. Poſt diem autem, à cæde *quartum*, infoditur; ídq; tumulo temerè congeſto. luce poſtmodum *nonâ* refoditur; ac, flammîs abſumptum, cadaver in Moſcuam præterfluentem, ventóſque, cinerem avehentes, diſpergitur: *præſtigiarum*, quas in vivis exercuiſſe *Demetrium* arguebant, crimine confictô. Superi boni! quàm inſueta fuit hæc, tanti Principis, quàm inaudita, *ruina?* de culmine regiæ Sedis, in ſaxa, lethum, cœnum: ex his, in ignes, undas, auras! (1)

TESTIMONIA.

(1) *De Demetrio Moſco ſcripſerunt, ſed diſpariter: Joan. Cluverus, in Epitomâ, annîs 1596. & 1606. Henricus Spondanus, in annum 1606. num. 8. in Proluſione. Marcus Boxhorn-Zvverius, in Moſcovia: & apud eum, Daniel Prin-*

Demetrius Moſcus.

Prinzius, Buchavius. Gerhardus Grevenbruggius, in Moſcovitica Tragœdia, ſtylô ſolutô, hiſtoricéque conſcriptâ. è cujus fide cæteri ſua ferè transſumpſerunt; ego verò delibavi: aliîs, aliunde, quæ ad rem facerent, petitîs, ac ſuam in ſeriem digeſtîs.

METRUM.

Jam nova, Sarmaticis equitum ſtipata catervis,
Obtigerat Ruſſo nupta Polona DUCI.
Paſſim ignes, & Hymen, feſtôque Thalaſſio plauſu:
Paſſim epulæ, ac vernô Chloris aperta ſinu.
DemetrI thalamum modò NONA *reviſerat Eos:*
Cùm manè hujc mediô veſpera ſumma venit.
Moſca omnis gens arma rapit. Clamatur; In aulam!
In thalamum! in cædem, conſcia turba, rue!
(Saturni hæc funeſta dies, funeſtius omen,
Sanguineíque Senis lugubre ſidus erat).
Nulla mora eſt: coëunt: turris citat ære canorô
Barbara, clamosîs millia denſa minîs.
Arcem omnes, fremitúque acres, telisque coruſci,
Et, nuda excubiîs, atria prima, petunt.
Irruitur: ſocias addente ſatellite vires,
Diſſilit, in geminum porta refracta latus.
Jámque, Palatinos miles defendere ſomnos
Suetus, abit. rumpit, ſors variata, fidem.
Principis ergò unum, ſolúmque, furente tumultu
Incuſtoditum turba cubile premit.

Diſſi-

Septennii I. Annus 1606.

Diſtinet inſtantem virtus Pazmannia cladem,
Dum fidô dominos protegit enſe thoros.
Sed numerô mens victa bona eſt pejore: jacétque
Victima non-fictæ Petrus amicitiæ.
Ilicet in thalamum via fit. mora ſepſerat area:
Ah, NULLA æternâ ſtat ſera firma fide!
Calcibus hoſtis agit, Scythicisque ſecuribus inſtat:
Feſſa malis, victô janua poſte crepat.
Irrumpunt, jugulósque, avidi, ſomnósque jugales,
Solvere. Reginam cæca latebra tegit.
At non imbelli Demetrius abditus antrô,
Semiaperta thorô membra, gradúmque, rapit:
Ferrum, ferrum, enſem! *jam dudum in prœlia poſcit:*
Ferrum, enſis, famuli proditione, latent:
Hoſtis habet ferrum, quod fraude ſatellitis émit:
Hoſtica frontem urget dextra, latúsque, Ducis.
Jámque nihil, niſi terga fugæ, niſi vincula reſtant.
TURPE, capi Reges. Quædam & Honeſta fuga eſt.
Ergò fugit. *Nuſquam ille tamen conſiſtere tutus,*
E thalamo in thalamos, per loca mille, volat.
Quà volat hic, inimicus atrox ſimùl advolat. Eſtque
Jam ſupèr una ſalus: Icarus, *aut* Phaëthon.
Aërio, en, ſtabant ſuſpenſæ fornice Bajæ,
Jugis ab accito quas fovet igne vapor.
Venit ad has thermas. Hìc ſtagnum, hìc plurima flamma;
Ignibus ut* Phaëthon, Icarus *eſſet aquis.
Sed, dum utrumque fugit, fatum miſer intrat utrumque:
E thermis, altum ſe per inane jacit;
Illiſúsque ſolo, cerebrum diſpergit, & amnem
Sanguinis: ac, multô ſaucius enſe, perit.

Quod

Demetrius Moſcus.

Quod reliquum tumulo fecerunt enſis, & Ira;
Fit buſtum. Cinerem fluctus, & aura, vehunt.
SIC periit, non vile Caput: MAGNUMq; probârunt,
Si non Acta, tamen magna Ruina, DUCEM;
Quando, necem ingentem partita elementa, tulerunt,
Partem Aqua, Flamma, ſuam; Terraq;, & Aura, ſuam.

APOCOMMA IV.

Moſcis ſubinde dominari, periculoſum.

I. QUàm lubrica fragiliſque *Moſcis*-dominandi conditio? quàm *conſtricti Servitii genus* eſt, Ruthénum *Imperium*? LUPUM AURIBUS tenére dixeris, eos omnes, qui Scythiarum ad clavum, tanquam naucleri, ſedent: quem ſicubi tractes inclementer; in Tyrannidem neceſſe fuerit, íncidas: ſin leniter; noviſſimam in dementiam, ac nempe, certum ac meditatum in exitium. Demonſtrârunt id, tum priſca, tum noſtræ pæne memoriæ, gubernaculorum *Europaa Scythia* fata.

II. *Baſilius* enim is, cuj GABRIELI primò nomen fuit, ſuperiores Moſcoviæ Principes, tametſi pleroſque fortaſſe ſævos, eo-uſque palmâ crudelitatis anteceſſit; ut, illius Impe-

Imperii temporibus, etiam nudum duntaxat BASILII *Moſci* nomen auditum, EFFERATÆ SÆVITIÆ quandam imaginem animis oculíſque repræſentaret. Quæ verba, non mea, ſed Gerardi Grevenburgii, ſunt; in *Tragœdia*, quam inſcripſit, *Moſcoviticá*, ſtylo ſoluto concinnatâ. Nec tamen hic, quem dixi, *Baſilius*, aliter, quàm ſuo, naturæve, fatô vivis exceſſit: nullo populorum infeſtatus tumultu.

III. Secutus *Baſilium*, JOANNES filius, & ob id *Ivan-VVaſilivvizius*, ſeu *Joannes*-BASILIDES, appellatus. qui, ſicut Imperii paterni, ſic pariter & immanitatis, ſucceſſionem adiit; aditámque, multîs partibus atrociorem effecit. Et hunc quidem, poſt obitum, *ab geniis inferis*, etiam *corpore tenus*, abreptum; conſtans plurimorum aſſertio *Gaguino*, cæteríſque, perſuaſit. Id utut eſt; eum tamen ſeditionibus inoffenſam, & carentem, ætatem agere, ſuæ gentis tranquillitas permiſit: quantúmque fuit in populi manibus, & arbitriô, pacificè *Baſilides* exſpiravit.

IV. *Baſilidæ* proximus THEODORUS, inter filios duos ſuperſtites natu major: per uxorem magìs, pérque fratrem uxoris, quàm ſceptrô

Demetrius Moſcus.

ſceptrô ſuômet, imperitavit. Is, multâ licèt multorum indignatione circùm eum frementе, propter hebetem dominationis ignaviam; tacitè tamen potiùs, quàm palàm, infenſos ſibi populares habuit: & idcirco, nullîs unquam in arma prorumpentibus turbarum motibus, ut imperium, ità ſpiritum, transmiſit incruentum: illud quidem, *Boriſio* ſucceſſori; ſed iſtum, *Numini*, vitæ totius, & rationum ejus, exactori.

V. BORISIUS porrò (quem & *Borin* complures nominant) cognomentô FEDROWIZIUS, gente Tartarorum oriundus; Moſcorum in imperium artibus opibúsq; non aliîs ferè, per ſororem ſuam *Ariadnam*, intravit: quàm, quibus, & qualibus, per impiam Tulliam Superbus ille Tarquinius, Romanum in ſolium irrepſit. Deinde, regni ſui principia lenitate quidem temperavit; ſed tantummodo, *ſimulatâ*: proptereáque, *nec ſatìs opertô, nec diu durante, figmentô.* Poſt hæc enim, potentiam ſuam, ſicut annîs, ità viribus, adultiorem, apertam in tyrannidem, & prorſus intolerabilem, convertit. Neque tamen *hic*, & *talis* Princeps, & præter hæc, *externi ſanguinis* homo, *tyrannicidam* invénit: ſed,

ſed, *ſuum* duntaxat *diem*. Quocirca, tametſi plurimâ ſanguinis, quem densîs cædibus hauſerat, refuſione maderet (vomitu quippe cruoris extinctus): à ferro tamen, ac manu, clientium ſuorum intactus, etiam in illa manifeſtiſſima (quâ vindex illum Deus ipſe videbatur exauctorare) pœnâ, conſpirantium factionum habuit quietem.

VI. Solus, *mitior omnibus, antecedentibus* ipſum, Moſcorum Imperatoribus, ſi *plebejas ſpectes ſubjectorum-ei fortunas, & capita*; ſolus, in Prócerum quoque pleroſque civilior humaniórque, Dux DEMETRIUS; è *populo* neminem afflixit. *Magnatum* autem, non niſi ſeditioſiores, exagitavit; & fortaſſe, ſecundùm fas ac leges, *NE ſerperet in vulgus, Optimatum incorrecta pravitas.*

Hic tamen, inter tot placidæ dominationis artes, quibus ſeſe per omnia *Trajanis* ſimiliorem, quàm *Neronibus*, præſtare conatus eſt; ſervile barbarorum quorundam ingenium, ipsómet illo manſuetudinis temperamentô, ſibi reddidit inimicum. Efferavit inſuper (& quidem, in noviſſimæ lanienæ furorem,) ipſa tanti Principis indoles, externarum gentium ſuavitate morum litterîsque tincta, nationis

Cc Ruſſæ

Demetrius Moſcus.

Ruſſæ Moſcæque quoſdam, cæteris incultiores, mortales; nationis, inquam, illius, quam in *Animotum Icone* Barclajus, ore liberô, nominat, *Servituti natam*: ad omne *Libertatis* veſtigium (quis, in *hominum* ſtirpe crederet, libertati natâ?) ferocem: ac *placidam*, *tum demum*, & tantummodo, *quando premitur*.

VII. Apparet igitur, Eorum non paucos uxorum ſuarum muliebrem ſtoliditatem in corpore virili circumferre: quæ (quod idem eodem in opere tradit auctor, quem dixi,) *maritorum ſuorum in ſe benevolentiam è numero verberum æſtimant: nunquam, ſuô quidem judiciô, meliùs habitæ; quàm, cùm in ſæva virorum inciderunt ingenia.*

Quapropter, hæc ſuæ gentis abjectiſſima *ſervitudo*, DEMETRIO quoque (*juveni* licèt adhuc, ſed jam *heroi*, per omnia naturæ dignitatíſque décora, celſiori) gradus, & offendiculum fuit, ad *ruinam*.

VIII. QUÆ *Regna* ſunt igitur, in gentes, tam perperam affectas, *Optima?* Dicerem; ſi (quod abſit!) Philiſtus eſſem, idolorum cultor, & *homo*, *non tyrannis magis amicus*, *quàm tyrannidi*. (1) Dicerem; niſi nefas, parúmque Chriſtianum eſſet; niſi Machia-

chiavelli ſententias oleret; niſi denique nunc aliter multò Moſcovia ſe, quàm antehac, haberet: Quænam Regna, quæ ſceptra videri poſſent, in nationes, durè tractari geſtientes, OPTIMA? Reſponderem, unâ voce; PESSIMA! Nam hîs, quos hucuſque retuli, ſeditioſorum moribus; quiſquis præeſſe nationibus auderet illis, is ſævæ neceſſitatis angiportum intrâſſet arctiſſimum: vel *perdendi* nempe, vel *pereundi*. proptereáque, *volentem* (ut ſic dicam) *nolentémq;*, vel malum oporteret eſſe, vel miſerum illum; quiſquis, præpoſterè regnari volentibus, præſideret. Utinam interim, *Moſcua* ſe tandem *Roma* ſociaret!

NOTA.

(1) *Cornelius Nepos, in Vita Dionis Syracuſani.*

METRUM.

In Moſcos *antehac*, & Ruthénos, ancipitis aleæ plenum, Imperium.

Quinque, vel bis plures, (quid enim juvat, ire per omnes?)
Patrum ævô, experta eſt barbara Moſca Duces.

Cc 2 *Trux*

Demetrius Moſcus.

Trux ſceptri, Baſilius; &, hôc truculentior, hæres,
Merſerunt Scythicum ſanguinis amne ſolum.
Mitior, at ſtolidus, nec vi Theodorus avitâ,
Imperii tenuit nomen; at uxor, opes.
Hunc Boris excepit Fedrowizius, hybrida regni,
Quémque auſis Sextum dicere Tarquinium.
Fatô omnes, Lachesîque ſuâ, nigra ſuſtulit hora:
Nulli horum injecit plebs furibunda manum.
In nullum exarſit querulô gens aſpera motu:
Nullius à jugulo publica ſica rubet.
Succeſſit, juſtô DEMETRIUS enſe verendus;
Sed certus, ſiccô reddere jura forô.
Hinc, populo indulgens, prócerum illa rebellia colla,
Invalitura, minîs fregit, & exiliîs.
Cæterà, Trajanus, pulsô in Riphæa Nerone
Saxa, parùm Moſcô more, futurus erat.
Non placuit, ſcuticæ aſſuetis, Clementia. turbant,
Invitúmque trahunt ad truculenta Ducem.
Hinc lacrymæ, hinc queſtus; hinc conjuratus in arma,
Et Prócerum, & Plebis, quà data porta, furor.
Indè, Ruina, cruor, rogus, ac Demetrias omnis
Tempeſtas; Boreæ digna procella plagîs.
Pròh, Scythici ſemper ſceptri lex dura, per omnes
Retrò abavos! ATROX, aut Solium, aut Feretrum:
Totáque Regnorum, ſed peſſima, gloria; DIRA
Omnia ni facias, Omnia dira pati.

APO-

APOCOMMA V.

Demetrius Moſcus; temporis uno propè puncto fieri coactus, & Nihil, & Cæſar.

I. EX Actii Synceri, Neapolitani vatis & equitis aurati, libellis pervulgatiſſimum eſt; Quíſnam Sæculô quintodecimo Chriſtiano Principum Italicorum, ſermonis ſollemni teſſerâ, jactârit; AUT NIHIL ſe futurum, AUT CÆSAREM. Qui tandem, utrum horum moriens ſecum ad manes abſtulerit; è Jovianis, in *Duce Valentino*, notum Elogiis eſt.

II. DEMETRII Moſci, ſicut cauſſa melior, ità modeſtia major fuit, ac circumſpectior. Jactavit nihil; neque tamen *Nihil* concupivit: quippe, qui, paternæ fraternæq; ſucceſſionis juſtiſſimis innixus titulis, ad id, quod ſuum erat, aſpiraverit: & ſcilicet, ad *Moſcoviæ* ſupremum faſtigium armîs ac caſtris inculpatîs feſtinârit. Eô porrò demum potitus; CZAREM quoque dici ſe, majorum ſuorum more, *Demetrius* ſuſtinuit. immò verò, *voluit* etiam, juſſit, ac ſanxit. Id autem

Digitized by Google

vocabulum, ſi primæ ſuæ ſignificationis origini reſtituatur, CÆSAREM nobis ſonat.

Neque verò contentus hîs ſecundioris fortunæ flabris; magnitudinis, animô ſibi deſtinatæ, votis ulteriùs etiam velificari perrexit: utpote, REGIS, ac MONARCHÆ, nomina majeſtatémque ſibi circumpoſiturus.

Nam & *Polonorum* regis, *Sigiſmundi Tertii*, litteras, recens ipſi connubium gratulantes, *ſepoſuit* (ut ne dicam, velut *apocryphas* abſtruſit) non modò non perlectas, ſed nec reſolutas, & explicitas: propterea, quòd in earum extimâ fronte, *Ruſſorum* IMPERATORIS, ac MONARCHÆ, titulos non reperiſſet.

III. Super hæc autem, ut ſeſe REGII fulgoris omni circumquaque ſuccingeret apparatu: ſibi, conjugíque MINSECIÆ, *ſceptra, coronáſque*, ſolidô factas ac ductas aurô, geſtandas ſumpſit; haud dubia REGUM inſignia.

Solium inſuper, (quod cum Græcis, etiam Moſcovia, Græci ſchiſmatis, faſtûs, ac vocis, hæres, *θρόνον* appellat) argentô probatiſſimo, gradibus argenteîs excelsîs, & ſenîs utrimque leonibus argenteîs, erigendum ſibi curavit: ſimula-

Digitized by Google

mulacro quodam, & imitamentô *Salomonicorum* leonum; qui regiæ ſedis utrimque gradus ſtipabant.

Ac *Salomon* quidem, ex *auro* (ni fallor) Ophiræo *Thronum* effecit. At *Demetrius* Moſcus, *aurô* Septentrionis, quod Ophiræo vix cedit, Solium ſuum argenteum univerſum, vel tinxit, vel incruſtavit.

IV. De *Gemmis* verò *Coronarum*, unionibúſque monilium, per ſingula dicere, ſuperſedeo: cujus utique generis opulentiæ, tametſi primô dominationis ingreſſu copiam adierit, etiam Crœſi Midæque deſideria ſatiaturam: paupertatem tamen adhuc, & ſordes, eam putavit eſſe *Demetrius*.

Cùm enim, in ærario paterno, fraternôque, margaritarum ac gemmarum *modios duodecim*, ſuper immenſam auri vim, & argenti, ſibi relictam inveniſſet: *quaſi nihil tamen haberet*, id genus regii ſplendoris inſtrumenta plura quotidie ſolerter, & undequaque, colligebat.

V. At hæc, aliâque talia, diteſcendi ſtudia novi Moſcorum Ducis, utcunq; ſanè cæteris à mortalibus æſtimentur. Mihi quidem iſtud *Demetrianæ Majeſtatis* breve curriculum,

Demetrius Moſcus.

quod *Undecim* haud ampliùs *menſium* fuit, LUDUS potiùs aliquis, quàm Actus fuiſſe ſerius, viſus eſt. Et, ſi confitendum, quod res eſt, fuerit; potentiæ mortalis inſignî ludibriô, non tam *Imperium in Moſcos* id credi debuit, quàm *Saturnalia Neronis*: in quibus, jactûs ac ſortis arbitriô, *Regni* fugacis adita jocoſa *poſſeſſio*, regnanti *Britannico*, (Claudii Cæſaris, & Meſſallinæ filiò,) vertit in perniciem. (1) In iis, à teſſerarum, ac talorum, fortuitis caſibus, illa picta, quodammodóque ſomnians, ſeu Felicitas pendebat, ſeu deterior è regno lapſus: ſive jam *damnoſi* ſubſilirent CANES, qui jactus talorum infauſtus; ſive MIDAS, qui caſus longè proſperrimus, (2) accidebat.

VI. De Moſcorum hac fugitiva *Monarchia*, quid non ſimile proferamus? Unius unicíque temporis matutini propemodum PUNCTO, *Demetrius* hic utrumque *Ludi* fatum iſtud expertus eſt. *Septimâ* nimirum *antemeridianâ*, Germanicorum horologiorum; quaſi MIDAS aliquis, Phrygum rex, aurô potentiâque circumfluebat. Extemplo deinde, mortui CANIS ritu, per omne Moſcuæ civitatis lutum cœnúmque raptatus fune, tanquam è numellis & copulâ, ſpectaculum atrox inimicæ fuit urbi.

Septennii I. Annus 1606.

Digitized by Google

urbi. Sed ad extremum, in favillas etiam flammâ buſtuariâ redactus; neque CÆSAR tunc fuit:, & *aliquid* quodammodo *Cane minus*; hoc eſt, NIHIL.

TESTIMONIA.

(1) *Cornelium Tacitum vide, lib. 13. Annal.* (2) *Suidas: & Eraſmus, Adagiô 87. centuria 9. Particulatim, de jactu MIDÆ, in ludo teſſerarum, Regníque ſortitione, Suidam, in voce MIDAS, conſule: non tamen ſine ſcholiis Æmilii Porti. De* jactu *verò* Canis (*cujus unicus erat in talo punctus*) *Propertium habes: libro 4. eleg. 9.* Me quoque *&c. de talorum improſpera ludo.*

METRUM.

AUſus, Hyperboreô ſolium Demetrius aurô
Veſtire, ac fulvô regia ſepta gradu;
Per plateas ritu trahitur, laqueôque, canino,:
Cujus, muta quidem, ſic tamen ora, gemunt;
Diſcite, mortales! Quid ſunt, niſi Ludus, & umbra,
Quid, niſi talorum ars, regna, vel Imperia?
Præcipuè, in Ruſſis: ubi me Regni alea *fecit*
Uno jactu (1), *uno manè, MIDAM, atque CANEM!*

Demetrius Maſcus.

NOTA.

(1) *Ipſe namque Demetrius (quemadmodum dictum ſuperiùs eſt), ut inſequentes ſe ſicarios effugeret, de palatio ſeſe præcipitem* jecit.

APOCOMMA VI.

VIR BONUS & JUSTUS, (LIPSIUS.)

Lucæ 23. v. 50.

I. JUSTUS LIPSIUS, in ſe tam *magnus* eſt; famâ ſuî tam *latus*; varietate rerum tam *diffuſus*; ac memoriâ denique poſterorum adeò *longus*: ut in hujus ſcriptionis *anguſtias*, niſi propoſitô noſtro retrorſum actô, nullo pacto poſſit intrare. Cùm ergo rerum ejus, ac Vitæ narratio, (fortaſſe non jucunda minùs, quàm utilis, lectoribus quibusdam futura,) multorum exſpectationi meritò deberi videatur; nec tamen hoc locô repræſentari queat; differemus eam, dum hæc (Deo dante) locum & ſpatium nanciſcatur, ex omni ſuî parte liberum; ac tamen haudquaquam inopportu-

portunum. Hîc interim, tam Annum, quàm menſem ac diem obitûs ejus, conſignâſſe, non ſinè tanti Viri præconio funebri quantulocunque, contenti ſimus. Igitur JUSTI Lipſii, bonis, ac litterarum amantibus omnibus, acerba mors, in hunc ipſum Sæculi noſtratis *ſextum*, utî ſuprà dictum eſt, *Annum* incidit. MORS, inquam; VIRI verè BONI, veréque JUSTI. Libet autem, ejus hanc *Bonitatem*, nominíque reſpondentem *Juſtitiam*, ſeorſim celebrare, ſaltémque per tranſcurſum.

II. Ac BONITATEM quidem (ne ſeparatô præconiô nobis ad eam ſit opus) uniuſcujuſque, JUSTITIÆ loquitur, æquitatíſque, *tenor*. Cujus vocis occaſione provocatus, haud immeritò quis fortaſſis profanorum Sapientûm, è Pythagoræ veteris, aut Origenis Adamantii, ſomniis erroribúsq;, dixerit; Numæ Pompilii, Romanorum ſecundi Regis, aut Aſtrææ fabuloſæ, mentem, vel animam, in *Juſtum* hunc Lipſium, cum *nomine* ſimul, immigrâſſe. Quin & Juris conſultiſſimorum (addo quoque, ſervantiſſimorum) celeberrimum quemque, credas in LIPSIO revixiſſe. Legum quidem *ſcientiâ*, Cajum Trebatium Teſtam, equitem Romanum, ac priſci juris

juris interpretem. Bartholomæum item Salicetum, Bononienſem, è recentioribus. At verò *legum* & juris *obſequiô*, Marcum Brutum, Marci Bruti, qui Cæſarem Dictatorem intermit, patrem: Marcum Porcium Catonem Cenſorinum, Tuſculanum: Ariſtídem, Athenienſium omnium juſtiſſimum, & in Reipublicæ tractatione Themiſtoclis æmulum. Locrenſium item legislatorem, *Zaleucum*; qui filii ſui compertum adulterium, ut à ſe fixo juri ſatisfaceret, ſuorúmmet oculorum alterutrius effoſſione, plexit.

III. In JUSTO Lipſio, JUSTITIÆ vis illa, virtutíſque-Civilis anima, quæ SUUM CUJQUE DARE REDDEREque ſatagit, eumprimis eluxit: MORIBUS (quod in illa, ſibi domeſticâ, ſententia præſeferebat) ANTIQUIS, in gregem vitámque litteratorum, plurima paſſim *novantium*, exempli ſui rectitudine reductîs. Inter medios quoque ſectarios (*Leydæ* præſertim) adversùs Theodorum Cornhertium, alióſque nonnullos, Religione majorum vindicatâ; *ſuóque*, quantum erat in Lipſio, nitori reſtitutâ.

IV. Præter hæc autem, & obſcuriſſima quæque ſcriptorum Antiquitatis illuſtrando

do Notîs, & Commentariis; extincta ſepultáque Vetuſtatis monimenta refodiendo; Tacitum, Senecam, Philoſophiam Stoicam, *Admiranda* magnitudinis ac rituum *Veterus Romæ*, tanquam deſperatîs alioquin è tenebris, eruendo: quid præſtitit aliud admirandus LIPSIUS, aut quid minus fecit; quàm, ut SUUM UNICUIQUE ſcriptori, rei, negotio, ritui, mori, lumen, ſenſúmq; genuinum, & notitiam gloriámq;, *reſtitueret?* donec & ſemetipſum denique, (cunctâ licèt invitâ *Jenâ*, *Bataviâq;*,) majorum publicæ Pietati revexit; poſteáque, cunctâ quamvis Europâ votîs ſuîs eum ad ſe rapiente, *Belgico* ſe Soli, ſolóque, propemodum natali, (Lovanio videlicet,) *Iſcanienſis* ipſe, reddidit. ad extremum autem, & auram vitalem, ſpiritúmque, ſub quo cœli tractu naſcens eum hauſerat, in eundem ipſum refudit.

Fuerunt igitur hæc, aliáque talia, LIPSII laudum inſignia, totidem VIRI BONI, JUSTIque, ſpecimina; *Cæſari*, (certéque Domûs Auſtriacæ geminis Archiducibus) ea, *quæ Cæſaris*, & Archiducum, *erant* (1); &, QUÆ DEI, DEO REDDENTIS. (2)

NOTÆ.

Juſtus Lipſius.

Digitized by Google

NOTÆ.

(1) *Lovanium enim, Hiſpanici juris, ſub Archiducum tunc*, Alberti (*qui Cæſaris Rudolphi frater,*) *&* Iſabellæ, Infantis-*Hiſpanæ*, *regimine erat.* (2) *Matthæi cap. 22. v. 21.*

METRUM.

SI (*quod lex* æqui *dictat ſtudioſa, bonique,*)
JUSTITIA, ac Themis eſt, reddere cujq; ſuum;
Fas mihi ſit, Samiive ſenis, (1) *vel docti Adamanti*, (2)
Sectari, haud tantis ſomnia digna ſophis.
Credam ego; De longo repetitam antiquitus ævo,
LipsI *animam reducis membra ſubiſſe* Numæ.
Credam ego, Juſtitiam, *Aſtrææ ſub nomine pulſam,*
Nunc veterem in LipsI *figere mente larem.*
Hinc, minimum eſt, Conſultum æqui, legúmque, bibiſſe
Fontes, Teſta, tuos; ac, Salicete, tuos:
Artis palma, tenor vitæ, *eſt.* Servantior æqui
Non fuit hôc Brutus, non fuit ipſe Cato.
Ceſſit Ariſtides iſti, ceſſitque Zaleucus;
Cujque ſuum quoties Lipſia libra *dabat.*
Hic veteres mores *orbi* redhibere *recenti*,
Et ſacris juſſit priſtina Sacra novis.
Hic tenebris lucem, morituris reddidit ævum,
Marmoribus vitam, prodigiisque (3) *fidem.*
Ille etiam Tacito vocem, Senecæq; juventam,
Atque Stoæ ſolem; te tibi, Roma, dedit.
Se quoque (quid potuit majus?), ſuus ipſe reductor,
Reſtituit *patriis è Babylone* (4) *tholis.*

Deni-

Digitized by Google

Denique, ne JUSTUM ſora non etiam extera nôſſent,
Neu' minimè traheret debitor *ære pedem:*
Quamvis hunc Italus, Gallúſque, & Iberus, & Iſter,
Ac Veneti ambirent æmula vota Sinûs:
Ille tamen Belgarum auras, in avita refudit
Sidera; quòque iniit ſub Jove lumen, obIt:
Neu' quidquam alterutri patriæ deberet; alumnæ
Reſtituit *terræ corpus, Olympo animam.*

TESTIMONIA, & NOTÆ.

(1) *Pythagora, è Samo orti.* (2) *Origenis Adamantii, Alexandrini doctoris; cujus pater fuit* Leonides, epiſcopus & martyr, *ut Suidas ait.* (3) *In Diva Hallenſi, & Aſpricollenſi.* (4) *Batavicâ: cuj aliquot annis, Catholicis templîs carens, libertatem ſuam, ſectariorum Profeſſorum collega, addixerat: donec Lovanium,* Iſcáno *patriæ propinquiorem locum, reverteretur.*

Caterùm, idem & Jenæ *Thuringorum priùs, pluſquam annum, hæſerat, atque docuerat.*

APO-

Juſtus Lipſius.

APOCOMMA VII.

In Juſto Lipſio

Fæcundi Ingenii ſterilis thorus.

I. QUónam evenire Naturæ, vel invidentis vitiô, vel deficientis fatô, dicam, aut errore; ſtolidiſſimus ut quiſque, quàm plurimos valentiſſimóſque; ſapientiſſimus, è diverſo, Nullos, aut *copiâ, quæ deterior orbitate,* nauci nihilíque filios, progignat? Ut adeò, vir πάντεχνος, & *artium univerſarum callidus,* ut plurimùm, vel ſit ἄτεκνος, ac *ſinè liberis*: vel (quod in occurrentem ſibi *Voconium, Marc. Tullius* jecit) cum filiis, ſinè Phœbo gratiâque *ſatis.* (1) Ità fiunt *Heroum filii,* vel nuda vota; vel, quod hìs pejus eſt, *noxæ.*

II. Video quidem, In *phyſicis,* quas diſſolvit, dubitationibus, quid Alexander cenſeat Aphrodiſius, aphoriſmorum undetriceſimo. Sed non evellit ſcrupuli radicem. Interim ad *Juſti* quoq; *Lipſii,* cum *Anna Calſtria,* (2) conjugium, vetus hoc problema redit: quibus, poſt annorum triginta duûm concordem tori ſocietatem, nec puer eſt unquam, nec puella nata;

nata; neutrius interim, ad prolis uſque deſperationem, ætate devexâ. *Sterilitatis* interea cauſſam, ab *Aphrodiſianis* diverſam, verſu nos, ſi minùs attingimus, at conjecturâ tamen inſequimur, è Philoſophis; quibus PATER definitur, QUI GENUIT SIBI SIMILEM. (3)

NOTÆ.

(1) *Hoc ſcomma Cicero Græco Senario expreſſit,*

Φοίβου ποτ' ἐκ ἐῶντος ἔσπειρεν τέκνα.

Cùm in Voconium casù incidiſſet, comitatu cinctum trium filiarum, exquiſitè deformium. (2) *Hanc Nicius Erythræus in Lipſio, Parte 3. Pinacotheca, Annam Colſtriam nominat; nobili loco natam, ac Viduã.* (3) *In natura, vel ſubſtanti*

METRUM.

QUI vitam implevit meritis, virtutibus annos,
Famâ orbem, ingenii fertilitate libros;
LIPSIUS, improlem thalamum, ſterilémque reliquit:
Nullâque, poſt patrem, ſpirat imago patris.
Scilicet, hoc Ratio naturæ cavit: Haberet
Ne SIMILEM is, cuj non fecerat illa PAREM. (1)

Dd NOTA.

Juſtus Lipſius.

Digitized by Google

NOTA.

(1) *Sic eſt omnino : nec* ementiens ſuperjectio, *quam* hyperbolen *Grammatici vocant. Vulgò paſſim, ut quiſque doctrinâ politiore, majoréve ſupra cæteros opinione Scientiæ, viſus eſt evolare ; non* Incomparabilem *tantùm (ut Joſephum aliqui, Julii Scaligeri filium,) ſed PHOENICEM quoque, (rariſſimam in Parnaſſo volucrem) nominamus. Sic* Phœnicem, *Eraſmum Schuvertius ;* Phœnicem, *Picum Mirandulam Jovius, & Scaliger ;* Phœnicem, *Scaligerum ipſum Schurmana Ultrajectina, epiſtolâ ad Beveravicium ;* Phœnicem *denique Schurmanam hanc ipſam, Conſtantinus Huygenius ;* Phœnices *alios, & alias, alii proclamant, & aliæ. Ad ſummam!* Phœnices, *&* Incomparabiles, *innumeri : ſed LIPSIUS (ſiqua Veritati fides) eſt UNICUS.*

ANNUS

Digitized by Google

ANNUS M. DC. VII.

ANNI M. DC. VII.
Geſtorum
SYNOPSIS.

Ad eam
PROLUSIO.
Septimus Annorum gradus,
vulgò creditus Exitialis.

I. AD *Septennii Primi* metam nos *Mercurius noſter Synopticus* deduxit: Annum, inquam, Sæculi noſtratis SEPTIMUM; *Numerum*, (ſiqua Chaldæis priſcis, & Marco Terentio Varroni, fides eſſe debet) *Infelicitatis* omine, metúve, non penitùs vacantem: in illa præſertim Ævi ſuperſtitioſi formidolosâ caligine.

Teſtis A. Gellius, Noctium Atticarum libro tertiô, capite decimô: cujus hæc ſunt ad aſsem verba:

Proluſio.

PERICULA quoque vitæ fortunarúmque hominum, quæ CLIMACTERAS Chaldæi appellant, graviſſima quæq; fieri Varro affirmat, SEPTENNIIS. Hæc ille.

II. Sed & plures alii Scriptorum antiquitatis meticuloſæ, de *Climactericis* diſſeruerunt Annîs; quos SCANSILES quidam appellant: eò, quòd, circumactu talium, ad *Numeros*, qui præſtantiâ quadam præ cæteris CLIMACTERICI, Fataléſque, judicantur, veluti per κλίμακας ſeu ſcalas, gradatim veniatur. Hujus generis eſt, numerus annúsque vitæ noſtræ *Sexageſimus tertius*, ad quem per Octo *Septennia*; tum &, *Octogeſimus primus*, ad quem per *Novem novennia*, vivendo conſcenditur. De quorum alterutro verba ſunt, ejuſdem, quem modò produxi teſtem, A. Gellii; quæ, de libri decimi quinti *Noctium* capite ſeptimô, tranſſcribo. *Obſervatum eſt* (ait) *in multâ hominum memoria, expertúmq; in Senioribus pleriſque omnibus; Sexageſimum tertium vitæ Annum, cum periculo & clade aliqua venire, aut corporis morbíque gravioris, aut vitæ interitûs, aut animi ægritudinis.* Quem & à ſe ſuperatum jam, ac tranſſultum, Auguſtus Cæſar ibidem, ad Cajum nepotem, epiſtolâ geſtiente, gratulatur.

III.

III. Cùm autem *Climactericorum* hujuſcemodi primus ſit gradus, *Septennium primum*: mihi, poëticâ magìs ludendi conſuetudine, quàm animi *Chriſtiani* verâ formidine, placuit; metuendum hunc, malîsque gravidum, Annum, cum *Mundi (qui decipi cupit)* trepidatione, ſub infamia CLIMACTERICI proponere. Nunc, ad verſum ſtylus divertat.

METRUM.

Septimus armiſonam Solis *labor Annuus eram*
Urget, & in reliquum vaticinatur iter.
Nam, ſiquid Babylon, obſervatrixque Vetuſtas,
Annosâ numeri provida lege ſapit:
Hæc Climactérum, *ſeptennia volvere dira*
Suetorum, prima eſt, impare fine (1) *rota.*
Qualiſcunque tamen; Rota currat! & augeat Anni,
Si bona fert, ſpatium; ſi mala plura, fugam!

NOTA.

(1) *Eſt enim Septenarius in ultima demum Ziffra impar.*

Anni Acta.

I. CUM Sol in *Zodiaco* jam *Aquarii* ſignum ingreſſus eſſet ; ſub exeuntem Januarium, perruptîs naturæ littorúmque repagulîs, *Oceanus Anglicus*, partim, quà latus inſulæ, Septentriones & Orientem è transverſo reſpiciens ; partim, quà latus illud, quod reſpicit Occidentem, alluitur : in immenſum efferri diffundíq; cœpit. Violentiùs tamen æſtuarium Occiduum, quod *Sabrinna* vocatur, ab incidente flumine ; tum & alterum, Orienti propinquius, quod ab Antona Gariennóque, Britannicîs amnibus, ſub antiquo *Métaris* nomine ſeſe colligit, plurimùm etiam imbribus, ac liquatarum nivium affluxu, reſtagnârant. Unde, ſuper æqua pariter inæqualiáque terrarum, unô repentinóque procurſu refusîs gurgitibus, *Sabrinna* quidem Sinus, *Sommerſetiam*, æquoris Hibernici *Comitatum* maritimum, ac *Briſtoliam*, urbium illius tractûs præcipuam; *Métaris* autem fretum, *Nortfolciæ* provinciam, Oceanô Cimbricô ſemicinctam, inundavêre. Rapti momentô temporis, proptereáq;, (quòd inopinum eſſet malum,) inevitabilî pernicie, mortales innumeri; jumentorum pecorúmque gre-

greges: & cum armentis paſcua, paſtoréſq;, ſtabuláque villatica: demerſi ſtagnîs vici, pagi, caſtella, prædia locupletiorum, cum arcibus, oppidis, & urbibus: ac ſepultus undîs inemendabilî frugum & annuæ ſpei clade, ſatívus ager. hortorum item, ac nemorum, & ſylvarum ac ſaltuum quod erat; cum ſtrage futuræ fertilitatis, evaſtatum eſt. Damni cenſum, dolorémque, gnari regionum æſtimârunt ex eo: quòd is Angliæ tractus uterque ſingulari quadam, & amœnitatis, & opulentiæ, commendatione ſemper floruiſſet.

II. Ac *Sommerſetiæ* quidem Provincia, felicis inprimis, & ad fruges ac pabula proferenda propemodum luxuriantis glebæ; quadam ſuî plagâ gemmariis etiam ſecturîs, & *adamantum* egeſtu, gloriatur: qui quidem, cùm regionum aliarum *adamantibus* duritiâ concedant; ſplendore tamen vel cum Orientalibus, Indicíſque, certant. Præter hæc autem, Sommerſetiæ caput, urbs *Briſtolia*, duorum ad amnium confluentes ſita, mœnibus, portu, mercimoniîs, affluxu convenarum, indigenarum multitudine, domiciliorum cultu, nitoréque culminum ac turrium, facilè cum tranſmarinis quoq; ſplendidioribus contendat.

Anni Acta.

III. *Nortfolcia* verò ſpatioſa, pænéque Cherſonéſi (1) quandam circumplexa formam, regio; niſi, quà clementiſſimos in colles aſſurgit, amœnam in planitiem pleraque procumbit; egregiè (quantus quidem illius eſſe cœli, ſolíque, captus poteſt) opulens, compaſcua, pecoroſa: quæque, præter ovilia creberrima, ſub propitio dio ſtabulantia palabundáq;, *cuniculis* etiam, (animalî cæteroqui, propter ſuffoſſiones, alibi pernicioſô) ſinè damno telluris illius, exuberat; in delicias & alimenta capientium eos, & educantium.

Hæc omnia terrarum earum, quæ retuli, commoda, repentina tunc Britannici Maris, & oſtiorum illius, eluvio, vel ſuperóbruta delevit; vel intemperantiùs interlúta, corrupit: multîs, jam tum, non exterorum modò, ſed & incolarum, ſævùm ominantibus. de quo tamen, tam omine, quàm eventu, cujuſmodi fuerint, aliàs narrandi divinandíque, tempus erit.

IV. ALIBI terrarum, dum Romæ *Cæſar* Cardinalis *Baronius* è vivis migrat; PAULUS Quintus, Pontifex Romanus, in hunc eundem annum, & pòſt-ſecuturos omnes, *Crangánorem*, Indiæ *Malabáricæ*, cis Gangem, claram

claram ac frequentem urbem, in *Archiepiſcopi Sedem* ac faſtigium efferebat. Ea, juxtà Cocínum, ſupra gradum cœli decimum, *Malabárici* (quod dixi) maris æſtuariis adjacet; nec importuoſis, nec minuſcularum Inſularum infrequentibus.

V. Inter hæc, Ordines Batavici, triginta myoparonum emiſsâ claſſe, *Jacobô Hembskerkio*, ductore præfectôque; cùm, Oceanô (quà Boreîs hic & Favoniîs perflatur,) navigatione vernâ perſtrictô, Gallæciæ Luſitaniæque littora labore multô circumlegiſſent, in naves Caſtellanas, aurô Peruanô graves, intenti volitabant. Sed, protractâ tandem in longinquum, ſensímque vaneſcente quoque, tam opulentæ prædæ ſpe: *de ſagena* denique (quod ajunt), *ad hamum & arundinem conversâ piſcatione*, Gaditanum in Sinum vela fecerunt.

In *Gadium* porrò freto faucibúsque, locô, quem portus, caſtellum, ſitus, ac præſidia, communierant, *Joannes Alvarus D' ÁVILA* cum claſſe longè validiore conſederat: animadversôque Batavorum acceſſu, milite, qnàm antea, numeroſiore (quem è continente raptim evocârat) claſſiariorum vires confirmârat. Sed, quæ ductoris *Hembskerkii* fuit animi

Anni Acta.

nimi fiducia, *Batavicorum* tanta flagravit ad concurſum alacritas; ut, navium quamvis, ac militum, longè minore multitudine, velîs tamen, & remîs, & curſu ſtudiîſque mentium, incitati, proſilierint, irruerint, conflixerint. In ſumma! rem Hiſpanam hoſtes extremam in deſperationem adduxerunt: pæne victoriæ prius *famâ*, quàm adventûs & conflictûs ſui *fide*, repertâ. Cecidítque *D' Avila* tunc; & biremes aliquot Bæticæ, facibus injectîs hoſtilibus, inter medias undas, ſuorúmque mortes, deflagravêre.

VI. Luctuoſum interim *Hollandis* rei bene geſtæ gaudium fecêre; *Victoria* primùm, *nec ipſis* quidem *incruenta*. laceræ deinde, convulſæque, *naves*; quantumlibet poſthæc ad oppidum Africæ *Tetuánam* inſtauratæ. Super hæc, *præda* de refugis, & partim exuſtîs, *D' Avila* triremibus, *nulla*: quódque luctûs univerſi caput erat; in talionem quodammodo, certéque vindictam, interfecti *D' Avila*, neci datus etiam Hollandicæ prætor claſſis, *Hembskerkius*; ſolatiô, *gaudiôque manium* adverſæ partis quantulocunque: quòd ſcilicet & *hoſtis fleret.*

Ac *Prætorem* quidem ſuum, in terram reve-

reveſtum, *Hiſpani*, differtum odoramentis, tumulo majorum intulerunt. *Hembskerkium* verô *Batavi*, (non multò pôſt, à Curia prócerum ſuorum domum revocati) ſecum reportatum, funeris-publici gloriosâ-pompâ proſecuti ſunt *Amſterodami*. Cujus *nautica* juxtà, *Martiaéq;*, claritudini, magnificô magìs vividóque, quàm prolixô, verſuum heroicorum epicediô parentavit Hugo Grotius; Batavici non minùs *Helicónis*, quàm *Areópagi*, clarum decus.

VII. Cæterùm, dum adhuc in Herculeo freto, *Batavos* inter & *Hiſpanos*, odia partium ardent; alternîsque picta cladibus arma navigiáque rorant: domì *Pax* interim, ſi confieri poſſet, aut, hæc ſi negaretur, *induciæ* ſaltem belli, quærebantur; quas à Batavicis Ordinibus Belgii Principes, Albertus & Iſabella, tum ſuô, tum Philippi tertii regis Hiſpaniarum, nomine deſiderabant. Legationis illius, ac fecialium primi, Joannes Nayus, Martini filius, domô nobilî, *Franciſcanæ* familiæ *Commiſſarius* (quem vocant) *generalis*; magnâ dexteritatis ac prudentiæ commendatione vir; & in Pacis ac Fœderum negotiis laborum-indefeſſus. tum & *Ludovicus Verrejkius*, ac Joannes *Richardótus*; *Archiducum*, & Philippi regis,

Anni Acta.

gis, cauſſam agentes. Batavorum autem, Theodorus Douſa; quidámque Cornelius, cuj cognomentum Arſenius; Ordinum archigrammatéus. His, aliíſque minoris famæ, Pacis & induciarum internuntiîs, laborabatur in componendis utrimque poſtulatîs, & conditionibus: nec hôc tantùm añô, ſed & proximè ſecutô. Neque verô tantum molis ab Archiducibus fuit, quantum ab regio Caſtellanorum tablíno: cujus in litteris, earúmque ſcribendi formîs, aliquid ſemper Batavi deſiderabant. Cæterùm, duo potiſſimùm hi fieri contendebant oportere; quæ proinde pertinaciter urgebant:

Primum quidem; ut REMPUBLICAM LIBERAM, non Albertus tantùm & Iſabella (quod impetrârant), ſed rex etiam Hiſpanus, *Batavos, iíſque fœdere conjunctos*, pronuntiaret. Ubi rem Hollandia petebat, illi, quale quantúmque tunc erat, ſceptrô *Solióque* prædurã; ac proin tardæ conceſſionis futuram.

Alterum autem erat; ut MARE poſthac univerſum, ac ſcilicet etiam Hiſpanicis antea claſſibus, iíſque ſolis, pervolari ſuetum; jam LIBERUM, ideóque *Batavici quoque juris*, proclamaretur. cuj, tam adſtruendæ, quàm defen-

Digitized by Google

defendendæ, licentiæ, poſt hæc & *Hugo Grotius*, eodem ipſo nomine titulôque, *Librum* vulgavit. (††)

VIII. Præter hæc verò, complura partis utriusque legati tricabantur alia; ſuſpicantibus præſertim Fœderatarum nationum, nec paucîs, nec hebetibus; *Ab Hiſpanis, ſub Pacis tam cupida deproperatione, neſcio quem, velut ſub herbido floridóque ſalicto, paliurum, & anguem, recondi. profectóque, lucroſiori cuipiam compendio ſtuderi: quando Dominatûs illius, in Belgium univerſum, veteres illi magnificique tituli, nunc contractîs quaſi velîs, reſtringerentur; LIBERÆ REIPUBLICÆ plauſibili tantiſper appellatione, per doloſam illecebram, in breve potiùs gaudium aliquod, quàm perpetuum in fructum, indultâ. Denique, præſtare ſinè dubio,* Jugô *ſolutos* eſſe, *quàm* dici. *Sub vana* Libertatis *nuncupatione, talibus dominorum ingeniîs, nullam eſſe poſſeſſionis ſecuritatem: vel herculè tamdiu, nec ulteriùs, ſtabilem manſuram; quàm, quoad opportunitas aliunde ſubjugandi plenior emergeret.*

IX. Suſpicionum porrò perplexas tricas, quàm plurimùm auxit, & innodavit; etiam corruptelæ nummariæ, quaſi per cuniculos & fur-

furtim irrepentis, conjectura: dubium, an omnino falſa? *Joannes* certè *Barnefeldius* (cujus, in operis hujus Septenniô *tertio*, funeſtior mentio recurret) Ordinum fœderatorum *advocatus*, Verrejckio poſt hæc, Hagâ-Comitum abeunti, ſuorum *Ephororum* nomine, per querelam, nec obſcuram, nec levem, exprobravit; Præter torquem aureum, *Theodoro Douſæ* dono miſſum ab *Archiducibus*, tentatam aliorum etiam quorundam fidem; munerum immodicorum inſidiosâ prodigentiâ, ſiquis corruptelam admittere deſtinâſſet; utpote, cùm uni ſoli tunc *Antonio Cornelio*, Batavorum *Actuario* ſupremo, nummûm aureorum majoris censûs, & quos nempe *ducatos* vulgi barbaries appellat, in ápocha, per cóllybum repræſentanda, *quinquaginta millia* perſcripta *Nayus* obtuliſſe ferretur. Quem & eundem inſimulabant; eidem aureum quoq; torquem; eidem, & adamantem gemmam, decem millibus æſtimatam; aliis item alia (cur ſanè, niſi, clam & própalam ſuas in partes emercandæ, Bataviæ-miniſtrorum inclinationi?) diverſis occaſionibus oſtentâſſe: quantúmque ſui conatûs fuerit, eſſe largitum.

X. Hæc itaque cùm ſeu verè fierent, ſeu

ſeu fieri malevolorum aſtu fingerentur; quæ *Pax* emerſura ſperabatur; *Induciæ*, nec ampliùs tunc, evaſerunt: incumbentibus in cauſſam nihiloſecius ſpectatiſſimô quoque, pace, vel armîs, virô. quos inter celebrabantur, *Fœderatarum quidem partium:* Gulielmus, Comes Naſſavius, Friſiis gubernandis impoſitus; & Gillmannus quidam, conſultus Juris: *Geldrorum*, Loënius; *Hollandorum* Walrávus Brederodius, &, (quem ſuperiùs nominavi,) Joannes Oldenbarneſeldius, advocatus; *Zeelandorum*, Malderæus: *Ultrajectinorum*, Nicolaus Benkius; *Tranſiſulanorum*, Slotius; *Grœningenſium*, Abel Condérus; *Conſiliique*, quod *STATUS* appellant, tabellio, ſimùl autem & *Dordracenſium* ſanctioris curiæ Syndicus, Jureconſultus Brokius.

Hiſpanienſium autem Pacis-interpretum, in eodem conventu tunc, operam, nec pauciores navârunt, nec ignobiliores. In quibus, Joannes Manſicádor: ac, præter Richardotum, curiæ præſidem, Joannémque Najum Franciſcanum, & Ludovicum Verrejckium, jam ſuprà laudatos, Ambroſius quoque Spinola, domô Genuenſis, gente Ligus, Sanſeverini Dux, & Venáfri Marchio. Qui poſtremus, ſuum ei nego-

negotio ſtudium juſſu regis interpoſiturus; ad Ryſwícum, Hagæ-Comitum vicinum pagum, in Mauritii *Comitis*, poſtea verò *Principis* Arauſiaci, complexum venit. Quem prior allocutus Mauritius, adventûs humaniſſimâ gratulatione, tanquam apud T. Livium Hannibal Scipionem, ſic ad reciprocam ſermonis ſuavitatem ipſe Spinolam pertraxit: mox autem, *Hagam* etiam, ad Procerum, legatorúmque reliquorum, cœtum. Hæc, alioquin etiam in annum ſecuturum narrationibus effluxura; quò ſemel ac ſimul in præſens omnia ſub aſpectum irent, conjungi rerum memoriâ, conſultius eſſe judicavi; de *Pacis* præſertim Hiſpano-Batavicæ rebus, & obicibus, enatîs. Eſſent ea lectoribus faſtidio: ſi denuò ruminanda forent, ut *crambe*; non paſſim grati ſaporis cibus.

XI. Inter hæc autem, in *Sarmatia*, res iterum, ac turbæ, procelloſæ: *Sigiſmundi* regis nuperâ, quâ rebellibus is delicti gratiam fecerat, humanitate ſuúmmet tunc (ut ſæpe fit) in auctorem periculosè retortâ.

Nicolaus enim *Zebrzidovius*, & *Joannes Radzivilius*, nobilitatis Polonicæ conjuratione factâ, *Capita ſe Libertatis Omnium, in Religionis* maxi-

maximè negotio, ferebant; rerum & opinionum, in *ſacris* novandarum, perverſô ſtudiô. Quam in rem hi *Comitia* quoque, ſed *Armata*, (quæ gentis illius lingua ROKOSCHAM appellat,) inierant: unde proinde Nobilibus illis ſeditioſis *Rokoſchianorum*, apud geſtorum expoſitores, nomen hæſit. Hi de Rege, vel in ordinem redigendô, (ſi capi poſſet,) vel, ſi ſic prœlii caſus ferret, caſtrîs, & ſoliô vitâque pariter, exuendô, conſilium & arma capiunt. *Rex*, adversùm hæc, & ipſe comitiis in diem ſextumdecimum ante Calendas Junias indictîs, omni regno communibus, & Varſaviæ, Viſtulam ad amnem ſitæ, cogendîs; Cracoviam, Polonicarum urbium caput, præſidiîs firmat, & commeatu. *Rokoſchianos*, valido cum equitatu, non in pompæ-Comitiorum, ſed in pugnæ faciem, affuſos, & irruentes, per latos Varſaviæ campos, ipſe vi cauſsâque potior, paſſim fundit, ac profligat. mox, iterum iterúmque conglobatos, & conflictum auſos, rex, *ter* invictus, armis exuit, atque campis. Cujus prælii ſeriem, numerum, atque cauſſas, univerſúmq; geſtorum ordinem, mirum eſt, quantum *Cluverus* Danus, in *Epitoma* ſua perturbet, ac vitiet: adversùs cætero-

rorum conſenſum, & actorum integritatem, (ut & in plerisque narrationibus aliis, Religionis cauſſam ſpectantibus) corruptor Veritatis, ac fallax; partiúmque ſtudiô contumelioſus, & mendax. quæ tu *præjudiciô* meliùs, quàm *argumentîs* (quippe, præcorruptas apud aures ſurdîs) refutes; ſi modò *Compilatorem* eum, *partium* ſtudioſum, & ex profeſſo ſæpiſſimè rabulam, pro comperto cogites: Romani Pontificis, & Loyolæorum, juratum hoſtem. Veriùs igitur, & candidiùs, hæc, & alia pléraque, Beyrlinkius, Janſonius, Baronii Continuatores, & adeò Continuator ipſe Slejdani, cæterorúmque pars pleraque, tradiderunt.

XII. *Rokoſchianorum* porrò (ſicut mirè potens eſt, ad trahendum in imitationem, omne pravitatis exemplum) æmulati furorem in Pannonibus *Hejducci*, tractuum illorum conjurati: *quindecim millium* ſuæ factionis contractâ multitudine, trans ac cis Iſtrum, turbinis & tempeſtatis more raptant obvia, verſántque. Calónem & Hajam arces, *Tranſſylvanorum* (ut apparebat) *portas*, ſub poteſtatem ſuam redigunt. In Tibiſci quoque ripis caſtra metati, Caſſoviam circumsídunt: Cæſa-

Digitized by Google

Cæſaris Rudolphi ſacramentum exuunt: nobilitatis Pannonicæ, quòd ſui *Regis* in obſequio perſtaret, cædem exitiúmq; facere, conſtituunt. HOMONAJUM, aut, ſi renueret hic, REDAJUM, viros è gentis Optimatibus, ſubrogare *Rudolpho* reges, decernunt. Sepuſianum adhæc agrum, ac Polonorum oppida tredecim, evaſtant; ac tandem ad Toccajum etiam, expeditîs minacibúsque copiîs, effunduntur. Budenſem, alióſque domûs Otomannicæ prætores, *decem millium* ſuorum promiſsîs auxiliîs, adversùs Cæſarem ſollicitant: palàm (ô nefas!) profeſſi, *Se Turcarum amicitiâ, Tartarorum fiduciâ*, (nam & hi non ità procul indè caſtra fixerant) *& Germanorum odiô, belligerare. Turcis ac Tartaris ſe ſemper addictos; Germanis infenſos; ſine fœderis ulla ſpe, cogitationéq;, perſtituros.* Id *Hejducci*, conceptîs primùm à ſe verbis juratum, ab cæteris quoque deinceps omnibus, qui partibus eorum acceſſiſſent, jurari pariter, & volebant, & compellebant.

Hos autem ad ſe, cum ſceptri Pannonici delato ſupremo jure, venientes, *Homonajus*, vir abſtinens, ac factionum integer, rejecit. Eoſdem & *Toccaji præfectus*, armorum vi, præ-

ſtantiana, *Famáque* demum *Auguſta*, tamdiu dici ſolita: donec in *Famaguſta* nomen contractione migraret.

Eam igitur urbem, propugnaculis turribúſque munitiſſimam, annô ſæculi ſuperioris ſeptuageſimo circiter primô, circumſidére, tormentíſque verberare, *Sélymi* II. Turcarum imperatoris auſpiciis, *Muſtáphus*, prætor Otomannicus, aggreſſus erat: menſibúſque duodecim vehementiſſimè preſſam, ad extremum, rerum omnium penuriâ, maleſuadâque fame ſubigente, ſub jugum redegerat. In ea porrò deditione Muſtáphus Chriſtianis omnibus, annô ſalutis M.D.LXXII. ſimul cum Religionis inviolatâ libertate, tam domuum ſuarum, quàm prædiorum, poſſeſſionem tranquillam ſpoponderat. Vénetis autem, *Famaguſta*, *Cypríque* reliquæ, priſcis inſeſſoribus, à Jacobi Catharinæque, regum ejus, temporibus, (2) ſi recederent, incolumitatem, ac ſalvum in Cretam ſuam tranſitum, jurisjurandi fide depactus erat (3): ſed, quali ferè ſemper *Otománnıda* ſolent, fluxâ, caſſâ, circumciſâ. Neutra namque, poſt Famaguſtam, ac mox inſulam univerſam, deditam, ſanctè fuerunt à barbaris habita promiſſa: cùm & Marcum

Anni Acta.

Antonium Bragadinum, urbi Famaguſtæ præfectum, immanis *Muſtáphus* vivum ſpirantémq;, Parthicæ feritatis imitator, excoriârit; cadaveris pelle ſtipulîs differtâ: ſuperſtitum verò, tam urbis, quàm inſulæ, Chriſtianorum reliquias, tyrannide pluſquam Phalaridæâ, præfecti Mahometani cæteri torserint, ac divaricârint; ídque, poſterîs etiam, & ad noſtram uſque memoriam, annîs factitârint.

XIV. Hîs ergò, tot tantíſque malîs fatigati Chriſti cultores; denique ſubſidium à noſtris communiter, ac frequenter: noviſſimè quoque, ſignatè Florentinis ab inſtitoribus, & claſſiariis, mare mediterraneum paſſim pervolantibus, expetiverunt. Votîs autem ſuîs, hactenus duntaxat, & quantum ad ſuppetias attinebat, hôc ipſo demum, quem exſequimur, annô potiti; melioris ſpei *guſtulum* (ut ſic dicam) veriùs, quàm *fructum*, capere cœperunt. Cùm enim *Famaguſtam* ab Auſtri látere Tuſci tunc, eminus quidem machinîs ac tormentis urgerent; cominus autem, aſſultu, manu, pedeſtrîque velitatione: poſteaquam tandem & in terram exſcenderant, urbémque propiùs infeſtârant (ídque, venientibus in partem operæ Chriſtianis etiam *indigenîs*:)

genis:) oppugnatio tamen irrita fuit: Itali rejecti: Cypriorum auxilium repreſſum; noſtráque vis omnis in ventum effuſa: quippe, *Turcis*, *intus* in præſidio ſummâ vi mœnia tutantibus; *foris* autem, Mahometanorum, ad opem ſuis ferendam, accurſu confertiſſimô, Chriſtianorum manus animóſque confringente.

XV. Sic igitur geſtìs rebus, & in altum refugiente claſſe Tuſcâ; ſpes liberandæ Cypri, nequicquam modò tam propinqua, turpiter eſt in præceps data: Chriſtianíque, barbarorum ſtipendiarii, ſub acinace relicti; truculentiorem poſt hæc dominatum incurrerunt: utpotè, jugi rumpendi flagrantiſſimîs in conatibus ab *heris* ſuis deprehenſi. Luerunt igitur audaciam illi ſuam; ferrô, flagris, taureis, variíſque moriendi generibus, excarnificati. Siquos autem & fugæ felicitas in tutelam recepiſſe videri poſſet; ea verò, brevî cæde miſerabilior, longum per interitum, inter avios incultóſque montes, & gelida petrarum latibula, (quoddam Tartari ſimulacrum,) pavidos exules exedebat.

Infelices ſanè *Cyprios*! qui, necdum ad plenum exploratâ, nec ſatìs adhuc tempeſtivâ, *Libertatis* recuperandæ certitudine, vete-

Anni Acta.

ris obliti vatis fuerint, aſſerentis; HONESTE tantiſper eum SERVIRE, QUISQUIS oppreſſus TEMPORI SUCCUMBAT. Infeliciores autem eô quoq; nomine; quòd, *Cyprios*, fama ſit, infamiáque vulgatiſſima, ne Chriſtianis quidem ſub legibus, & curionibus, à Veneris, gentilitiæ majorum Deæ, deteſtabili frequentatione ſibi temperare: parî virorum ac fœminarum, in libidinem eam, impetu, flagitiíque certamine. Quare ſæpe, ſicut in *Cretam* (4), ſic & in Cyprum, edita ſunt à prudentibus, excidii, *Sodomæo* ſimillimi, vaticinia: noviſſiméq:, patrum noſtrorum memoriâ, vaſtationis illius duci principia cœpta, noſtrâ nunc tempeſtate curſum ſuum exitúmque tenent: Lunâ Turcicâ (quam, unam eandémque cum Diana credebat eſſe, veterum error,) meretriciam Amathuntis, ac Paphi, (5) præſidem-deam caſtigante.

XVI. Sub idem autem hoc tempus, Perſarum Parthorúmque rex, ABAS, quem, ſupremæ poteſtatis expreſsô prænomine, *Schach-abam* vulgus dicit, cùm in conjugio regio (velut & ſuperiùs indicavi) *Chriſti cultricem* teneret (6): aliquouſque propenſiùs religionis noſtræ Principum rebus, ſucceſſibúſ-

búsque ſtudere videbatur. Hic ergò, ſuper amoris uxorii ſtimulum, etiam ſuômet privatô quodam, necnon publicô ſuæ gentis, in domum Otomannicam odiô, proritante; quà ſe cunque res ac facultas offerret, quàm peſſimè Turcico volebat imperio conſultum, ac factum.

Indè, non anniverſariæ modò, ſed pæne continuatæ, Parthorum in Syriam, ac minorem Aſiam, expeditiones. Indè, ferrum, cruor, cædes, incendia, provinciarum vaſtitates, aſſiduæ prædarum vecturæ; pecorum, hominum, & oppidorum, captivitates. Ad ſummam! *Oriens* paullatim *omnis*, cum ipsâ quoque Byzantii viciniâ (quæ Turcicæ jam pridem poſſeſſionis fuerat) tunc propè continentibus Perſarum victoriîs, *Schāchaba* ſubſterni, geſtiebat: eripiendus haud dubiè, non multò pòſt, Otomannidis in univerſum; ſi, quantùm ex Aſia *Perſicus*, tantùm ex Europa Mars *Chriſtianus*, in rem incubuiſset. In eam certè curam, & conſilia tendebant, & *legationes*; tum aliàs à Perſa frequenter expeditæ; tum annô quoque præſentî: quo Parthicus orator, cum *Schachaba* regis litteris, & *aurô gemmísque* (*potente mentium humanarum viſco*)

Ee 5 Rudol.

Anni Acta.

Rudolphum Cæſarem, ac Philippum III. Hiſpaniarum regem, cæterorúmque Principum Chriſtianorum nonnullos, adiit; bellorum in tyrannum Conſtantinopolitanum ſocias manus, agmináque, corrogare ſollicitus.

XVII. **Sed diſſimulabatur, aut in ſpes certè longiores proferebatur, armorum cum Perſa conjunctio.** Prætexebatur inurbanæ repulſæ rationibus, *aurea* nomen *Pacis*: quam jam dudum ab Achmete, curiâque Byzantinâ, quæri cauſſabantur; quæque, noſtrorum commodò, propemodum in foribus eſſet.

Ac ſanè *vera*, (tunc ſaltem), *temporique congrua*, proferebatur à cunctabundis tergiverſandi cauſſa. Sed profectò nos, & aliâs frequenter, tum ante tempus illud, tum & poſterîs fortaſſis annis, BONI TRANQUILLIque PUBLICI ſpecioſîs vocabulîs, quoties ad exſcindendum Turcam exſtimulabamur, ignaviam velabamus noſtram. Quo proinde fiebat, ut ab ipſô Turca (7) *ſtertere* diceremur: à *Schachaba* verò ſenſim faſtidiremur. Ità, pulcræ PACIS inani futilîq; nomine contenti, Victoriæ dulces è Turca fructus, Perſæ carpendos reliquimus: nobisipſis corticem, *pavoréq;* miſtam *Tranquillitatis* ſpem, in amarum guſtum reſervabamus. TESTI-

TESTIMONIA, & NOTÆ.

(1) *Peniuſula. Grecè, τὴν χερσόνησον dicimus, & χεῤῥόνησον, locum; qui, quò minus aquâ totus, ut inſula, includatur, exiguo iſthmi terreſtris interventu prohibetur.* (††) *Cujus fronti Veloq; inſcribitur, MARE LIBERUM.* (2) *Veneti, ab annis retrò Centum ac duobus, Cyprum poſſederant, teſtamentô ſibi relictam ab Æcatherina, (ſeu Catharina) cognomentô* Cornárâ, *patricia gentis Venetá; viduâque relictâ, morte conjugis ſui Jacobi, poſtremi Cypriorum regis.* (3) *Joann. Jacobum Boiſſardum vide, in Vitis & Iconibus Sultanorum, per Theodorum de Brye: in Selymo. II.* (4) *Danielem Ecklinum Arravienſem, adi, in Itinere Syriaco; ubi de Candia, ejúsq; incolarum flagitiis: quæ nunc luimus.* (5) *De hac & Horatius l. 1. odá 30.* O Venus, regina Gnidi, Paphíque. — *nam Paphi, Cypri urbe, Veneris erat templum; & proſtitutarum velut œcumenicum emporium, in ipſo ſtatim, paſſimque, littoris propatulô.* (6) *De nomine* Schach-Abæ, *paginâ 18. & pag. 214. ut & ipſo de rege, tradit Vitus Marſtallerus Ulmenſis, in ſuo* Táricho, *ſeu Regum Perſicorum ſerie. De regina verò hac, Schach-abæ conjuge, pag. 149.*

ante

Anni Acta.

ante fin. typis Tubinganis. (7) In concione P. Georgii Schereri, de Raaba capta, receptâq;, vide dicterium acerbum in legatos noſtros ducésq; caſtrenſes, Otomannidæ cujuſdam, huc ſpectans; & noſtrarum ſubinde copiarum, meretriciam ſegnitiem mordens. Ihr Chriſten habt kein Glück/ vnd werdet auch keins haben: &c. im Kriegen. lege cætera tacitus: & dic; E tripode locutus eſt!

METRUM.

FOedera dum ſociant Mètaris, Sabrinna, fretúmque,
Diffundúntque tuos, terra Britanna, Sinus;
Ipſe supèr, fluidis ſtellatus - Aquarius urnis
Effractus, liquidam fluctibus addit opem.
Unà æther, pontúsque, ruunt, duo fervida regna;
Conjurata, triplex (1) diluere imperium.
Unde, modò Oceani ſuccincta Britannia limbô,
Ipſa, natans in ſe, fit ſibi terra ſalum.
In Latio, cum Vita, Anni cecidère BARONI:
Annales vivent; dum freta, Thybri, petes.
AT Roma, Eoam in majus Cranganora tollens,
Auſonio exornat barbara fana pedô.
Jure mitræ gaudent Malabarica littora; gaudent;
Pontificum offerri liba, merúmque, manu. (2)
Hæc inter, tumidi, infeſtis concurrere proris,
Bæticus, & Batavæ miles alumnus aquæ;
Prætorum, æquatâ maculant Tarteſſia clade
Æquora: & Hembskerkum mors D'avilæa trahit.

Hercu-

Digitized by Google

Herculeì mox bella freti ſuſpendit utrimque
Pallas, oliviferas Pace revincta manus:
Scipióque Annibali jungit Ligur ora Batavo;
Ac duo bellorum fulmina fœdus amant:
Spinoláque Auraicô præſens præſente triumphat,
Hoſtilîque (novum hoc!) gaudet amicitiâ.
His diversô alibi, pròh, quàm diverſa moventur
Cardine terrarum? pax jacet; arma volant.
Quæ domat ingenuos animos, Clementia, ſævos
Aſperat; ac, Sceleri gratia facta, nocet.
EN, veniâ nuper, regisque potitus aſylò,
Regem iterum, ac veniam, Sarmata turbat eques.
Rex, acie, ut cauſsâ, potior; cataphracta per agros
Agmina Varſavicos, ceu ſata Caurus, agit:
Jámque, iterum, atque iterum, difflata rebellio, Regem,
Marte ter invictum, ter fugitiva, probat.
Nec tamen EXEMPLI viſcoſa potentia ceſſat,
Quin rabiem, ac ſocios, æmulaque arma, trahat.
Hungara namque æſtus imitata procella Polonos,
Pannonica Hajduccô turbine regna quatit.
Aut nihil, aut alium, detruſô Cæſare, regem,
Ac Solymanniadûm caſtra patrona, volunt.
Sanctiùs his alibi (lævi licèt oſcine Martis)
Cypria cum Tuſca factio claſſe coit;
Obfirmata animîs, Salamine extrudere Turcas.
Hej malè! quòd propriò ſpes bona merſa freto eſt!
Nam Cyprus, Achmetis dum exſolvere colla catenîs
Nititur; adductô ſtrictiùs ære, gemit.
Scilicet, Odryſiam evexit Venus improba Lunam:
Culta Venus Cypro, cedito! Luna jubet.
Parthicus interea Schachabas Otomannida denſîs
Bellonam excidiîs ſternere victor, ovat.

Cæſa-

Anni Acta.

Cæſaris hic idem, regisque laborat Iberi,
Pellicere unanimes, in ſocia arma, manus.
Mittit opes, additque preces, aurôque perorat;
Inſtat Erythræi divite merce freti.
Nec prece, nec pretiis in ſurdas tamen influit aures;
Dum tenet obſeſſas pacis oliva fores:
Quæ, quamvis malè firma hæret; Pax eſse, *putetur!*
Otia, dicuntor Fœdera; fraúsque, Fides.
Perſa, alias aliò excutiat molimine quercus: (3)
Pro lauro, ac palmâ, nos oleaſter (4) *alat!*

NOTÆ.

(1) *Trium namque Regnorum titulô, videlicet Angliæ, Scotiæ, Hiberniæ, Magna Britannia, jam plusquam à ſæculo, ſeſe decoratam fert, & ovat.* (2) *Sacrificium Panis & vini; ſed* tranſſubſtantiati. *Quare, procùl hinc abige ſuſpicionem erroris* Sacramentariorum. (3) *Adagium eſt; quo, deceptis labore primo, ut viam tentent aliam, dicimus;* Ite, quercum aliam (*magis glandiferam*) excutite. (4) Olea falſa; *pax eſt, degener, ac falſa.*

APO-

Septennii I. Annus 1607.

APOCOMMA I.

Cataclyſmus aquarum

Sanguinis (heu!) vereor, nequando fiat!

I Cùm hujus, quem breviamus, anni Januariô ſeneſcente, ſimile quiddam *Diluviis* antiquis (Theſſalico putà, Noæóque,) ſentire viſa ſit *Anglia*: divinavêre tum utique complures, *ſcivit autem unus, ac ſolus, qui novit omnia, priusquam eveniant*, DEUS; eluvies illa quorſum, & quò portentô, tenderet atque graſſaretur?

Et, *merita* quidem cum *ſupplicio* componentibus, videbatur, ab elementis fluidis Anglia luiſse *poſtera*; quidquid deliquerat in ſuis aliquot apicibus, & gubernaculis, Anglia, nonnihilô *vetuſtior*: ac, ne ſic quidem, ſatìs adhuc pœnarum dediſſe, fluminibus tot bibendîs; niſi verterentur hæc ipſa quondam in torrentes, etiam Sanguinis, eósque capitales.

II. Veniebat enim ſagacibus nonnullis in mentem, innocentis effuſi cruoris *Stuartai*; nec tamen adhuc expiati. Veniebat in mentem aliis, immenſi ſanguinis illius, quem hauſerat rex *Henricus Octavus*; etiam ſuiſmet diſplicen-

centis; ac poſtea Sanderianîs deſcripti rerum monimentîs. Veniebat in mentem denique, funeſtorum *Eliſabetæ* decretorum; ab *Anglicis*, quos auctor inſcripſit, *furoribus* deploratorum. Poſt quæ, quid poterat minus, vel *Parnaſſus* ipſe divinator, ex hac incredibili, per aquas, inſulæ vaſtatione præſagire; quàm, & *Sanguinis* aliquando *diluvium*? Quod, metu miſtum, *oraculum*, anni poſtmodum aliquot, bellô *Britannorum* diuturnô cruenti; noviſſimè verò, *Regis* ipſiúſmet (quod minimè decuit) cæde publicâ, pròh dolor! natantes, & plorantes, impleverunt.

METRUM.

QUæ (precor) hæc ſiccæ facies Neptunia terræ eſt?
Inſula ſub rapido quò fugit Angla freto?
Cum ſtabulis natat, ecce, pecus; cum piſcibus, agni;
Cum Tritone, urbes, oppida, civis, agri.
Quàque ratis non eſt, & quà modò portus, & Acta (1);
Denſa fluunt ſubitis funera naufragiis.
Quid loquar? aut ſileam? nec enim, hæc ignara futuri
Stagna, putem; aut, urnâ Delphide caſſa, vada.
UT creat unda nives, & nix regelatur in undam;
Sic mare, quod crevit ſanguine, ſanguis erit.
Nempe, tui furor ille patris, tuus enſis, Enyo,
Merſêre innumerâ prata Britanna nece.

Cogna-

Cognatos flevêre obitus tot millia gentis;
Permaduitque piis luctibus omne ſolum.
Tunc MARE feciſtis LACRYMARUM. Fallor? an iſtud,
Poſtmodo rurſus erit, qui fuit antè, cruor?
Civiliſque æſtûs olim arma ſequentur? & æquor,
Sub Boreis niveum, *fiet ab enſe* rubrum?

NOTA.

(1) Littus. *Græcis ἀκτή. ſed & Latinis uſitatum. Maro, Æneidos l. 5.*

At procul in ſola ſecretæ Troades actâ,
Amiſſum Anchiſen flebant; cunctæq; profundum
Pontum aſpectabant, flentes.

Sed, ſuperiùs quoque, hoc idem adnotatum eſt.

APOCOMMA II.

Homonajus,

excuſsô, quàm admiſsô, regii culminis honore, præluſtrior.

I. NEquis, *Antiquitatem* adorantium, & Exempla recentiora faſtidientium, inexſpectata Virtutum ornamenta noſtris annis abju-

Valentinus Homonajus.

abjudicaret ; ex annalium geſtorum percurſo ſuperiùs breviario, VALENTINUM etiam HOMONAJUM, inauditæ cujuſdam abſtinentiæ ſpecimine memorabilem heroëm, narratione relibari, viſum operæ pretium eſt.

Virum hunc, inter Pannonas Inferiores nobilitatis plurimùm eminentis, H*ajduccorum* millia pluſquam quindecim, cum ſpe majoris, & ſcilicet in horas ſingulas affluentis, multitudinis, ſupremum ſibi Caput deſtinârant. H*omonajum* hunc, ejuratô jam Cæſare *Rudolpho*, ne regeret H*ungaros* ; cum honorificentiſſimis ei poſtulatìs, iiſque, (ne fortè detrectaret,) armatîs, adierunt: ut eſſe *Rex* H*ungariæ* dignaretur. Hujc ſuo judicio, novóque ſolio firmando, ſe copias, ſacramentum, fidem, ac ſanguinem, unà cum belli nervo, pecuniis, & prædâ, refertâ divitiîs, addicere, donóque dare. Tantummodo daret invicem ipſe ſe cupientiſſimis ſuorum votis ; regnúmque capiens, & jus ſupremum exorſus ; cætera ſecundiſſimô fore curſu proventura, confideret.

II. Quid hoc loco *Valentinus* ? Magnum; ſi non prior, & ultrò, regnum in populares appetivit : quo præſertim tempore, Cæſari dudum juratum obſequium, flacceſcere

re jam, ac defluere, cerneretur: &, ſi ceſſaret, aut cunctaretur, *Homonajus*; poſſeſſioni regni, vel *Kedajô*, vel quocunque demum turbulentiorum alio, validiùs inhiaturô. Moderationis igitur ejus animi grande futurum documentum erat (ut fuit); ſi ſceptro Pannonico, jam aliorſum vergenti, non oculos, non cupidinem ac manum injecit; *quiete* delectatus, *quæ*, *Nimis alta prenſantibus*, *obtingere vix-ulla poteſt*. At grandius haud dubiè facinus extiturum erat, ac temperantia memorabilior; ſi vocatus etiam, & ardentibus ſtudiîs ad imperandum expetitus, *Homonajus*, tamen renuit: fortunámque, tam ſpecioſam ac divitem, in Sinus ultro ſemet ingerentem, non amplexatus, non exoſculatus eſt; cum Sapientibus PRIVATO quidem illô, SED tamen SUO, CONTENTUS.

III. Illud verò, cujus eſſe magnitudinis animi pronuntiem: quòd, oſtentatis in caput ſuum armîs, ac vi tantæ multitudinis, tot jam & oppidorum expugnationibus formidandæ, malorúmque graviorum minas intonantis, & ſævæ tempeſtatis more ſua quaquaverſum fulmina potentiámq; ſpargentis; ipſe, tractus propemodum, ac raptatus, &, (ſi *co-*

Valentinus Homonajus.

rona verticem ſuum ſubdidiſſet) honeſtam *neceſſitatis* excuſationem ab aliena violentia repertarus: quòd, inquam, nihiloſecius H*omonajus* auſus eſt, non modò non cedere furentibus. ſed inſuper ultrò graviter eos increpitare? *Cæſari* - juratam - fidem ingerere? prætereáq;, ni rebus turbandis abſiſterent, armis arma, caſtráq; ſe caſtris oppoſiturum, denuntiare?

III. Nec tamen intrà verba nuda comminationéſque ſubſtitit, hæc H*omonaji* magnanimitas; ſed is ad Cæſarianos, qui Caſſoviæ tunc præſidium agitabant, Legatos illico, litteras, ac nuntios expedivit, ſubſidiariam ab iis manum, & cæteri generis, pro rei neceſſitudine, ſuppetias efflagitatum: ſiquâ fortè rebellium à vi robuſtiore ſe premi, contingeret. Ad ſummam! quantum in ipſo fuit, ne raperetur in ſolium; ſtetit in campo generoſus H*omonajus*: ac ſceptri radiantis inviſo ſibi fulgori, vibrati ferri contumacem mucronem, & aciem, oppoſuit; dimicare, quàm imperare, flagrantior: *caderéque, glorioſius eſſe ratus, quàm ſic, ſuâ ſorte celſius, elevari.*

IV. Sed interim, nec H*ajducci* continuò ceſsêre detrectanti: prælium, & extrema, ſi reluctari perſeveraret, intentantes. Utrimque proin

proin caſtra gemina, geminæ caſtrorum cauſſæ, ſtabant; adverſis invicem infenſæ cornibus, & hoſtili fronte: cùm & è partibus his, & ex illis, promiſcua ferrent, & pro voto ducum, & contra votum eorum, atque cauſſam, poſtulata.

V. Quæ nunc igitur H*erſilia nova* (1), (ceu Romuli quondam, ac Sabinorum, adverſas acies,) divellat intercurſu blando bellicoſam litem? *Muſarum*, opinor, *una*, cæteriſque præſertim ſuaviloquentior, *Thalia*, negotium hoc capeſſat; & ingeniô, *Pacis* amiciſſimô, diſſidentem Hajduccis Homonajum, in concordiam redigat; fœderiſque certas leges ſcribat.

Interim, macté nobis animi! macté multùm, hâc tuæ mentis excelſitate, dux VALENTINE! macte, talî ſceptri, ſe tibi deſponſuri, repudiô! quandoquidem, Vitæ ſortiſque privatæ ſapientî delectamentô, TECUM HABITANS, docuiſti factis tuîs omnes potentiæ non-ſuæ ſubſeſſores; REMUM ſecuriùs, quàm GUBERNACULUM, tractari. Docuiſti, moderationis tuæ famosâ gloriâ, dominationum nimios, & intemperantes; *Cupiditatum effugium*, *præſtantio-*

Ff 3

Valentinus Homonajus.

tiorem eſſe, cujuſcunq; regni capturâ, quæſtum. Docuiſti, tumidîs arrogantiæ velîs navigare geſtientes, hominum affectus: *Prudentis eſſe naviculatoris, quoties duabus anchoris poſſit; in tutiore, ſuáque, tenere navim: relinquere verò fluctuantem, & alienam.*

TESTIMONIUM.

(1) *Livius l. 1. decad. 1. Ovid. Metamorph. l. 15.*

METRUM.

O, *Pulcrum! ô, rarum, ô, regni pro ſede, fugâq;,*
Litigium! &, quam Sphinx diſputet, ambitio!
Hoſtica Pannonicîs geminâ ſtant parte ſtativîs
Agmina; queis bellum eſt, hinc amor, *indè* fides.
Caſtra Valentinum *vellent* Hajduccia *regem:*
Hic, aquilæ *Hajduccos, mallet,* in obſequio.
Illi inſtant, negat hic: pugnant illi, iſte repugnat:
Cæſaris illi urgent excidium, iſte Themin. (1)
Regem *illi hunc;* laqueos, *vocat hic,* diademata regum;
Et Regnum, *quod plebs dat vaga,* Servitium.
Quantùm hi ſceptrum *igitur, tantùm* enſes *iſte minatur;*
Ac finis fiet litis, utrimque cruor:
Quò ne tam inſolitæ prorumpant claſſica rixæ,
Interpone tuum, Muſa *ſequeſtra, pedem.*

SIC

Septennii I. Annus 1607.

SIC ego. ſic, rapidùm ſe urgens, Elegëia, *quales*
Vidêre Auſonias *caſtra* Sabina *nurus;*
Si nihil hæc (infit) ſibi quærunt prælia, quàm, te
Ferre Coronatum, *dux* Homonæe, *caput:*
Hac breviter Pax lege poteſt coaleſcere; partem
Si voti ferat, *ac* perdat, *uterque ſui.*
Intactum gerat iſte caput, ſinè mole coronæ;
Nec tamen oblatò totus honore vacet.
GLORIA *ſi* ſequitur fugientem; *ut fugit honores,*
Sic pergat : Ducis ut ſit decus omne, fuga.
Is tamen in Fama regnabit: *eritque* fugacis,
Quam Caput *abnuerat, tota Corona* pedis.

NOTA.

(1) θέμις, fas, jus, *gracè. unde & Dea Juris ac Juſtitia nonnullis eſt: ac pro* jure *quoque (velut hôc loco) ponitur, ſicut Ceres pro annona, Pallásq; pro artibus. Ovid. metamorph. 1.* Fatidicámque Themin, quæ tunc orâcla tenebat *(al. canebat)*. Jus *porrò Cæſaris hoc, erat* In re: *regni nimirum* Hungarici.

Valentinus Homonajus.

APOCOMMA III.

Cæſaris Cardinalis Baronii vita, mores, ac mors.

I. BARONIANAM, in Volſcis Italicis, gentem, circa Liris amnis tractum, Campanorúmque principia, jam antiquitus inter nobiles floruiſſe familias; indicio ſunt, tabulæ Donationum CASÆ-MARIANI cœnobii: quod ad ſeptimum à Sora, Campanorum oppidô, lapidem, ſitum erat. Illic eæ, quas dixi, tabulæ ſervantur etiam hâc (utì ferunt, qui viderunt,) tempeſtate: quæ nomina præferunt, & auctoritatem, LEONARDI cujuſdam, & GEORGII; *nobilitatis* more (cuj præpoſitiones monoſyllabicæ placent) *de*, vel *à*, Barono ſe nominantium. Hos, (ut iiſdem ipſis è monimentis conſtat) certum eſt; ante quadringentos & quinquaginta jam Annos, nec in re tenuî, vixiſſe. Mos porrò gentis ejus & familiæ nominandæ ſic, ut DE BARONO dicerentur, cum ipſa ſucceſſione propaginis, in hæc uſq; tempora deſcenderat: donec, Latini moris ac modeſtiæ ſtudiô, primus id mutavit in BARONIUM, *Cæſar* hic; cujus

Digitized by Google

cujus hôc locô *vitæ* mortíſque compendium damus: viri, qui ſtirpis nobilis, ramus ipſe fuerit, & apex, nobiliſſimus.

II. Hic ortus SORÆ Campanorum, Annô ſalutis reſtitutæ M.D.XXXVIII. die III. Calendarum Novembris; parentibus genere (ſicut dictum eſt) ac virtute, quàm fortunis, & copiâ rerum, beatioribus: diſciplinarum liberalium, ac morum optimorum, rudimenta, natali primùm in ſolo, nec ſinè profectu conſpicuo, poſuit. Cujus is, & inſtitutionis, & auræ vitalis hauſtæ, gratâ civicâque memoriâ provocatus; in altiore poſtmodum fortunâ, *Soranum* oppidum, religioſô Patrum *Capuccinorum* conditô domiciliô, ſuîs impendiîs honoravit, & auxit.

III. *Romam*, ſub hæc, adoleſcens pietatis & eruditionis acuendæ gratiâ profectus; oſtendente DEI digitô, feliciter in Beatum *Philippum* illum *Nerium*, Congregationis, quam ORATORII dicunt, Auctorem incidit: cujus ſanctiſſimis ſe præceptis exemplìsq; vitæ formandum ſtatim dedit. Eô, divinitus priùs admonitô, pòſt autem admonente diſcipulum ſuum, intellexit *Cæſar*; SIC eſſe Cœlo viſum, ac decretum; ut is, extra

Cæſar Baronius.

quidem ſepta *Religionum*, in *Sacerdotio* tamen, non autem in cœlibatu, ſacrorum exſorte, nec in conjugio, vitam exigeret. Secundùm quæ, nihil cunctatus Cæſar, ſervitio Numinis, familiæque NERIANÆ, ſeſe totum, Eccleſiaſticis initiatus cærimoniis, addixit. Cùm autem in eo *duo* quædam eſſent, quæ jam olim ipſius inſederant animum, ſtudia; putà, PIETATIS, ac DOCTRINÆ: *primas* quidem partes (& meritò) tribuebat ei, quæ Chriſtianorum eſt operum, ac *virtutum omnium, fundamentum* (1), PIETATI: quæ, Divo PAULO judice, *Magnus*, & *utilis ad Omnia, quæſtus eſt*; (2) *promiſſionem habens vitæ, quæ nunc eſt, & futuræ.* (3)

IV. Potiſſimus igitur ei labor, adorandi Numinis erat: &, poſteaquam Sacerdotii munus aggreſſus eſt, præter *precum Canonicarum* debitum, ſuûmq; ſemper in orbem redeuntem, uſum; Sacrificiîs quotidianîs Deo placendi, conatus & amor ſtudium ejus accendebat. Proximus, ab hoc, *Reginæ-cœli*, Superorúmque cultus: quorum, poſt DEI Matrem, ante cæteros omnes, impensè venerabatur, duos Apoſtolorum Principes. In PETRUM verò cumprimis, quo quantóq; ſtudiô

diô ferretur; eô maximè tempore declaravit, quo, nondum adhuc publicîs, in uſum & commodum *Eccleſiæ* totius, occupationibus distentus, aliquantò plus abundare ſibi precandi facultate videbatur: etſi nec tunc quidem illius excurrendi libertatis unquam ſeſe prodigum exhiberet. Ante *ſcribendi* provinciam igitur impoſitam ſibi, *Vaticanam* PETRI *baſilicam*, annîs compluribus, nullo non die, nec ullîs temporum aut tempeſtatum injuriîs incommodîsve deterritus, frequentabat. Eâdem verò propoſiti conſtantiâ, *bis* quot-diebus, diluculò primùm, iterum ad veſperam, *annîs novem continuîs*, urbis Romanæ *valetudinaria publica*, ſolandis ac fovendis ægris, obibat: quantumvis æger ipſe ſæpe, febréſque ſecum circumferre ſolitus. Ad hæc tamen, ea charitatis officia, quæ curationem corporum plurimùm antecellunt, præcipuas inter ſollicitudines & curas habere. Delicta confitentibus, aures aſſiduè præbere. privatim quoque commeantes ad ſe, quantumlibet præfecturâ gravatus Domûs-Oratorii, conſiliis & adhortationibus inſtituere, pænè quotidianîs. Ad populum deniq; ter quatérve ſeptimanîs omnibus dicere, per *annos pluſquam triginta*, non prætermittebat. Hos

Cæſar Baronius.

Hos porrò labores tantos, fuiſſet fortaſſe, qui ſibi ſufficere cenſuiſſet; ad *officii perfectionem*, numerîs omnibus implendam. At non *Baronius*: ut, qui ſciret, IN HUMANA Carne ſpiritum, ac virtutes, niſi frequenter ad cotem rigoris aſperentur, hebeſcere. Suarum igitur occupationum *Cæſar* molem aggravabat ultro, noctium vigiliîs, & inſomniâ; ciborum mirandâ parſimoniâ; ſeverioris item auſteritatis jejuniîs; cilicinarum veſtium, ac ſuî verberationum, uſu perfrequentî. Quibus talibus, & id genus aliis ſuæ cutis exercitamentîs, PAULI, cujus, in templo ſuo, cultor erat, æmulus in exemplo fiebat; CASTIGANTIS CORPUS SUUM, *& in ſervitutem redigentis.* (4) Hæc autem ut vim haberent, nervúmque ſuum; comitem habebant MEDITATIONEM FREQUENTEM; quæ CARNIS eſt ipſa quoque, ſi vel nuda ſoláque ſit, jugis AFFLICTIO. (5) *Meditationum* verò *Baronianarum* potiſſima juxtà, pænéq; perpetua, fuit *Noviſſimorum*, quæ contingunt Homini, *Contemplatio.* Nempe, rerum illarum, quas expediret, *Doctis* omnibus eſſe cordi (quippe, quibus *Scientia*, ſine finis providentia, dementia

tia ſit) ipſe profundum uſqueadeo mente ſenſum conceperat; ut ſermonem omnem, omniáque negotia, JUDICII ſupremi, MORTISque mentione, diſpungeret: quin, & *Annuli* palâ non uteretur ad ſignandum aliâ; quàm, cuj vel MORTIS effigiem, vel deformem calvariæ formam, aurifex, aut glyptes, impreſſiſſet. Quam tam utilis & Chriſtianæ philoſophiæ conſuetudinem, in viridiore jam tum ætate, minoréque vitæ conditione, ſibi familiarem; poſtea nec in *purpura* quidem dimiſit; nimirum, ſemper & ubique ſibi *moriens*, qui nunquam non, & nullo non locô, ſuîs in Operibus, *victurus* eſſet.

V. ATque talis quidem, in palæſtra PIETATIS, *Cæſar* hic noſter erat. Quid dubii jam eſt; quin & in litterarum ERUDITIONISq; curſu, (quem is VIÆ PERFECTIONIS ſociabat) nihil prætermiſerit contentionis; nihilque detrimenti ceperit? cùm DOCTRINÆ SOLIDÆ certior apertiórq; SEDES nulla ſit, quàm BONA, CONJUNCTAQUE DEO, MENS.

Ac nactus quidem BARONIUS erat, omnis POSITIVÆ (quam vocant,) item *Agoniſtica*, ſeu Religionis-Controverſiarum; & præ-

Cæſar Baronius.

præter has, THEORICÆ PRACTICÆq; divinorum Scientiæ, profundiſſimam notitiam. quo nomine, CLEMENTIS OCTAVI ſacris Confeſſionum arcanis admotus eſt: ſimùl & Eccleſiæ publicis conſiliis adhiberi cœptus.

Præ cæteris tamen, ECCLESIASTICÆ deprehenſus eſt HISTORIÆ, quodam incredibili flagrare ſtudiô; nec illius eruditionis minore provehi ſucceſſu: ſtimulante præſertim Cæſarem ſuum etiam ſanctiſſimô virô, Sacerdotéque DEI, *Philippo* (de quo dicere ſuperiùs orſus ſum) NERIO; cunctarum Cæſaris actionum arbitrô, legitimôque moderatore.

VI. Cæterùm, *Philippum* hunc, fama conſtans eſt, atque certa, cùm in precibus die quodam eſſet, ſolitò calidioribus; *prophetici* Spiritûs cœleſti radiô colluſtratum, ſubitò diductô veluti terræ barathrô, reſeratas *Tartari* vidiſſe *Portas*: ex iiſque prorumpentes, in Eccleſiæ labefactationem, eas ipſas, quas ſubinde Magdenburgenſes protrusêre, *Sathanæ* Cyclopéas operas, *blaſphemiarúmque* CENTURIAS. Quibus conſpectîs intellectîsq;, NERIUS, ad ſe confeſtim accerſitum Baronium affatus: *Monſtravit*, (inquit) *mihi Deus, fili Cæſar;*

Cæſar; quantum ab inferis, ſectariorum conjuratione, mali pugnarúmque matri cudatur Eccleſiæ: quanta mendaciorum agmina Sponſæ CHRISTI debellandæ conglobentur. Tu proinde, quem ego nunc, ex omni meorum numerô, ſolum idoneum inſtructúmque judico, ſicut vir fortis accíngere: Spiritûsque correptô gladiô, *linguâ calamôque*, DOMINI certamina præliare.

Dixit hæc Cæſari *Philippus*, in ea, quæ retuli, verba. Neque ſine cauſſa pugnam ab eo voluit, & LINGUA pariter, & CALAMO, tanquam in *ambidextri* morem, iniri. Quod, cujuſmodi fuerit, paucîs exponam.

VII. Exſtruxerant ſub id tempus Romæ, munificentiâ piorum, Ædem novam, Beatæ MARIÆ Virginis memoriæ dicatam; & à loco, quem occupabat, IN VALLICELLA dictam. Ibi *Congregationis-Oratorii* prima ſtatim familia, Sacra Deo faciebat; ac Divina populo myſteria conferebat. Ut autem & aures iîs, quæ pertinebant ad cœleſtia, paſcerentur: inſtitutô Nerianô quot-diebus ad populum Sacerdotes *quaterni* verba faciebant. In his, unus quiſpiam *hiſtoriam* (utì refert Janus Nicius Erythræus) *eccleſiaſticam*, ordine temporum ab ortu Chriſti ductô, ſuſcipiebat exponendam;

dam; quoad enarrationem ejus, ad ætatis uſque noſtræ viciniam, evolveret: ídq; frequentî ſemper, & avidô talium, auditore. Præſtabat autem id ille (ſicut dictum eſt, & Divus Philippus à Cæſare fieri volebat,) *linguâ*; deſignatâ ſtatâque ſub meridiem horâ. Quod ut à Cæſare potiùs BARONIO, quàm ab alio, fieret, non Rebus duntaxat à Chriſtiana Republica GESTIS, ſed & RITIBUS orthodoxîs exponendîs, ac ſuo quemque principio vel origini reddendis: id enimverò vehementer NERIUS urgebat; in id unicum unicè, vir ſanctiſſimus, incumbebat; hortator, & incitator aſſiduus. Ac Cæſar ipſe, ſemel eam in rem animô firmiter inductô, ſtimulus erat ipſe ſibi: nunquam non ad *diſſerendum* accuratè, multôque ſtudiô, præparatus; librorum præſertim infinitâ lectione. Quo proinde factum eſt; ut ſenſim, intrà *triginta* ſpatium *annorum*, in *Oratorio*, per temporum Annorúmq; gradus exactâ ſervatâ ſerie, (quemadmodum *Philippus* expetierat) ECCLESIASTICA cuncta GESTORUM ENARRATIO, *ſepties* omnino percurreretur. *Ore* facta ſunt iſta; perſpicuâque, *fugitivâ* tamen, &, (ut omnis eſt ſermo) *mortali* dictione. quæ tamen

men ut *Immortalis* quoque fieret; eodem impellente, qui *Linguam* Baronii ſtimulârat, NERIO; tranſitus eſt factus ad *Calamum*: utilitate (quis dubitet?) comparationem omnem infinitîs ſpatiîs transſcendente.

VIII. *Scriptionis* autem ductum initium, *Baronianâ manu*, fuit, à volumine, cuj NOTARUM AD MARTYROLOGIUM *Romanum* titulus eſt. Ejus verò, non ſanè minùs operoſi, quàm eruditiſſimi, laboris calcar, *Baronius* habuiſſe ſe profitetur, (6) *Singulari virum pietate*, nęcnon *eruditionis Summa*, GULIELMUM SIRLETUM; Eccleſiæ Romanæ *Cardinalem*, & *Apoſtolicæ* BIBLIOTHECÆ præfectum. Cæterùm NOTATIONUM iſte, quem dixi, liber, omnibus *eruditionis Eccleſiaſticæ* cupidis, non in deſiderio tantùm, ſed & manibus crebrò verſandus; magnam, imò per omnia conſonam, habet hiſtoriæ concordiam cum *Annalium*, quæ poſtmodo ſubſecuta ſunt, voluminibus. quoniam, *jam tum* eos ſe, privatos intrà parietes, & in umbra ſcripturiendo, *luci publicæ præparâſſe*; non obſcurè Sixto V. Pontifici Baronius ipſe confitetur. (7) Quod porrò, tot per annos, *Cæſar* emeditatus fuerat, & quo-

Cæſar Baronius.

dammodo *parturierat*: id *edere* tandem, inſtante quotidianis cohortationibus Divo Philippô, cœpit: *Annalium*, inquam, *Eccleſiaſticorum* Opus; ſingulas annorum *centurias* totidem voluminibus complexus. Ea *Duodecim* numerô fuerunt; hodiéque plurimorum in manibus ac bibliothecis ſunt. Ea principium à VERBO capiunt, quod, cœlô ſe demittens, (cùm cœlum interea, Patríſque Sinum, non relinqueret,) in terris CARO FACTUM EST. Finiit verò Tomorum illum, quem dixi, numerum, in INNOCENTII III. Pontificatûs anno primô: quò quartum ſui dominatûs Græcorum Imperator, *Alexius Angelus*, agebat; mundus autem Chriſtianus Annum ab ortu Servatoris ſui numeraret, Milleſimum, centeſimum, nonageſimum octavum. Tantum Sæculorum exhauſit, ardens Baronii, bene merendi de bono publico, ſitis!

IX. Continuò verò, primô vulgatô *Tomô*, (qui, propter rerum Eccleſiæ naſcentis origines, & fundamenta demonſtrata, meritò *Magni* poteſt *Palatii veſtibulum ornatiſſimum* appellari) palàm eſſe cuivis æquo rerum æſtimatori potuit: quanti *laboris* univerſa moles illa; quanti *prodigii*, ſucceſſus eſſet, & con-

conſummatio, futura. Nam certè quidem, Ad *Laborem* quod attinet, parùm dicit, qui narrat; Eum, qui tam vaſtum cœpit opus, ac cœptum exſecutus eſt, Non *ſcripſiſſe* tantùm, ſed & *lucubrâſſe*: contentum nocturni ſoporis & quietis *horîs quaternîs*; aut, ſi multùm, quinîs. poſt quas (etiam ætate jam ingraveſcente) diſpulsô ſtrenuè ſomnô, tempus noctis reſiduum, inter preces eum partim, ac partim inter lectionis ſcriptioníſque negotia, ſolitum eſſe tranſigere. Sed hoc commune Cæſari Baronio, cum aliis non pauciſſimis, fuit.

Illa verô difficultas, ac laboris laus, ei peculiaris: quam nemo penetrâſſe profundius mihi videtur Erythræô, *Pinacothéca* ſcriptore; cujus, ad numerum ferè ſyllabámq;, ſuper eo, verba ſunt; *SE, cùm in ejus ſcripta mente cogitationéque rapiatur, planè vehementer exhorrere, nec aſſequi ſatìs intelligentiâ poſſe; qui factum ſit, ut homini, confeſſionibus excipiendîs, ſermonibus habendis, Sacroſancto MISSÆ ſacrificio faciendo, precibus horariis recitandîs, neceſſariâ denique curâ corporis, occupato, tantum ſpatii temporis contigerit: ut immenſam vim rerum, ac varietatem, per infinitos penè libros diſſi-*

Cæſar Baronius.

diſſipatam, ac diſperſam, colligeret; intelligentiâ comprehenderet; de comprehenſarum unaquaq; judicaret; ac denique litteris accuratè doctéque mandaret. Mira non immeritò viſa ſunt hæc *Erythræo*: ſicut erant. Mirabiliora verò multò mihi, quæ ſcriptor hic, ſuper eodem aliquantò ſuperiùs, in ejus *Imagine* formandâ, diſſerit: ac talia ſunt. Cùm enim nos *Baronium*, è vulgato per orbem ſenſu ſapientum, Doctrinîs ſuæ profeſſionis ac fori, quàm optimîs *excellenter* inſtructum fuiſſe tradiderimus; à qua ſententia neque nunc diſcedimus: *Nicius* hic tamen ait; *In Cæſare noſtro, priuſquam Opus hoc Eccleſiaſticum aggrederetur, Doctrinam extitiſſe mediocrem; eruditionem vulgarem; Latinè ſcribendi (quis crediáiſſet?) uſum, propemodum nullum. Poſtmodo tamen, tantas Ingenium meditando, doctrinam legendo, ſtylum ſcribendo, vires accepiſſe; quantæ Scriptorem Chriſtianum, de rebus maximis atque graviſſimis agentem, decerent. Has, omnibus legendis Scriptoribus, tum Latinîs, tum Græcîs aut Græcolatinîs; ſacris, profanis; veteribus, novis; editis & ineditis; prælô vulgatis, ac manu-ſcriptis, adeò roboráſſe Cæſarem hunc: ut Arbor iſta cognitionis rerum-Eccleſiæ, gratiæ cœleſtis imbribus*

bus irrigata, cæterarum Paradiſi dominici ſtirpium nulli cedere videatur. Unde concludit demum: *Quocunq; cogitatione ſe flectat; aliud ſe non reperire: quàm, Opus hoc Eccleſiaſticorum Annalium, Eccleſiæ cumprimis neceſſarium, (in tanta præſertim Veritatis, per ſectarios, idololatras, Judæóſq; perfidos, adulterandæ petulantiâ) niſi præcipuô, Numinis primùm inſtinctu, dein auxiliô, poſtremùm & MIRACVLO, nequîſſe tam magnîs animîs ſuſcipi; ſuſceptum, tam conſtanter decurri; decursúmq;, tam proſperè conſummari.*

X. TANTUS igitur, ac TALIS, cùm eſset hic, quem diximus, ingenii *Baroniani* partus; jurè meritò, cum luce pariter, favorem quoque totius Orbis *orthodoxi* tulit: ut jam ægrè quidquam Antiquitatis Eccleſiaſticæ, Geſtorúmque priſcis à Chriſtianis, gratiam habere ſaporémque crederetur; niſi, quod ab approbatione Baroniana pondus & auctoritatem traxiſſet. Quæ cùm ſic haberent ſe; non facilè quiſquam intelligentiorum erat; qui non divinatione quadam, ac præjudiciô ſuô, *ſacri* ſupremíque Senatorum in terris collegii *purpuram* ei deſtinaret. cùm is tamen interea nihil minùs, quàm eo de ſplendore, cogitaret:

nihil item æquè, *velis* (ut ajunt) *remisq;* fugitaret, quàm popularem auram, & ipſas etiam Curiæ ſummæ dignitates. quippe, qui primis adeò, jam tum, à liminibus aditi *Sacerdotii*, conceptiſſimîs, crebrôque votô repetitîs verbîs, eas ex animi ſententia, procul à ſe removiſſet; &, ad ſummam! divinis in oculis (quos fallere, vel circumſcribere, nemo poteſt) ejurâſset. Unde videas, qua Veritate ſenſerint atque ſcripſerint Acatholicorum nonnulli, maledicentiores; *STUDIIS partium*, *& ad Pontificis Romani nutum*, *non autem ad libellam ac pondus Veritatis*, *tractatam à Baronio fuiſſe*, *ſeu* Faſtorum *Eccleſiæ*, *ſeu* Sæculorum, *hiſtoriam*. *Auctoramentum* (8) *enim*, *ac veri vitiandi grande manupretium*, *monſtratum è proximo fuiſſe Scriptori*, galerum purpureum: *eiq; tandem*, Cardinalis *cùm renuntiaretur*, *ex compacto repræſentatum*. Quam nos calumniam, opus non eſt, ut verboſiùs eventilemus: cùm conſtet; Et ſerò tandem à Baronio dignitatem illam, & (quod accidit in Bellarmino quoque) non niſi cum fugâ, lacrymis, ac deprecatione, fuiſſe ſuſceptam. Non exſpectâſſe verò decus hoc Cæſarem, minimô minùs verò, Magnatum ſibi corrogatîs ſuffragiîs, pren-

prensâſse; debuit obtrectatoribus illius indicio fuiſſe, vel iſtud: quòd is, & liberè de *Jure Regum* in quoſdam Eccleſiaſtici tituli fundos, ac terras, diſſeruerit; & ipſa *Pontificum* (quoties ità res exigeret) probra-morum non prætergierit: reverentiâ *Sedi* ſervatâ, nævis autem *hominis* improbatîs. Ex quo, judicare cuivis, rerum intelligenti, pronum fuerit: eâ talî, gerendi ſe, ſcribendíque, ratione, *Cæſarem Baronium* alienare potiùs à ſe, quàm ambire, vel exſpectare, promoventium voluntates, ac ſtudia voluiſſe, viſum eſſe: properreáque, ſuô pro voto deſideriôque, *reipſa* diu latitâſſe; nemine libenter curarum ejus, meditationúmque curſum, Eccleſiæ bono publico cœptum & progredientem, inquietare volente: nemine Virum graviſſimum interrumpere negotiîs Curiæ, prorſus ab ejus inſtituto discrepantibus, ſuſtinente.

XI. Non tamen ideò, quòd *divinitus* ſuper eo decretum erat, evitare *Cæſar* in univerſum, aut perpetuum, potuit: neque prohibere, *quò minùs Gloriam incurreret*, *qui gloriam excutiebat.* Primus autem eum, ſuper aureum Eccleſiæ candelabrum ſenſim collocaturus, CLEMENS Octavus Pontifex, *Protono-*

Cæſar Baronius.

tonotarium conſtituit *Apoſtolicam*; ad eam reſcriptum *Notariorum* claſſem, qui, muneris illius ordinísque primi, *Numerarii* dicuntur. Id muneris verò *Cæſar*, invitus, crebróque deprecans, ingreſſus, & tamen ſollerter adminiſtrans; interim *Conſcientiæ* quoque *Pontificis* (ſicut alibi ſubindicatum eſt) admovetur: donec tandem, non ſinè vi, dolôque piô conſtrictus, & CLEMENTIS, (ſi detrectare perſeveraret) minaci robuſtâque Dirarum intentatione percuſſus; *Eccleſiæ* Romanæ *Cardinalis*, adjunctâ Vaticanæ bibliothecæ ſupremâ Præfecturâ, declaratur. Id, quod factum eſt, eâ *ſcandentis* ad ſublimiora voluntate, quæ maluiſſet ad infima quæque *deſcendere.* Privatam interea vitæ ſortem, quoad licuit, itâ *Baronius*, jam *purpuratus*, retinuit: ut, (Erythræô teſte, de quo ſuperiùs dictum eſt) *nec Obedientiam, quam ſuæ Congregationis Rectori NERIO præſtiterat, unquam relinqueret: neque cubiculi ſui, cujus intrà parietes, Annalium illam ingentem molem exſtruxerat*, clavem *unquam deponeret: ne ſibi reditûs, priſcum ad locum, ſpem & facultatem præcideret: ſiquando divinîs è rationibus ſibi viſum foret, eò ſeſe denuò recipere.*

Cæte-

Digitized by Google

Cæterùm, ſubiit hujus, quam dixi, dignitatis onus, *Cæſar Baronius*, annos ipſe natus *duodeſexaginta*; reſtitutæ per Chriſtum ſalutis, annô milleſimô quingenteſimô, nonageſimô ſextô, Nonîs Junii: *Cardinalis-presbyter*, tituli, quem illi fecerunt Divi Nereus, & Achilleus, Flaviæ Domitillæ Virginis inſtitutores domeſtici; pænéque naſcentis adhuc Eccleſiæ præclari *Martyres*. Horum ille ſacram, ſed tunc collapſam, ac ſolo penitùs æquatam, *Ædem*, inter primas omnium curas habuit; ſuîs è reditibus non reponere modò, ſed & ornare: translatîs in eam, quas antehac in æde ſua *Divus Adrianus* velut hoſpites attinuerat, trium illorum, quos antè paullò nominavi, Martyrum ſacris reliquiîs, atque cineribus. Ità *Cœleſtes* in terris honorabat *Cæſar*; quorum ipſe tituli viciſſim honoribus aſpergebatur è Cœlo.

XII. Vixit autem in ſummæ curiæ purpurâ *Baronius*, qualis olim in *Oratorii* ſacri, Vallicellæque, togâ: quin imò tantò ſanctiùs ac probatiùs, quantò jam eminentiore locô; mortaliúmque ſimul, & immortalium oculis, ad aſpectum apertior. De quo (ne longior ſim) impræſentiarum id dixiſſe ſatìs ſit: Eam

Cæſar Baronius.

illius fuiſſe vivendi ſcribendíque, cum Sancti-monia, majeſtatem: ut, quod ſuggillaret, ne *rumor* quidem (alioqui *mentiri facillimus*) reperiret: quod autem in *moribus* ejus arroderent, ne Momorum quidem, aut Satyrarum, dentes haberent. Sic enim & inter Honores agebat: ut, qui mallet iis, & in univerſum omni Publico fulgori, ſubduci; privatæque vitæ reſtitui. SALUBRIOREM enim, in tantis, periculosè tractandi dignitates, occaſionibus, animo ſuo cenſebat *Umbram* eſſe, quàm *apricum*.

Ac verò, quò ſuſpirandum eſſe ſibi ſæpius ad *futura* bona, quàm *præſentia* complectenda, non obſcurè, nec oſcitanter, adverteret: viſus eſt ei divinæ manûs Index litteratus, & *chronologus*, oſtendere. Nam annô plus minùs unô priùs, quàm à *Clemente* Sacrum in Collegium cooptaretur, hoc eſt, ſæculi ſuperioris nonageſimô quintô, tredecim autem annîs antè, quàm vivîs excederet; in morbum *Cæſar* implicitus, medentium arti contumacem, & omni mortalium opi clauſum; ſecundùm quietem (quanta quidem ab ægro capi potuit) ſemel iterúmque vidit, ac tertiò; monſtrari ſibi, deſignaríque manife-ſtiſſi-

ſtiſſimè, numerum, Romanîs hîs, quas pono, notîs expreſſum,

L X I X.

Quod viſum ipſe cùm à ſe depellere nec nôſſet, nec omnino poſſet: vehementiſſimîs ad DEUM precibus effusîs, indagare conatus eſt; *Eccujus tandem rei, negotiive, ſignum id eſſet?* Reſponsô verò tandem, ab arcaniore, ſed indubitabilî, voce redditô, *MORTIS id eſſe decretorium tempus: annôque vitæ ſexageſimo nonô deceſſurum*: exſultans *Cæſar*, excepit oraculum; poſteáq; (nam ſub hæc convaluit) ſuîs in libris, ac ſchediaſmatîs, paſſim conſignatum numerum eum, amicorum quibuſdam interioris notitiæ, monſtravit, & expoſuit: Silentii tamen interim, quoad vita ſua duraret, fidem cum eis depactus. NAM, *temerè vulgare cœli decreta, nulliúsque cuſtodiæ religione ſepire: jactantis eſt, non, cœleſtia reverentis.* SECRETUM TUUM eſto Tibi! ſi tuam in rem eſſe debet.

XIII. Ab eo porrò tempore *Baronius* futuri deceſsûs ſui, non quotidianam mòdò, ſed horîs propè ſingulîs iteratam, meditationem tantô complexus eſt ſtudiô; quantum ſuperiùs in eo laudavi. Poſtea verò, quàm *An-*

Cæſar Baronius.

Annus ille *fatalis* propinquare cœpit; priuſquam penitùs ingrueret, multò *Cæſar* intentior in curam ejus, nunquam aliter divinam *Eucharistiam*, niſi tanquam *Viaticum*, nunquam delictorum *exomologéſin* ſecus, ac ſupremam & accuratiſſimam, obivit. Ac, quoniam *Duodecimus* tunc Annalium *Tomus* ſub prælo jam erat: diſertis *Baronius*, clariſſimîsque verbîs, in capite primùm Operis, dein rurſus ad calcem, admonere Lectorem ſollicitus fuit; *Inſtare ſupremum ſibi diem.*

Ac ſanè, nec oſtentô falſus eſt ipſe; neque cæteros præſagiô ſuô fefellit: quippe, ſubtractus è vivis, eodem ipſo, quem nocturnam per imaginem *numerorum* acceperat, Ætatis annô *ſexageſimô nonô*; pridie Calendas Julias: cùm univerſim explêſſet annos octo, ſupra ſexaginta; menſes inſuper octo, qui ſexageſimum nonum maxima ſuî parte ſuperadjicerent. Vir, utique digniſſimus; cuj, munere cœleſtî, prætérque communem mortalitatis legem ſepoſitô, tot, pro gloria Numinis, & Eccleſiæ ſplendore, Sæculorum percurſori, meta contingeret ANNUS is, è cujus decurſu cuncta pendent, ac pendebunt; ÆTERNITATIS, inquam, *triumphalis*. Dignus deni-

denique, qui, niſi DUODECIMO geſtorum annalium confectô ſtadiô, bravîi præmiîque ſui gloriam haud relinqueret; quò vel ipsâ numeri perfectione coronaretur.

XIV. Deceſſit autem, *Eccleſiæ* cunctîs præmunitus *myſteriîs*, annô Salutis, in quo nunc enarrando verſamur, *Sæculi noſtri Septimô*: cûm, intentîs in cœlum oculîs, identidémque ſalutifero JESU Servatoris imploratô Nomine; JACOBO ſimùl SIRMONDO, Societatis JESU Sacerdoti litteratiſſimo, ſibíque cumprimis ſemper charo, vale ſupremum, pæne jam animam agens, dixiſſet. Eidem autem hujc, & ſtatuam è Cruce pendentis JESU, grandem, & ex ære fuſili præſtanter efformatam, dilectionis mutuæ monimentum, ac pignus, legavit: eam nimirum ipſam, cujus *Cæſar* ad aſpectum, & fundere preces, & ſcriptitare ſuos Annales omnes, aſſuêrat. Quæ poſteaquam facta ſunt, ſenſuum integerrimus, frontéque, (quoad natura dedit,) ſereniſſimâ, tam placidè *Baronius*, ac leniter, vivere deſiit; ut aliquamdiu circumſtantes exitus ejus fefellerit; & *mors* ejus *vivere* videretur.

Conditus autem eſt, in Oratorii *Vallicellen-*

Cæſar Baronius.

cellenſis illâ, quæ DEI-genitricis, ac Divi Gregorii titulîs inſignitur, Æde; ſarcóphagô, forìs quidem plumbeô, ſed interiore cédrinô. cujus utique materiæ vivacî diuturnitate, ſicut ejus Opera, ſic & auctor, ſuprà Livios, Trogos, ac Plinios univerſos, digniſſimus; quieſcit incorruptà famæ gloriâ, *Cæſar Baronius Soranus.* Is fuit, corporis ac ſtaturæ dignitate conſpicuâ: vultu, frontéque, qualem ſeriæ ſtudiorum curæ ferè pariunt, rugîs adductâ, gravî, Catonianâ. vividîs interim oculorum luminibus; mentôque, non abſque majeſtate, prælargè quidem, ſed circumcisè, barbatô. Non interim perinde vividæ robuſtæque partes ejus interiores (ſi *cor* exciperes); vitium præſertim *ſtomachi* contraxerant. Cujus languor, etiam antè jam, quàm ſenectâ vegeti ſpiritus exhaurirentur, in nauſeam magìs magíſque diffluere facilis; è debilitate ventriculi tabem ſenſim, è tabe verò, fugam omnis admodum alimenti tam ingentem invehebat: ut nullus, quantumcunque fortè per miniſtros accuratè præparatus, cibus aliud ei videretur eſſe; quàm ſupplicium, ac tormentum. (9) Cadaveri dixiſſes, non autem eſurienti, menſam apponi. Sed non mirum. Hac namq; ferè lege

vitam

Digitized by Google

vitam trahunt; qui, ſtudiorum æternâ contentione, calorem, coquinæ nutrimentorum neceſſarium, à medio viſcerum ad caput cerebrúmque ſurſum rapiunt: unde cunctam ſenſim valetudinem in præceps agant; útque, qui librorum ac litterarum genus omne, non ſinè pulvere bibliothecarum, devorant, librariîs invicem ipſi quoque curîs exedantur. Ità viſcera ſua, bombycum exemplô, commodis aliorum impendentes; lectoribus avidis *fanum*, & *oraculum*; ſibimetipſis autem *Sepulcrum*, fiunt. Hæc igitur in *Baronio*, quæ dixi, bona maláque *Corporis* fuerunt.

At *animi* picturam, & ingenii, *Scripta* Cæſaris exhibent: quæ, conſenſu gentium, BARONIUM repræſentant HISTORIÆ CHRISTIANÆ PATREM: Annaliúmque ſacrorum conſummatiſſimum CONDITOREM.

XV. Redeamus autem nunc illuc, unde paullùm digreſſi ſumus: ad *obitum*, inquam, Viri multò clariſſimi. de quo, ſiquis roget, in quódnam *Tempus* inciderit ejus *exitus*? & breviter, & abunde tamen, ei reſpondebit, iſta Faſtorum Funeralium gnoma; quam nos ei condidimus, Baronianis cineribus inſcriptam, in

Cæſar Baronius.

in has voces; *UNUS, & IDEM, Anni M. DC. VII. dies, & Junio menſi fuit, & Cæſari, Cardinali Baronio, ſupremus.*

Cujus nos cùm *Vitæ gloriæq́ compendium* hoc Apocommate præmiſerimus: in præſenti ſatìs habebimus, eruditorum, etiam extra Nicium, & Italiam, ſuper eo laudare generatim honorificum judicium: unius autem ſolius, è mille, (ne lectorem turbâ fatigemus) proferre.

Gallus is ſcriptor eſt, *Rodulphus Boterejus*: qui, *Miraculo futurum, aſſeruit*, Si tot ſæculorum Eccleſiaſtica Geſta, *Baronianîs* ab *Annalibus* per *duodecim centurias annorum* explicata, lector, unius ſæculi vivax, indagine tam operosâ tot auctorum, evolviſſet. *Lugendam planctu publicô, prematuram tam utilis & ſolertis hiſtoriographi mortem eſse: cujus, ut vix quiſquam indefeſſam diligentiam, ſic* (iſtâ quidem ævi noſtri brevitate) *nemo ſucceſſum ſit æquaturus: ut UNUS IDEMQUE VIR Opus tam ingens cœpiſſe ſolus, ac ſolus finiiſse, dici queat. Difficillimam Baronianæ Continuationis provinciam Succeſſori*, quicunque demum eo titulo ſeſe venditare ſuſtineret, futuram eſſe: ſive ſtyli quis, æqualiter incedentem, per tot

Digitized by Google

tot tomos, conſtantiam; ſive maturrimam argumenti gravitatem, ac delectum; ſive judicii canum ubique ſenſum, & lucubrationum laborem inimitabilem; ſive denique Scriptorum, veterum pariter ac recentium, incomparabilem evolutationem, & omnis humanarum juxtà, divinarúmque rerum, notitiæ ſolidiſſimam poſſeſſionem, expenderet. Hic *Botereji*, de Baronio, ſenſus eſt. (10)

Ac ſanè, conqueri lamentaríque *Tempora* poterant, & *anni*, de tanti ſui concinnatoris exceſſu mortuali: ni ſolatium eis CHRONUS, *temporum* ille (ſi poëſi fides eſt) genitor antiquus, ſuggereret: *Immortalitatem* optabilem ejus etiam *morti* pollicendo; *duodecim* è *voluminum* arduâ ſtructurâ, multò ſinè dubio clariorem, ac diviniorem, æſtimandam; quàm, qualem HERCULI, ſemideo ſuo, vana priſcorum ſuperſtitio tribuit, è *Duodecim* ejuſdem *Laboribus*.

Et profectò, quis ſanæ mentis lector non pluris faciat, Tot Eccleſiæ naſcentis, adoleſcentis, & multo robore jam adultæ, *ſæcula*; (ſive quis *aurea* velit ea, vel *argentea*, ſive cujuſvis ſenſim metalli ſplendentis alterius, adhuc tamen pretioſi, nomine cenſere,) ſtylô forti di-

Cæſar Baronius.

geſta? quàm Cleonæi, neſcio cujus, leonis; quàm, hydræ Lernææ, Suis Erymanthii, volucrum Stymphálidum, aërípedis cervi, ſtabulorum Augíæ, flammivomi bovis, pharetratæ viraginis Amazoniæ, Diomédis quadrigarum, tricorporis Geryonis, draconis ſororum Heſperidum, trifaucíſque Cerberi victorias; *Fabulas*, inquam, numerô ſuî multas, mole pompæ grandes, & veritate nullas: antiquitates, commentô fictiles, clavâ monſtroſâ bellaces, poëtarum bullîs ampullatas, ac nugarum inaniîs ventoſas!

TESTIMONIA, ac NOTÆ.

(1) *S. Ambroſius in Expoſitione pſalmi 118. Sermone 21. ſuper verba, Principes perſecuti ſunt me.* §. Impugnatur, quaſi veneficus. (2) *1. ad Timoth. cap. 6. v. 6.* (3) *In eádem 1. ad Tim. cap. 4. v. 8.* (4) *1. Corinth. cap. 9. v. 27. In Græco verba ſunt ponderoſa, contra talium aſperitatum ſpontanearum irriſores, heterodoxos.* ὑπωπιάζω μου τὸ σῶμα, ϗ δουλαγωγῶ. Ich führ ihn / wie einen Knecht vnd Sclaven / an die Strenge / vnd in die Zucht. *De* ὑπωπιασμοῦ *&* ὑπωπιάζειν, *vide plura, & doſta, in Noviſſi-*

viſſimo Græcol: collectore : ex Ariſtot: & al: (5) Eccleſiaſtæ cap. 12. v. 12. (6) Epiſtolâ nuncupatoria Martyrologii, ad Sixtum V. Pontif. max. (7) Epiſtolâ citatâ. (8) Pretium, quo milites auctorati, hoc eſt, ſtipendiô conducti, obligantur. Der Sold. Das Lauffgeld. Der Lohn auff die Hand. (9) Janus Nicius Erythræus, ad finem, de Baronio. (10) Contractum hoc Vitæ Baronianæ Compendium (& verbîs tamen, & methodo, per omnia diverſis) ex Annalibus illius eſt, locîs diversîs; atque ex ea Vita Epitoma, quam comportavit Henricus Spondanus. Petulantiſſimè verò Baronii, in ſcribendo, Veritatis ſtudium Jacobus Focanus inceſſit, Libello De ratione Studiorum, ad Jodocum Lodenſteinium, capite de Antiquitatibus Eccleſiaſticis, ex Caſauboni in Baronium Exercitationibus. Quos, aliósque Baroniomaſtigas, refellere, non hujus fori, Libríq; non operæ adeò, pretiíq;, fuerit. Quid tum enim, Si Leonem Catellus allatret?

METRUM.

Lux ad Quinctiles ſupèr una, breviſque, Calendas,
Summáque JunonI linea menſis erat;
Cùm tremulo ſpirans jam ſola Baronius ore
Aſtra; Vale! (dixit) lux mihi; Roma, vale!

Cæſar Baronius.

Nos jam Solem alium, Solymásque inquirimus illas,
In quibus æternâ firma ſtat arce Sion.
Dixit: & exceſſit. Flebant cum Menſibus Anni,
Ac cum ſollicito Tempus, & Hora, Die.
Ipſæ adeò, aſſiduâ vigilatæ lampade, Noctes,
Tingebant ſiccas lumine flente genas;
Cujnam exhinc Annos, cuj Faſtos, aut fore curæ
Luſtra Itala, aut Grajæ gentis Olympiadas?
Tam dignis écquem pretioſas mercibus horas
Implentem, hujc ſimilem lance fidéque fore?
Talia plangebant, viduæ tutore, clientæ (1),
Temporáque, artificis funere mœſta ſui.
Talia ſed madidis collyria fecit ocellis,
Vaticinô genitor melleus ore, CHRONUS;
Ne verò, ne flete (infit), mea germina, gnatæ!
NESCIT magnificus funera vera Labor.
Ecce, Baroniacæ totidem monimenta lucernæ,
Herculis antiquum quot ſibi finxit opus!
Septem ergò abſtulerit ſibi Parca decennia vitæ (2):
Sæcula adhuc vivum ſed Duodena (3) ferent.
Æternum Alcidæ meruit ſibi fabula nomen,
Publica biſſenô dum mala Marte domat.
Per totidem ingentes, ſuci ſinè pulvere, Libros,
Quanta Baroniacum monſtra fugavit onus?
Tantò igitur major veteri novus Hercule Cæſar (4),
Quantò eſt Figmentis celſior Hiſtoria:
Et tantò hic meruit ſubtiliùs æthera; quantò
Craſſius eſt, clavâ ſternere, quàm calamô.

TESTI-

Septennii I. Annus 1607.

TESTIMONIA, & NOTÆ.

(1) *Vox eſt Plauti, in milite glor: Afranii item; & Horatii, lib. 2. od. 18.* (2) *Vixit enim Ceſar Baronius (annô unicô minùs, & menſibus quatuor,) annos ſeptuaginta.* (3) *Juxta numerum duodecim Tomorum ejus annalium, totidem centurias annorum exhaurientium.* (4) *Proprium Baronii nomen, Ceſar eſt: Baronius autem, gentilitium.*

APOCOMMA IV.

Mæoti
teterrimum facinus.

I. HIc idem annus exſpectare videri poteſt *Donavverda* quoque, Danubianæ civitatis, nonnullam memoriam. Urbem enim illam, animîs, quàm mœnibus, ampliorem, & *Imperialis oppidi* jure titulóque ſibi placentem; poſteaquam ſectarius quidam enthuſiaſmus, *ſacras* in *Proceſſiones*-orthodoxorum, tumultuante plebe, furiavit: Rodulphi Cæſaris, (*Bavaro Duci* vim armatam mandantis,) ſevera majeſtas ad obſequium primò tranquilli-

tatis; paullatim deinde, felicî neceſſitate domita, mens placidior, ad meliora, de *Sacris* quoque, ſenſa perduxit. Sed hæc alii pleniùs tradentes, labore me levant; inprimis autem, noviſſimus omnium hiſtoriæ-Bavaricæ conſcriptor: cujus *nudæ veritati* rerum, ad pleniorem etiam famæ meridiem, ſolum obſtat, quaſi nube ſpontaneâ *velatum*, auctoris *nomen*. Is enim, alia maluit omnia, quàm ſeipſum, inclareſcere. Convertor igitur, relictîs *Alemannicîs*, ad geſta *Gallica*: quorum, inter multa cæteroqui ſpecioſa, tamen unum eminet, inſignî turpitudine ſimùl, immanitatéque facinus, exſecrandum: quod poſteri, partim tardè credent; alii, ſimilium ſibi conſcii, legere legíque nolent. Quoquoverſum hoc tamen inſtitutum noſtrum evadet; officium certè ſuum hiſtoricæ profeſſioni ſubtrahendum idcirco non eſt; quòd id iniquè laturi ſunt, aut *nondum*, aut *herì* primùm, nati.

II. METÆ ſunt, Mediomatricibus habitatæ quondam; Lotharingiæ Septentrionalis urbs, ſupra Moſellæ vitiferas ripas ſita: quæ, ſub hoc ipſum tempus, Henrici IV. Gallorum regis, præſidiô geminato continebatur in officio Gallici dominatûs. Illic *Marius* quidam

Digitized by Google


Iac. Loets ab Arches f.
Ioh Alexand Böner sc.
CÆSAR CARDINALIS
BARONIUS, SO-
RANUS.

Digitized by Google

dam urbanæ militum multitudini, *Marianus* autem caſtellanæ, præſidebant; viri ducéſque fortes; ac ſuorum non magìs in armorum ſtudium, quàm in mores & abſtinentiam, intenti. Moderatè porrò caſtéque ſtativa militum agebant: ſi pauciſſimos, & unum præſertim, alterúmque, numero cæterorum eximeres. Immodeſtior autem aliîs omnibus, ſeu generis ac ſtrenuè geſtorum fiduciâ, ſeu fortaſſis & inſitâ cupiditatum incontinentiâ, MÆOTUS quidam, *vexillifer*, inveniebatur; cujus genuinum apertúmque nomen, exiguâ litterularum trajectione detortum à nativo, reverentiâ ſtirpis, in ſemet implicatur: hac elementorum transpoſitione celatum. Hic, cùm *Metenſium* fœminarum complurium pudicitiam, & ſerâ legum clauſam, & tutelâ parentum cuſtoditam, expugnâſſet: in puellam noviſſimè, virginem, formâ facilè primam, ſed adversùm inſidias animô ſuopte, ſuorúmq; curâ vigilantiſſimâ, vallatam, oculos injecit. Hanc talem intemperans iſte, *Vetiti* (ſicut fieri videmus) *validiore deſideriô*, bonîs licèt omnibus invitîs ac repugnantibus, obnoxiam cupidini ſuæ facere conſtituit.

Cùm autem aditus, ac potiendi ratio,

Mæotus.

non pateret; nec ingenium animo, cuncta circumſpicientis, aliud occurreret, ad virginem paternîs tectîs eliciendam: per *aniculam*, *lenam*, *ac vinoſam*, (*puellaris incuriæ teterrimam Scyllam*, & voraginem,) pretiô ſibi, frequentîque temulentiâ, conductam, ad deſtinata pervénit.

III. Ab hac *vetulâ*, (dubium, an *matris* etiam, hujc anui familiaris, conniventiâ?) deducitur virgo, per templorum obeundorum, & honeſtæ deambulationis, figmentum, ad urbis Metenſis regionem eam ipſam, in qua *Mæotus*, inſciâ puellâ, diverſabatur. Et hæc quidem eò tunc ibat; aliorum omnium, præterquam eorum, quæ pòſt acciderunt, cupiens, atque cogitans. Cùm autem jam eas ad ædes proximè ventum eſſet, in quibus *Signifer* hoſpitabatur: virgo, quaſi per honorem viæ lateríſq; dignioris, parietibus ædium illarum applicita, propellitur, per aniculam; arctiſſimâ videlicet adambulatione lævum virginis latus urgentem. Ibi verò, diductîs repentinâ vî, per famulum, in inſidiis collocatum, foribus; intruditur puella: ſimùl & anus irrumpit; fores reducuntur; porta, ſerîs introrſum, ac repagulîs oppoſitîs, operitur.

Domô

Domô militarî virgo (vetulâ latebras petente) recepta; miſera, laribus peregrinîs, caligante ſenſim veſperâ, jámque mox in noctem pronâ; *quónam in loco, cujus in ædibus, & arbitrio ſit, &, quam in rem*, circumſpicit; victimæ prorſus more sensúque, vel lanium exſpectantis, vel liberatorem: cùm, ecce! *Mæotus*, à tergo, tale nihil opperientem, invadens, brachiis eam arctiſſimè compreſsîs adſtringit; &, operâ quoque famulari manus conſociante, ſepoſitum in thalamum, unde propter ſolitudinem aviam vox clamórq; nullus cujuſquam ad aures erumperet, rapit, & aſportat. Ibi, conſciîs omnibus expulſis, imperiô domini, ſola deſtituta rapta, voce quamvis, ac manibus, & totius corporis obniſu, reluctans, à violento raptore, nefas extremum, adacta magìs, quàm ullâ ſponte ſuâ, perfert, & experitur. Ità *vitiata*, quæ venerat integerrima, conſummatô primô ſcelere, ſeſe tandem in ſeipſam colligit: infusáque lacrymîs, perfuſa contumeliæ rubore; domui ſe ſimùl, ac parentibus, ad expetendam tam grandis injuriæ vindictam, reddiтura vadit: ſui pudoris interim, (quiſquis is eſset, & cujus adhuc ne nomen quidem ſatis callebat,) expugnato-

Mæotus.

gnatorem, ſceleſtiſſimámque, ſuì perductricem, lenam cum lamentîs inſanis, effuſiſſimôque fletu, dirîs omnibus devovens; ac ſinè modo finéque deteſtans. Sed, ô, *nullîs unquam facilè fixam nixámq; firmitatis radicibus, nec apud prudentes temerè conſtantiæ fidem inventuram, muliebrem virtutem!* Nemo ſtatim, vel Penelopæ credat.

IV. Quis enim, ea, quæ lacrymarum imbrem illum ſubſecuta ſunt, eſse futura, divinâſset? Placare læſam (nequis fortè *Tarquinium* hunc in *Lucretiam* incidiſse crederet) furcifer *Maotus* aggreſſus: amorisq; magnitudinem excuſans, in eo, quod accidiſset; in ipſa virgine, ſi furere perſeveraret, è facinoris evulgatione, majorem *corruptæ*, quàm *corruptoris*, hæſuram infamiam, affirmabat. Adhæc, rationum aliarum, & blandimentorum, ac munuſculorum congerie, fœmineum animum verſabat. demum autem, & impervio forium, & inexorabili clauſtrorum oppoſitu, puellæ demonſtratô: vi rurſus, ac manibus injectis, eam urgens; utcunque tandem, ſeu delenitam, ſeu domitam, ſibi reddebat. Ne multis id deniq;, quod evénit, diſtineam: obteſtationibus certè fractam, ac manus

nus dantem, *Dinam* hanc, *Sichémus* iſte retinet, & aſſervat: *triſtem* (ſi tamen adhuc) *blanditiis* recentioribus *demulcens.* Ac per noctem quidem illam, & ſequentem deinde, tertiúmque diem, & noctes, in juſtæ (ſi Superis placet) uxoris loco, quoties intemperanti libitum fuit, eam habuit; nemine tunc litem ejus auſis intendente: cùm inter hæc tamen, petulanter ſic peccantibus, quò minùs id impunè ferrent, jam aliunde dies ſuus, & prætor, ac pœna, præpararentur.

V. A primæ namque ſtatim, turpis illius veſperæ, flagitioſæque noctis, contubernio, cùm deſideratam, nec tamen domum reverſam, *filiam*, impatientiſſimo *parentes* ſtudio, veſtigarent; & tamen per omnia, quorum illis in mentem vel ſcintilla conjecturæ veniſſet, loca quæſitam, & requiſitam; non anus abductrix (quæ nuſquam tunc comparebat) reduceret; non templa, non compita, non propinquorum, aut familiarium domicilia, vel horti, detentam offerrent, aut oſtenderent: ab ipſa denique (quod interdum fit) omnis ſpei melioris deſperatione decerptô conſiliô, ſuſpicari, quod erat, *cœperunt*; ab aliqua militari libidine doloſè pellectam natam ſuam attineri.

Quo-

Mæotus.

Quocirca, præſidii Præfectorum utrumq;, multis cum lacrimis, ac lamentis, adeunt: queruntur, amiſſam; & haud dubiè non ab aliis, quàm à militum incontinentiorum nonnemine, nonnullíſve, per plagium abreptam, detentámque filiam; orbitatem ſibi mœſtiſſimam, ni reddatur, imponere.

Præfectis digna viſa res eſt; in quam indagine quàm accuratiſſimâ quæreretur. Confeſtim ergò centurionum omnium, & quotquot ordines ducebant, aut vexilla ferebant, cœtum cogunt. his puellæ raptum, & facinoris indignitatem, exponunt. Seorſim præterea paucis quibusdam, in quibus, è præterita, palàmque compertâ, petulantiâ tanti ſceleris hærere ſuſpicio poſſe, vel opinio, videretur, compellatîs; & acerimè, ſiquis invitîs, qui genuerant, aſſervare virginem auſus eſſet, increpitîs: congregatos ad extremum cum intentatione minarum, non exauctorationis tantùm, ſed & exempli noviſſimi pœnarum, *ni raptam, qualem accepiſſet, raptor reſtitueret*, abs ſe dimittunt.

VI. Cæterùm in his, ſeparatim admonitîs, *Maotus* quoque fuit: quem, indè digredientem, cùm, iîs ipsîs verborum acrium ſpinis

nis minísque, multò tamen adhuc aculeatiùs flagitii conſcientia configeret, ac certiſſimi graviſſimíque mali periculum, & exſpectatio, percelleret (ſive redderet, jam-devirginatam, ſive deprehenderetur demum in retentâ): lancinabatur animô quàm plurimùm; in utrumq; conſilium æſtuantibus curîs. Ex his dum ſe nullîs rationibus evolvit, utrobiq; nempe ſupplicii propoſitô, reúmque conſternante, metu; conſtituit denique, regreſſus in hoſpitium ſuum, primùm quidem libidini ſuæ, deinde ſecuritati, conſulere, ſatíſque facere; nullâ ſalutis interim, vel ſuæ, vel alienæ, (ne *ſempiternæ* quidem,) habitâ ratione. Libidinem immenſam, immanitatem inauditam, quis pro rerum indignitate ſtylus aſſequatur?

Domum enim reverſus tenebrio, *Mæotus*; disſimulat omnia, quorum cauſsâ tunc accerſitus ad præfectos eſſet: & aliquot adhuc, crebróque repetitîs, flagitii mutui commerciîs, adoleſcentulam inquinare pergit. Tot autem denique dehoneſtamentis indormituram, aut, ſi nebulo mallet, in novæ turpitudinis exſpectatione conſtitutam; ferrô, ponè lectulum ſuſpensô, nihil minùs ſuſpicantem, transverberat; cæſæ ſanguine lectum inundat; ac,

ac, membratim in ſexcenta conciſum fruſta, *dilectiſſimæ* cadaver, famulô, vetulâque libidinum adminiſtrâ, conſciîs & juvantibus, Moſellâ flumine (cuj latronis hujus diverſorium imminebat), demergit.

Jam igitur miſeræ juvenculæ, non corpus, ſed corporis minutal; jam raptus pudor, jam interfectæ Salus, & flagitiorum inſtrumenta cuncta, cum auctoris ignoratione, fluitabant, unà cum amni: propemodúmque ſenſim omnis de militibus, inprimíſque de *Meoto*, vetus ſuſpicio collicuerat; nivíſque reſoluta more, vaneſcebat. non item, & Parentum dolor, ſeipſo quotidie recentior; non amiſſæ filiæ memoria deſideriúmque, non inquiſitionis ſollicitudo, peribat. Minimè gentium verò, vigilax, & in opportunitatem intenta, *Numinis vindicta, nocentium* mundi peſtium *lenta, ſed inevitabilis, aſſectatrix*, dormiebat: quippe, facinore tam portentoſô tandem in Solem prodire, non cunctaturô. Quod in hunc, quem referam, modum, ad *conjecturas* primùm, indè pleniùs, ad notitiam alienam, erupit.

VII. Premebat enim id quidem, cum ſuo conſciorum pari, ſtudiô conatúque diſſimula-

mulationis intentiſſimô, ſceleris auctor. Sed, UT *inſatiabilis eſt* omnis *inveterata libido*; ſempérq; flagitii prioris cupído, novæ ſubſequentísque trudit impetum: aliâ *Mæotus* turpî calere flammâ, poſt antecedentem illam, aquîs abolitam, orſus eſt; gregarii militis, in eodem agentis præſidio, plebejô quidem, ſed electæ formæ (ſit verbô venia!) *ſcortillô*, ſuum in contubernium abductô. Jámq; *milite* contemptô, *ſecutuleja* mulier *Vexilliferum* malens; ei convivebat. Exarſit ob hæc alter, non in *Mæotum* minùs, corrivalî dolore, quàm in *Mæoti* raptoris miniſtrum, & in pellácem aniculam: cujus iterum (utì proximè fecerat in altera,) lenociniô, vecors & obſcœnus ſignifer, uſus fuerat, in ea militis concubinâ ſibi conciliandâ. Sicut igitur fieri, *turbatas apud mentes*, aſſolet, quibus *ira, quidvis conjectandi, libertatem tribuit; & incerta quoque, tanquam explorata, perſuadet*: ſuſpicionibus prælubricis miles in omnia quoque præterita revolutus; *Papæ!* (dicebat ſibi) *quidſi, quæ cauſſa nuper ereptæ parentibus, & occultatæ, virginis, cœtum præfectorum, centurionum, ordinésque ducentium, concivit; ea non alium magìs, quàm hunc ipſum, omnis nequitiæ vexilliferum, tangebat?*

ut,

Mæotus.

ut, quam nunc in amicula mea, per ſervitia ſua, prædatoriam artem continuat, idem eandem eorundem miniſteriîs, in ingenua tunc puella raptor inchoârit? Quod, fieri potuiſſe, rivalis iratus augurabatur; id factum eſſe, nullâ probatione teſtimoniôq;, concludit. Statim ergò, cum hac nudâ calvâque conjectura ſuâ, cum effronte quoque repetundarum actione querelâque, per vim ereptæ ſibi pellicis, ad *Marinum* & *Marianum*, præſidio (velut diximus,) *Metenſi* præpoſitos, devolat. Apud eos cauſſam, & crimen, unáque ſuam de *Maoto* ſuſpicionem, profert; &, quibus poteſt, argumentîs firmat.

Hi, ſic Numine cogitationes eorum regente, nihil ambigunt. idem & ſibi videri, conſenſu magno mirôque, pronuntiant. citant, ad cauſſam dicendam, aniculam primùm; ac *Maoti* miniſtrum. Negantes crimen, & alia potiùs omnia fingentes, quæſtionibus diverſè, ſeparatîſque locîs & horis, ſubjiciunt: veritatem, omnémque geſtæ rei ſeriem, cruciatibus & fidiculîs exprimunt; nocentes, ac ſuapte jam confeſſione ſuprema promeritos, in catenis tenent.

VIII. Comprehenſus autem ſub hæc & *Mao-*

& *Maotus*, cùm negare facinora ſua, conſciis jam convictîs, auctorémque validè convincentibus, difficiliùs ſanè poſſet, quàm nuper abſcondere; quò ſe verteret, non habebat. Tantummodo, contra ſupplicii ſupremi (quod, ſe meruiſſe, negare non audebat) acerbitatem & ignominiam, ſuorum natalium, ac bellô fortiter ſuperatorum diſcriminum, gentilitiam neſcio quam immunitatem, (cujus utique ſtultâ confidentiâ, tam enormia patrârat,) in medium, proferebat. Quibus tamen inſuper habitîs; *Gallorum regis*, quem ſuper *ſigniferi* tergiverſatione, cunctîsque rebus, præfecti monuerant, imperiô voluntatéq;, litterîs expreſsâ, Metîs Lutetiam in catenis tres rei mittuntur iſti; de quibus hucuſque dictum eſt.

Lutetiæ porrò, per capitalium rerum cognitores, excuſsâ denuò damnatâque *Maoti* cauſsâ, conſciorúmque criminibus; ille quidem gladio, duo verò ſcelerum adminiſtri, ferali trabi, pro *Rota*, (quam eis *Imperatoriæ leges* inflixiſſent,) addicuntur. Nec fuit in miniſtro vetulâq; negotium, aut mora. *Colla vilia, ſicut nullo Reip. diſpendio, ſic nullo cujuſquam motu, pependerunt.*

At in *Maoto*, moles ingens; & morien-

Mæotus.

di difficultas, tanquam *Herculis, in Oeta*. Dictu mirandum! Homo, quàm ſcelerum promptus, tam *ſupremæ neceſſitatis* (*quod ferè molles ſolent*) *prætrepidus*, non modò mortem excutere contumax, dum ad ictum excipiendum vocatur, humo totum corpus affixerat; ſed etiam carnificum omnî vi roboréque, laqueîs (utì canibus ſolent) injectîs, carpento trahæve ſuperilligatus; ad locum, plectendis deſtinatum, raptari, quàm procedere, maluit: inſigne *nobilium* moriturorum opprobrium. Adhæc, omnium, mediæ juxtà ſummæque ſortis mortalium, imploratô præſidio, ne mori cogeretur; de primoribus, *Eſpernonium* quoque *Ducem*, regi percharum; &, intempeſtæ noctis ſilentiô, *Margaritam Valeſiam*, Galliarum quondam in Henrici Quarti matrimonio Reginam, exoravit: ut regis animum ad clementiam emollirent. Sed interponentibus preces, & operam, reſponſum à magnanimo juſtôq; Rege, MORIENDUM, MORIENDUM eſſe: meritóq; moriendum, SEMEL ſaltem, homicidæ; qui puellam incogitantem, interfectô priùs pudore, deinde corpore, per ſingula membrorum; ad extremum autem, & animâ pretioſâ (quantum in ipſo fuiſ-

fuiſſet) in interitum irrevocabilem TOTIES è medio ſuſtuliſset.

Itaque noꝺe *Mæotus* mediâ (neſcio, Deône prius reconciliatus?) cervice percuſſori præbitâ; tot noctes ſuas obſcœnas luit: & vellem, etiam eluiſſet! (1)

NOTA.

(1) *Slejdani Continuator, ex Auguſti Thuani, Beuteri, cæterorúmq; monimentis, libro 13. Partis 3. germanicè conſcripta. Vide quoque Rudolphum Boterejum, tomo 2. hiſtoriarum Galliæ. Apud eos porrò tu nomen* ſcortatoris *iſtius,* & homicidæ, *genuinum invenies; hiſtorici candoris apertiſſimâ libertate expreſſum. Ego ſuppreſſionem nominis, ſplendori familiæ, per omnia conſpicua & egregiæ, dandam exiſtimavi.*

METRUM.

Ecquis erit tandem vitiis modus? écqua ſalaci
Frana deæ? caſti nullâne cura thori eſt?
Jam ſcelere ad METAS proceſſum eſt uſque. Malorum
Sit ſaltem indè quies; nilque pudere, pudor.
Quis, Superi, hæc credat? modò quæ MÆOTUS, amorum,
Quàm armorum, major ſignifer, acta dedit?

Præſidii Metarum *Hector; ſed dux* Amathuntis (1)
Notior; innuptæ latro pudicitiæ:
Poſt alias, paſſim oppreſſas, petulantiùs unam
Sæviit in nympham; dedidicitque procum;
Aſpera dum blandis, homicidia Cypridi miſcet;
Et flammis undas, deliciiſque necem.
Heu! cæcus, fœdiſque amens in noctibus hærens,
Incautam, lenâ pelliciente, rapit.
Raptam, altè abſtrudit; vitiat, ſinè vindice, clauſam:
Quòdque impunè ſemel, ſæpe petulcus agit.
Amiſſam, genitor natam, genitrixque, requirunt:
In plagium inquirit prætor, & omne forum.
Territus hìc igitur raptor, metuénſque, tumultu;
Quid faciat? Totam reddere prædo nequit.
Dimidiam reddat? Totum ergò loquetur ab ovo
Semipuella (2) *nefas: adſtruet Ira fidem.*
Nec violatam igitur, neque caſtam, emittere certus;
Unà demum, excors, hanc amat, atque necat.
(*Sol, fuge!*) *non ſatìs hoc: extinctæ diſſecat artus;*
Et cupit obtegere hos amne, Moſella, tuo.
Ille quidem id ſperat; nec ſpem deluderet amnis,
Quò minùs hæc altô mergeret Acta fretô.
Acta dies, ſcelerum effoſſor, *cædémque, retexit:*
Borbonióque reus crimen ab enſe luit:
Ac meritò! Jactet captas Vexillifer *arces,*
Vulneráque, & palmas, geſtáque priſca, crepet:
Eripe, rex, vitam hujc: Jus vult. Regni eripe Signa.
Num deflorator Lilia (3) *ſalva geret?*

NOTÆ.

Septennii I. Annus 1607.

NOTÆ.

(1) *Urbis, inſulæ Cypri; Veneri, & Adonidi-Oſiri, ſacrata.* (2) *Extinctâ namq; jam virginitate, tametſi* puella *parentib..s*, virgóq;, *videri crediq́ue potuiſſet; ſpecie tamen, exteriore duntaxat,* puella *futura fuerat: reipſa verò* mulier, *eô ſignificatu, quo Cicero, apud Plutarchum,* Publiliam *ſuam fore dixit, poſtridie nuptiarum.* (3) *Regni Galliarum Inſignia.*

CÆterùm, quod ad hujus, quam retuli, tragœdiæ clariorem conferre diſcuſſionem poteſt: aliquid ei *lucis analogicæ* præbebunt, aliorum etiam, qui delicias ſuas furtivas, poſt multum ac diuturnum abuſum, tanquam in odium repentinum amore flagrantiſſimô converſô, ſupremum in interitum præcipitârunt: ut perſpicuè cernas, omnem animorum & corporum obſcœnam flammam, in proximo *facem* eſſe, quæ *Gehennam* ſuiſmet auctoribus inevitabilem accendat. Quò namque tales aliò, quàm in illud Acherontis Incendium, ibunt, impuri Manes: qui, recentes à flagitio, nullâ pœnitudine deletô, quin ſæpe quoque votis inſuper inſatiabilibus, am-

Mæotus.

pliùs ampliúsque, deſideratô, transeunt à libidinibus ad Libitinam ? Quibus (utì capitis triceſimi primi fine præſagit divinus Iſaias) *præparata jam olim eſt Tophéta , tormentorum locus : vallis* incendiorum, à Rege ſæculorum præparata, *profunda, dilatata : cujus nutrimenta ſunt, ignis, & ligna multa. flatus autem iræ furoris DEI, ſicut torrens ſulphuris, ſuccendens eam.* Ibi volutantur, talibus cum maculis ex hac in alteram vitam extruſæ , deteſtabiles animæ : natantes, & fluctuantes, in *ſtagno*,quod *igne ſulphuréque flagrat* (Apocalypſ. cap. 21. v. 8.) Spiritus damnati! *quorum Deus* hîc *Venter fuit, & finis* illic *Interitus.* (ad Philippenſ. cap. 3. v. 19.) *qui pœnas dabunt in hoc Interitu ſempiternas* (2. ad Theſſalonicenſes cap. 1. v. 9.) : *ubi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur.* (Marci cap. 9. à verſu 43. ter,) *ubi tantùm eis tormentorum infligetur, quantùm in deliciis hîc fuerunt.* (Apocal. 18. v. 7.) *ut urantur, & ſentiant in ſempiternum.* (Judith. cap. ult. v. 21.) *Fletus igitur illic erit, ac ſtridor dentium :* & tanquam furioſi canes, ac fame confecti lupi Moabitarum , ululabunt alternîs , ſcortatores & ſcortilla ; ſicut Zambris & Cozba ; quos, in medio ſceleris exercita-

citamento, pugio vindex Phineæ ſacerdotis transfódit (Numeror. cap. 25. v. 7. & 8.). In exſpectatione verò cupidinéque ſcelesti nexûs ſopitos, utriúſque ſexûs mortales, pluſquam una Mæoti perfidia Tartaro transmiſit; è medio turpitudinis nidò, lectulíque propudioſi volutabrô. Quod quidem, ſi falſorum Deorum cultoribus & cultricibus evénit: minùs deplorandum videri fortaſse poſſit. Nam, *jam à principio perire certis, & obſtinatis; ad ſuî miſerationem ciendam, parùm confert: quot pereundi viis in interitum ruant.* Sed, *Chriſtianis* initiata ſacris, & Fonte ſalutis abluta corpora, cæterorum alioqui ſcelerum integra, puráque; ſolâ fœdæ voluptatis infamî voragine demergi (præſertim autem, à recèns-amante violenter protruſa) diras omnes, & exſecrationem, meretur. *Tales* (quis non horreſcat?) *inimica trucídat Amicitia.* Pretium eſt operæ, ne ſolus in hoc genere Mæotus exiſtimetur vexillum extuliſse paradoxæ crudélitatis, intendere digitum, in quædam veluti *paralléla*, tum veteris ævi, ſub idololatris, tum & junioris, ſub imperiis Chriſtianis, *Exempla.* Ducat in his ordinem, qui ſtylum quoque, C. Cornelius Tacitus. Is, præ-

Mæotus.

præter ea, quæ libro quarto Romanarum Hiſtoriarum, prope medium, delíbat, ità loquitur Annalium decimô tertiô.

Per idem tempus, Octavius Sagitta, plebei tribunus, Pontiæ (*cognomentô Poſtumiæ, ſicut eam Hiſtoriarum quartô nominat*) mulieris nuptæ, amore vecors; ingentibus donîs adulterium, & mox, ut omitteret maritum, emercatur: ſuum matrimonium promittens, ac nuptias ejus pactus. Sed, ubi mulier vacua fuit; nectere moras: adverſam patris voluntatem cauſſari: repertâque ſpe ditioris conjugis, promiſsa exúere. Octavius contrà, modò conqueri, modò minitari; famam perditam, pecuniam exhauſtam, obteſtans:

teſtans: denique ſalutem, quæ ſola reliqua eſset, arbitrio ejus permittens. Ac, poſtquam ſpernebatur; noctem unam ad ſolatium poſcit; qua delenitus, modum in poſterum adhiberet. Statuitur nox. Et Pontia, conſciæ ancillæ cuſtodiam cubiculi mandat. Ille, uno cum liberto, ferrum, veſte occultum, infert. Tum, (ut aſsolet, in amore & irâ) jurgia, preces, exprobratio, ſatisfactio: & pars tenebrarum libidini ſepoſita. *Octavius*, queſtu incenſus, *Pontiam*, nihil metuentem, ferrô transverberat: & accurrentem ancillam vulnere absterret: cubiculôque prorumpit. Poſterâ die, manifeſta cædes:

Mæotus.

haut ambiguus percuſsor: quippe, manſitâſse unà, convincebatur. Sed libertus, ſuum illud facinus profiteri: ſe patroni injurias ultum eſse. Commoverátque quoſdam, magnitudine exempli: donec ancilla, ex vulnere refecta, verum aperuit. poſtulatúsque apud Conſules, à patre interfectæ, *Octavius*; poſtquam tribunatu abierat, ſententiâ patrum, & *lege Corneliâ de Sicariis*, condemnatur. Sic in Annalibus Tacitus.

In hunc ergò, quem retuli, modum, *Octavius* hic *Sagitta* (ſicut alibi ſcriptor idem loquitur) *Pontiam Poſtumiam, ſtuprô cognitam, & nuptias ſuas abnuentem, impotens Amoris, interfecerat*. & Pontia, nihil minùs, quàm mortem, exſpectans, interierat: Romæ potiente rerum Claudio *Nerone*. quo tempore nempe, ſpargi jam dudum per urbem orbémque

Digitized by Google

que cœptô Chriſti regis Evangeliô, paſſim audire diſceréque tam Octavius, quàm Poſtumia, potuerant, increpantem Petrum, Apoſtolorum principem; *maculas*, *delitiîs affluentes*; *oculos*, *adulterii plenos*, & *inceſſabilis delicti* (epiſtolâ 2. cap. 2. v. 13. & 14.) nec minùs dehortantem acriter, collegam Petri, divinum *Paulum*, *ab omnibus tenebrarum operibus*, Romanos ac Romanas: & incitantem verbîs epiſtolîsque ſuîs, *ad induenda lucis arma*, ſempérque, *velut in die*, moribus *honeſtîs* ac pudicîs *incedendum*: *non* autem *in cubilibus* & *impudicitiis*; *nec in contentione*, *vel æmulatione Zelótypa*. (ad Romanos cap. 13. v. 12. & 13.) Quam illi *legem*, licèt in cordibus uniuscujuſque, *naturæ* digitô, ſcriptam, ſi permanentes adhuc in idololatriæ tenebris, vel *ignorârant*, vel probè cognitam *neglexerant*: nempe *DEUS* viciſſim & *ignoravit eos* (1. Corinth. cap. 14. v. 38.) & *ſprevit* (Pſal. 52. v. 6.) ut, *qui ſine lege vixerant*, *ſine lege quoque perirent* (Rom. cap. 2. v. 12.) Servatoris CHRISTI. Summatim! *Caro* talium, & ſeipſam agit, & *ſpiritum* pariter trahit, in interitum. *Idololatrarum* hoc erit impudicitiæ pretium!

De

Mæotus.

De *Chriſtianis* ergò, paria facientibus, & paſſis, quis non paria præſagiat? immò verò, quis non atrociora? *Qui peccaverunt in lege, per legem judicabuntur.* (Roman. 2. v. 12.) *Scientes legem*, & tamen conculcantes eam; *vapulabunt multîs.* (Lucæ 12. v. 45.) Et hæc quidam tamen non ignorantes, hôc etiam in genere, non diſſimilia *paganis*, Chriſtiani ſexûs utriuſque, perpetrârunt. Ac, cæteros ut præteream; ſæculô ſuperiore paullatim ad Naupacticum navale prœlium vergente, ſingulari vir, & miles, audaciâ fuit: qui diu prædonem ac ſicarium egerat, & quem à regno, quô vel ortus, vel ubi diutinè verſatus fuerat, *Petrum de Sicilia* dixerunt. Is, uti ſemper in armis, ità plurimùm in amoribus inconceſſis, ætatem viridiorem egerat. Circumducebat autem paris animi, licentiæque vivendi, mulierculam. Hanc ille tandem, die quodam, poſt opus nefarium peractum otiosè quieſcentem, ac talis exitûs penitùs incogitantem, neſcio, quibus agitatus furiîs, eductô gladiô validè feriens; à pectore, deorſúmque, mediam, ictu non plus unicô, diviſit: &, nefandæ conſuetudinis (quod quidem conſtet) penitùs impœnitentem, miſit ad

ad præmia flagitiorum ſempiterna percipienda. Facinus *enorme!* quod hic *Petrus* tamen, poſt hæc, *in ſe reverſus*, ac vitâ mirè mutatâ, non minùs *enormî* ſuímet caſtigatione penſavit: ſanctimoniâ morum ad miraculorum uſque famam progreſsus. Concubina verò, mercede ſuæ turpitudinis receptâ, manebat (quis dubitet?) in æternitatis damnatæ ſtatu, jam immutabili. Sed & aliquantò ſupra temporum illorum memoriam, in Hiſpaniâ, (Franciſcô Belleforeſtô, tragicîs in hiſtoriis, teſte) *Violanta* quædam, aurifabri ſpecioſa filia, quæ cum equite quodam aurato, magnâ natalium diſparitate, clanculum vitæ perpetuam ſocietatem contraxerat, & cum eodem, juſtæ conjugis titulô, diu conſueverat: amorem denique columbínum, in odium viperínum repentè convertit. Intellectô namque, *Didacum*, poſt hæc, parentum coactu, reſciſsîs pactîs clandeſtinîs, duxiſse nuptiîs publicis nobilitatis haud inferioris uxorem aliam: ei (*Violantam* nihiloſecius adhuc, per ſummam diſſimulationem, frequentanti) ſtruxit invicem inſidias. Itaque nocte quadam ad ſe vel pellectô, vel ultrò venienti, poſteaquam thori ſui copiam fecit; ancillâ conſciâ, ſomnum

mnum eidem profundum conciliavit. eâdem dein adjutrice, conſtrictum arctè funibus, & ad omnia ſaniora capienda conſilia prorſus inhabilem, innumerìs repentè cultrorum ictibus laniare cœpit: ac, per omnia jam membra diſciſſum *cadaver*, in plateam publicam ejecit. *ſpiritum* autem illius nocentem, in locum, ejus meritis debitum, exturbavit. Pro quibus ſceleribus, ſub hæc, in navem laceram *Agatha* famula, certum in naufragium, impoſita; *Violanta* verò, *Valentiæ* mediô forô, carnificis plexa gladiô: terruerunt in poſterum *fœminarum* imbelles manus; ne *virilia* ſicariorum auderent & ipſæ latrocinia. Sunt autem hæc à Violanta, ſunt à Petro de Sicilia, ſunt & à cæteris quibuſdam ſimilibus, tandem expiata; dum viverent. At miſeras illas, Octavii Pontiam, Petri Siculi Thaidem, Mæoti Phyllidem, & quaſcunq;, morte violentâ præoccupatas, ante ſordium ſuarum ſalutare, per lacrymas pœnitentiæ, lavacrum: quis in integrum reſtituet? quis ſupremi Judicis legibus eripiet? cujus immota vox eſt, & urna:

Qualem invéni te, talem &
judicavi!

SEPTENNII PRIMI

FINIS.

ASPICIENTES SANAT.



DESPICIENTES NECAT.

Digitized by Google

Digitized by Google

Septennii I.

Rerum ac vocum memorabiliorum

INDEX.

A.

ABræ, quænam dici quondam ſolerent. *paginâ* 353. *fin.* & *pag.* 354. princip.

Achmetes, Turcarum Sultanus: ſuccedit Mahometi III. patri filius. *pag.* 274. Ad pacem initiò proclivior. 275. ſed irritatur à Perſa. *ibid.*

Acta, pro littore. *pag.* 44. & rurſus 443. cui adde, Cornelium Nepotem, in Ageſiláo.

Actorum annalium ſynopſes:

ANNI

1601. à p. 29. ad 33.
1602. à p. 166. ad 174.
1603. à p. 186. ad 190.
1604. à p. 271. ad 281.
1605. à p. 313. ad 334.
1606. à p. 355. ad 368.
1607. à p. 416. ad 440.

Adriatica, ſub Paulo V. controverſia, ſedata. 355.

Annales Eccleſiaſtici Baroniani. pag. 460. &c. Vide etiam V. *Baronius*.

Alba-Julia. 62.

Alba-regalis, urbs Ungarica. capitur à Chriſtianis. *pag.* 31. recuperatur autem à Turcis. *pag.* 166. & 167.

Allobroges, fruſtrà, ſuôq; malô, Genevam affectant. *p.* 168. & 169.

Ambroſius Spinola, ad Oſtendam, qualis. 286. & 287. Inter Pacis tractatores in Batavia reperitur. *pag.* 425. fin. & 426. princip. Cum Mauritio, Comite Naſſovio, colloquitur. 426.

Digitized by Google

Amurathes III. Turcarum imperator: naturâ utcunque pacificus. *pag.* 243. & hiſtoricæ lectionis plurimæ. *ibid.* ad med. Abominatur Mahometis III. filii ſui, propenſum ad cædes ingenium. 243. ante fin. ideóq; fortaſſis & ſublaturus eum è medio; niſi obſtitiſſet uxor, ejus mater. *ibid.* fin. & pag. 346. princ. Initiô unicâ degit uxore contentus. *pag.* 245. Sed ei mater uxorum ſuadet multitudinem. & cur? pag. 245. & in hoc obſequentem ſibi reperit. *ibid.* fin. & 246. princip.

Andreas Bathorius, Cardinalis Livoniæ. pag. 73. A Sigiſmundo Bathorio, propinquo ſuo, hæres & ſucceſſor inſtituitur Transſylvanici Principatûs. *pag.* 73. & cur? *p.* 72. Acceptat oblatū Andreas: & adit poſſeſſionem. *pag.* 73. proſpiciens tamen inter hæc & Sigiſmundo, de ſede, victu, & aliis. *pag.* 73. Præliô ſuperatur, à Michaële, Wallachiæ Waywodâ. *pag.* 88. & 89. Ab eodem caſtrîs, prædâ, theſaurîs, exuitur: pag. 89. & 90. Pòſt autem, à Wallachis Waywodæis, vitâ quoque, crudeliter. 94. & quónam habitu mentis, Michaëlis Waywodæ, mors ea fuerit accepta. pag. 94. & 95. & 96. Ejus cadaveri digitus abſcinditur, propter annulum & gemmam. pag. 95. Ipſe magnificè ſepelitur. pag. 96. princ. Caput ejus, & extincti effigies, Cæſari mittuntur. 96. non ſinè larga remuneratione; viciſſim miſsâ Michaëli. *ibid.*

Anglorum cum Hiſpanis

fœdus.

fœdus. pag. 274. Anglici regni cataclyſmus, pluſquam unus. pag. 416. & 417. & 418. ominoſi viſi ſunt, & futurorum malorum præſagi. pag. 441. & cur ? *ibid.* & ſeqq. E diluviis illis enata damna. pag 416. & 417. uſque ad med. & 418. Quænam Anglorum provinciæ potiſſimùm ea ſenſerint. pag. 417. & pag. 418.

Anna Maria Mauritia, poſtea regina Galliæ; naſcitur. pag. 29.

Anna Maria, Minſecia, nubit Demetrio-Moſco. pag. 384. med. & 385. ſed gaudio nuptiarum brevi, & fugitivô. pag. 385. & pag. 387.

Apocomma, quid in hoc opere. pag. 34. & 35. diversîs modis tractatum. pag. 35. Vide & ſuperiùs pag. 35.

Aquila. pag. 44. fin. & pag. 45. princip.

Ardea volucris. pag. 45.

Aſidnes Cicáda. Vide inferiùs V. *Cicáda*.

Auctoramentum. pag. 477. princip.

Auctores rerum ætatis noſtræ, agminatim nominati. pag. 33. & 34.

Auguſtinus Zunoca, dux militum, Japon: capite plexus. pag. 30.

Aut nihil; aut Cæſar! pag. 399.

B.

Baleares inſulæ; & mare Balearicum. pag. 45.

Balſametum Materæum. pag. 2.

Barcinon urbs. pag. 36.

Barneſeldius (Joannes) Batavicus advocatus. pag. 424. princip.

BARONIUS (Cæſar) obit. pag. 418. fin. Baroniana familia, in qua parte Italiæ. pag. 450. Cæſaris Baronii natale ſolum. pag. 451. ſtudia litterarum. *ibid.* Cœnobium,

ab eo exſtructum. pag. 451. med. S. Philippo Nerio ſe adjungit. 451. ad fin. & pag. 452. Sacerdotii Statum amplectitur. pag. 452. In eo, Pietati impensè addictus. p. 452. à med. & 453. & 454. Quóſnam Cœlitum præcipuè venerari ſoleret? 452. & 453. Quibúſnam ſe Meditationibus exerceret. pag. 454. & 455.

Cæſaris Baronii Doctrina. pag. 455. fin. & 456. Iterum, de Doctrina ejuſdem, ac ſtylo, &c. pag. 462. adjutis divinitus. p. 464. princip. Impellente S. Philippo Neriô, tractare incipit hiſtoriam Eccleſiaſticam. à pag. 456. &, quónam phaſmate præviô, quod S. Philippo oblatum eſt. *ibid.* med. Tractat autem Baronius hiſtoriam illam, primò linguâ & ſermone. 457. & 458. Idque, *ſepties* in orbem redeunte toto labore. pag. 458. per totum. Quónam id in loco fecerit. 457. fin. Poſtmodum autem & Calamo: ídque, geminô in Opere. pag. 459. & pag. 460. unde prodiêre,

Baronii primùm Notationes exquiſitæ, ad Martyrologium Romanum. pag. 459. & 460. Deinde, Annalium Eccleſiaſticorum tomi. pag. 460. Ii, quouſque proceſſerint. *ibid.* ad med. Tomi Annalium illorum *primi*, laus peculiaris. pag. 460. fin. In his ſcribendis, quanti ſomni, auctor. pag. 461. poſt princ. Super iiſdem ſcriptionibus, admiratio Jani Nicii Erythræi. p. 461. & p. 462. & 463. Botereji quoque Galli, de eodem ſcribendi labore & ſucceſsu, cen-

cenſura perhonorifica. pag. 474. & 475.

Baronius creatur S. R. E. Cardinalis. pag. 463. idq; minimè omnium quærens, aut affectans: pag. 464. immò potius contrarium agens. pag. 465. Quónam gradu, auctore, anno, die, ad eam dignitatem evectus. pag. 466. & 467. cujus Tituli Cardinalis. pag. 467. Baronii vitæ tenor, & modeſtia, in Cardinalatu. pag. 467. & 468. Deſiderium vitæ privatæ. 466. Oſtentum, ei oblatum, de anno obitûs ejus. pag. 466. à med. & 469. per totum. Quantùm eum juverit id oſtentum, ad rectè ſeſe comparandū ad mortem. pag. 469. fin. & 470. uſque ad med. Quàm veriloquum fuerit id oſtentum. p. 470. à med.

Baronii placidus, ac pius, ex hac vita diſceſſus. pag. 471. Quidnam Sirmondo amico ſuo legârit, in aditu mortis. 471. Ejus Crucifixi ſtatua. *ibid.* med. loculus ejus funebris. p. 472. princip. Sepulturæ locus. pag. 471. fin. & 472. princip. Ejus proſopographia. pag. 472. Ejuſdem tabes lenta, in vita: & unde contracta. p. 472. à med. & 473. uſque ad med. Dies mortis ejus. p. 473. fin. & 474. princip. Ejus tomi 12. Annal. Eccleſ. laboribus totidem Herculis comparati. pag. 476. & ſuperiores inventi. *ibid.* & pag. 478. Baroniomaſtix, Jacobus quidam Focanus. p. 477. poſt med. ſed ſpretus. *ibid.*

Barrus, quid. paginâ 52.

Baſta (Georgius). Vide inferiùs, *Georgius* Baſta.

Bathorius (Sigiſmundus) rumpit jugum Turcicum.

cum. pag. 62. Vide de hoc plurima, infrà, V. *Sigiſmundus* Bathorius.

Bathorius (Iſthuanus) p. 90. & 91. Vide infrà, *Iſthuanus* Bath.

Bathoriorum, in Transſylvania, regiminis ſucceſſio, ſub jugo Turcico. pag. 61. & pag. 62.

Bethlenius Gabor, turbare Transſylvaniam incipit. pag. 276. ſed à Tampierio Comite coërcetur. 276. à med.

Beza (Theodorus) extinctus. pag. 330. Ejus vitæ ſummarium. pag 335. uſq; ad 339. *inciuſ*. Ejus ſtudia litterarum. p. 335. Aureliis fugâ ſe proripit, *ibid.* cum furto, & malâ conſcientiâ. pag. eâd. ad fin. Ad Joannem Calvinum ſe confert. *ibid.* fin. abductâ uxore alienâ. & quánam illâ? 336. Obſcœnè vivit. *ibid.* poſt princ. palámque interim Calvinianus fit, Genevæ. *ibid.* med. ídque, parentis ſui malâ gratiâ. *ibid.* Uti fur, & ſacrilegus, repetundarum poſtulatur, à diverſis. p. 337. Caſtris interim ſectariorum ſe miſcet. *ibid.* med. & Guiſii Ducis necem procurat. *ibid.* fin. & 338. Calvino mortuo, ſuccedit in cathedra Genevenſi. pag. 338. med. Ibi, quàm ſanctè ſe gereret. *ibid.* à med. & p. 339. Moritur. 339. med. Cujus elogium implent, multa variáque, quæ ipſi exprobrantur. pag. 339. uſque ad pag. 341.

Bezæ maledicentia, in Cardinales S. R. E. pag. 342. cuj reponitur, lege talionis, antiſtropha. 342. & 343. triumphus præſertim dedécorum ejus, & adulteriorũ, ex compara-

paratione Bezæ, & Jul. Cæſaris Dictatoris, triumphantium, à pag. 343. uſque 354.
Beza Audebertulus, Cādida, Abra. pag. 347. Ejuſdem ſecunda uxor. *ibid.* fin. Ejus *Candida*, nomine propriò aliter dicta. pag. 350. Unde, & cuj. erepta. *ibid.* à med. Cujúsnam opificii maritus ejus fuerit. pag. 350. fin. & 351. princ. Cur dignus exagitatione Beza? pag. 349. med. Ejus de Davide, ac Bethſabéa, carmē. p. 350. poſt princ.
Bidermannus. Vide infrà; *Jacobus* Bid.
Bironus, Dux Gallicanus. p. 172. & ſeqq. Creditus, inſidias tetendiſſe Henrico IV. regi Galliæ. pag. 172. Ejus ferale theatrum, & objecta ipſi crimina, à pag. 175. uſque ad pag. 178. incluſ. E collo plexi, vapor exhalans mirandus. paginâ 178. & 179. Dux Bironus, ſub Henrico IV. militiam doctus. pag. 180. & 181. uſque ad 183. incluſ. Ad hunc ſermo Eliſabetæ, Anglorum reginæ; ſuper Comitis Eſsexii prægreſſo ſupplicio. p. 217. Bironi mores. 176. 177.
Boterejus hiſtoricus, quid de Baronii annalibus Eccleſiaſticis ſenſerit, ac ſcripſerit. pag. 474. & 475.
Botskajus (Iſthuanus, ſeu Stephanus) pag. 277. turbans Transſylvaniam, cum Hajduccis; à Georgio Baſta agitatur, ac premitur. pag. 277. extinctus. p. 318. poſt princ. & clariùs, anno ſequente, pag. 361. & pag. 362. Ante mortem cœperat redire ad obſequium. pag. 361. Quibúsnam pactìs, & conditionibus. *ibid.* & 362. uſque ad med. & pag. 363.

C.

Carcer teterrimus. pag. 349. ad fin.
S. Caroli Borromæi in geſta,& miracula, ab Eccleſia inquiritur. pag. 273.
Carolus, Sudermaniæ Dux. pag. 274. med. & pag. 315.
Caſtellus (Joannes) regis Galliarum, Henrici IV. vitæ inſidiatus, pag. 305. voto conatúq; ſuo éxcidit. pag. 306. Comprehenſus in fuga, ſcelus, ac ſtatum ſuum, aperit. p. 307. Societati JESU, apud infenſos ei, invidiam facit; ex ipſa ejus innocentiæ aſſertione. *Ibidem.* & pag. 308. uſque ad Ordinis iſtius è Gallia ejectionem. pag. 308. Parentis ejus domô dirutâ; pag. 308. fin. columna infamis, in area vacante, erigitur. pag. 309. quam poſtea rex Henricus IV. dejecit, ac ſuſtulit. *ibid.* & pag. 311. magnâ ſuî gloriâ. p. 310. & 311. Caſtelli hiſtoriam depravat Urſinus quidam. pag. 312.
Caſtenerius, eques Gallicanus, reginam, ſubmerſioni proximam, eruit. pag. 373. per totum. & pag. 374. Quónam præmiô? pag. 375.
Caſtilionæus Comes, carò luit proſpectum ſuum in caſtra aliena. pag. 30. fin. & pag. 31. princ.
Catalonia regio, undénam ſic dicta. pag. 44.
Catharina Borbonia, extra Eccleſiam R. defuncta. pag. 273.
Centuriæ Magdeburgenſes, unde prorupe-rint. pag. 456.
Cherſoneſus. pag. 437.
Cicada (Aſsánes) Turcicus copiarum ductor. pag. 252. Victoriam, à Mahomete III. amiſſam, pag. 251. ei ſuâ

ſuâ fortitudine reſtituit. p. 252. non ſinè magno Sultani gaudio; ac donis. pag. 253. quem tamen Cicadam mox gradu ſuo dejiciunt mulieres; pag. 253. variâ deinceps fortunâ agitatum. 154.

Cicadææ hiſtoriæ ſummarium, à pag. 254. uſque ad pag. 258. incluſ. Undénam ortus hic Cicada. pag. 255. & qua occaſione captus à Turcis. pag. 255. & 256. quo patre genitus. pag. 256. med. factus è Chriſtiano Mahometanus. pag. 257. indè Chriſtiano omni nomini, ſanguiniq;, infeſtiſſimus. pag. 254. & 257. ac pernicioſus, tam in ſe, quàm in filio ſuo. pag. 257. fin. & 258. quonam fortunarum ſuarum exitu. pag. 258.

Clemens VIII. Pontifex max. obit. pag. 313. Ejus ſucceſſor. *ibid.* Clementis ſollicitudo, & legatio, pro Bathoriis ad pacem, & obſequium, reducendis. pag. 74.

Cluverus (Joan.) hiſtoricus, rebus Catholicorum iniquus. p. 163. & magis, p. 427. fin. & 428. princ.

Confeſſio peccatorum, extrà Sacramentum, claves, & Eccleſiam, quanti facienda. pag. 215. & 216.

Cornicularum in Gallia prælium. pag. 171.

Crangánor, urbs Indica, decoratur Archiepiſcopatu. pag. 418.

Cyprii Chriſtiani, Famaguſtæ, conantur in libertatem ſe vindicare. pag. 430. fin. & 431. idque, ope claſſis Hetruſcæ. p. 432.

Cyprus inſula, à quo tempore poſſideri cœpta à Venetis: & quamdiu? pag. 439. ante med. Veneris, ac proſtitutarum, jam olim

olim probroſa ſedes. pag. 439. poſt med.

D.

Daciæ tres : earúmque populi, terræ, ritus. &c. à pag. 105. ac deinceps. Ibi de Dacia Mediterranea, ac *Transſylvaniâ* nominatim. à pag. 105. uſq; ad pag. 108. princ. De *Wallachia*. pag. 108. De *Moldavia*, à fine paginæ 108. & 109. uſque ad med. De moribus, ac ritibus, & religione Daciarum, à pag. 109. med. & pag. 110.

Decébalus, Dacorum veterum rex. pag. 368. non uno modo ſcribitur. pag. 369.

Demetrius, Moſcoviæ Dux, ſuæ dignitatis aſſertor rigidior. pag. 360. poſt med. & 361. princ. Sed exitu, celeriter infelicî. pag. 361. Ejus Ducis hiſtoria - Interitûs, à pag. 383. uſque ad pag. 392. incluſ. Ejus uxor, è Polonia : & nuptiæ. pag. 384. & 385. princ. Moſcorum, adversùs Ducem ſuum, repentina ſeditio, & concurſus. pag. 385. & cur ? *ibid.* per totum. Eorundem irruptio in Regiam. pag. 386. Quo tempore fidus Duci quis permanſerit? p. 386. med. Dux è lecto, nimis productô, 387. deſilit ad ſuî tutelam. *ibid.* ſed inermis penitùs ; & cur ? pag. 387. fugit è thalamo, in alia conclavia. pag. 387. fin. & 388. princ. Tandem autem, ex arcis regiæ altiſſimo loco, ſeſe præcipitem jacit. pag. 388. ac fœdè perit. 388. fin. Cujus cadaver tamen adhuc fœdiùs, ac diu, tractatur à barbara multitudine. p. 389. per totum.

Demetriani interitûs totius hiſtoria metricè repetitur. pag. 390. & 391. & 392. Crudeliùs porrò cum Demetrio actum eſt; quàm cum ullo alio Ducum Moſcoviæ antegreſſorum. p. 392. uſque ad p. 397. incluſ. qui tamen multò ſe tolerabiliorem præcedentibus præbuit. pag. 395. poſt med. Quænam igitur cauſsæ, tam inviſum eum Moſcis ſuis effecerint. pag. 395. fin. & 396. princ. Poloniæ regis epiſtolam, cur aperire & legere recusârit. pag. 400. uſq; ad med. Thronum, ac cæterum regni apparatum, quàm pretioſiſſimum faciendum curat. p. 400. à med. & 401. maximè verò, Coronam. pag. 401. med. Opulentia illius, & copia gemmarum. *ibid.* à med. Moſcorum cum Demetrio ludus quodammodo ſcacchicus: at funeſtus. pag. 402. & 403. uſque ad finem.

Deſcriptiones. Prœlii, inter Sigiſmundum Bathorium, & duces Cæſarianos. à pag. 141. uſque ad pag. 146. incluſivè. Exſequiarum & funeris, Eliſabetæ, reg. Angliæ. à p. 228. & ſeqq. Et aliæ, generum aliorum, deſcriptiones, paſſim.

Didacus, Hiſpanus eques, à decepta conjuge crudeliter interfectus. pag. 503. & 504. Vide, *Violanta*.

Donawerda urbs, turbata ſuorum quorundam culpâ. pag. 479. Ejus motûs narratio accuratior, ab alio jam præoccupata. p. 480.

Duella, lege Henrici IV. Galliæ regis interdicta. pag. 171. quàm ea perniciosa regno fuerint. pag. 174.

Duos, eodem tempore, loco,

loco, &c. ſupremâ pariter utrumq; cum poteſtate eſſe; num expediat in bello? pag. 102. & 103. ſicut tempore quopiam fuerunt, Georgius Baſta; & Michaël, Waywoda Wallachiæ. p. 103. poſt med. & 104.

E.

Elephas. quamdiu in utero? ex auctore Græco. pag. 52. & 53.

Eliſabetæ, reginæ Angliæ, obitus. pag. 188. ſucceſſor in regno. pag. 189. Ejus reginæ mors; cauſſa morbi, & mortis; ac funus, prolixiùs deſcribuntur, à pag. 192. uſque ad pag. 238. Fuit expedita, ac vegeta, in negotiis exſequendis; etiam quinquagenariâ major. pag. 192. & pag. 193. Cibô, accuratè præparatô, paſci ſolita. pag. 194. Comitis Eſſexii ſuppliciô, paullatim in mœrorem (funeris quippe auctor) conjicitur. pag. 194. & 195. Cur ei viventi indignari cœperit, à pag. 201. & 202. uſq; ad capitis in eum latam ſententiam. pag. 213. Et tamen ejus interitum aliquouſq; Regina dolenter non fert. p. 217. immò verò illum Duci Birono jactabunda narrat. 217. & pag. 218. Eidem quoque Duci, cranium Eſſexii, aſſervatum, monſtrat. pag. 217.

Eliſabeta regina, redeunte tandem in animum Eſſexii occiſi recordatione, triſtari ſeriò incipit. 219. & omnia, quæ in vivente priùs reprehenderat, excuſare. *ibid.* & 220. & 221. Culpam ſupplicii ejus, in Senatores, ceu nimis præcipites, conjicit. & hi, culpam in reginam. *ibid.*

ibid. Tabeſcit interim regina mœrore, & memoriâ, decollati Eſſexii. pag. 222. Ad conſpectum fortuitum arcis Eſſexianæ, delabitur equô. pag. 223. & 224. Ex eo tempore graviùs ægrotans, 224. & quietis nullius capax, 225. pòſt paullò moritur. pag. 225. Dies, menſis, annus, mortis Eliſabetæ. pag. 226.

Eliſabetæ cadaveris procuratio. paginâ 227. à med. Ejus effigies è gypſo. pag. 228. Exſequiarum ejus pompa; & funeris deductio. à pag. 228. Ejuſdem ſepultura. pag. 232. Epitaphium ejus imaginarium. 233. elogia ſectariorum. pag. 232. à med. Ejus gloriatio, de perpetua caſtitate &c. pag. 236. Ejuſdem elogium aliud, auctore homine Calviniano. pag. 236. & 237. Ejus mœroris inutilitas. pag. 237. Cætera, vide inferiùs in *Eſſexio Comite.*

Eſſexii Comitis, & ſociorum ejus, in Anglia, caſus generatim. pag. 30. Eſſexiæ Comitatus, ubi. pag. 194. Ejus Comes, ac Dynaſtes, Robertus Devoreuſius. pag. 195. ab Eliſabeta Regina gradatim promotus. 195. & apud eam ſummè gratioſus: & cur? ibid. à med. adeò, ut ei nuptura Regina crederetur. 196. quam tamen famam extinguit ipſe; aliam ducens. pag. 197. Eam Regina nuptam, ferebatur, ob hoc, contumelioſè tractâſſe, ad ſe accedentem. 197. & 198. ánne rumore credibilî? 198. & 199.

Eſſexius Comes, effluit paullatim animo Reginæ. pag. 200. ſtimulantibus averſio-

nem ejus, etiam calumniîs invidorum. *ibid.* Unde proinde in Hiberniam inſulam mittitur; per ſpeciem honoris. p. 200. Nihiloſecius tamen, & illic jam degens, traducitur (etſi falsò) tanquam negotii Hibernici prævaricator. pag. 200. & 201. Ad depellendam igitur à ſe calumniam, in Angliam properè recurrit. pag. 201. & ad reginam Eliſabetam imprudenter, atque intempeſtivè, irrumpit, pag. 201. & 202. cujus idcircò indignationem incurrit, 202. & ſeqq. nullâ ſuî excuſatione, aut deprecatione, flexibilem. 202. & 203. In Hiberniam ergò revertitur. 205. & interea ab inimicis in aula Anglicana acerbiùs, quàm antea, proſcinditur. p. 205. idque variò ſuſpicionum labyrinthô, & commentîs. pag. 205. & 206. Unde proinde, mandatô Reginæ, ex Hiberniâ Londinum revocatur. *ibid.* quo in loco, novîs denuò criminationibus, & delationibus, exagitatus, pag. 207. & 208. exaſperatur in querelas, & oblocutiones. p. 208. & 209. unde in urbe turbæ. *ibid.* & ipſius à Regina proſcriptio. p. 209. Quapropter is comprehenditur in arce ſua ſuburbanâ. pag. 210. cum aſſeclis ſuis. ibid.

Eſſexius Comes, captivus judicibus regiis ſiſtitur. pag. 211. iis fruſtra ſe purgat; oppreſſus à factione contrariâ. pag. *ead.* & 212. Nolens autem ſupplicare Reginæ, p. 212. morti addicitur. p. 213. princ. quam is excipit, Confeſſione

ne peccatorum publicâ præmiſsâ. pag. 213. & 214. cum deteſtationibus interim Papiſmi, & omnis fiduciæ bonorum operum. p. 213. & 214. dignus idcirco refutatione Scriptoris catholici. p. 214. uſque ad pag. 216. incluſ.

F.

Famaguſta, Cypri urbs. p. 431. quónam tempore, & auctore, lapſa ſub jugum Turcicum. *ibid.* per totum. Et Famaguſtæi, & alii Cypri incolæ, à perfidia Turcica circumſcripti, pag. 431. ad fin. interfectô contra pacta crudeliſſimè Bragadinô. *ibid.* ad fin. & p. 432. princ. in omne tyrannidis genus illabuntur. p. 432. uſque ad med. A claſſe tandem Florentinâ ſubſidium, ac libertatem, ſperantes, *ibid.* eorum, in urbis oppugnatione, partibus accedunt; ut auxilia. *ibid.* poſt med. Sed, ſpe excidentes, crudeliùs poſt hæc à Turcis, quàm antehac, affliguntur. pag. 433. nimiæ, & non ſatis priùs exploratæ properationis ad libertatem, pœnas dantes: pag. 434. magìs autem, morum, parùm pudicorum, ſupplicia expendentes. 434.

Filiæ deformes, irriſæ à Marco Tullio. pag. 411.

Florimundus Remondus, diem ſuum obit. pag. 172. & 173.

Fridericus Spinola, ad Oſtendam: inter ejus oppugnatores. pag. 186.

G.

Gabor Bethlenius. V. ſuprà, *Bethlenius* Ga:

Genevam capere Sabaudi

di fruſtra conantur. pag. 168. & 169. immò verò, etiam malô quodam ſuo. pag. 169. à med.

Georgius Baſta, vir bellô egregius. p. 79. Hujc Rudolphus II. Cæſar Transſylvaniam, ad obſequium reducendam, contra Bathorios, committit. p. 79. ſubjunctô ei Michaële, Wallachiæ Waywodâ. *ibid.* & pag. 80. Unà cum Waywoda Wallacho Huſtâ capit: urbem theſaurorum Andreæ Cardinalis. p. 90. A Cæſare ſapienter inſtitutus eſt cuſtos actionum Michaëlis Waywodæ. p. 110. ad fin. & p. 111. & bonâ tamē interea fide. 111. Qualis fuerit vir Georgius Baſta. p. 111. & infra, 149. Ob Germanicum præſidium, à Waywodæis Huſtâ excluſum, paratus eſt armîs adversùs Michaëlem Waywodam decertare. pag. 114. feciſſétque; niſi pacificator interceſſisset Petzius. *ibid.* fin. & pag. 115.

A Baſta Transſylvani tranſitionem meditantur, ad Sigiſmundum Bathorium. p. 131. & quâſnam ob cauſſas. *ibid.* & 132. Uxorem, & filium Michaëlis Waywodæ, capit. pag. 135. mox, rurſus turbatâ Transſylvaniâ, tyrannide novâ Tſchiakianâ, cedit temporibus, & locô. p. 136. relictîs interim in cuſtodia captivîs Waywodæis. p. 136. fin.

Georg. Baſta Michaëlem Waywodam dehortatus à crudelitate, p. 149. fin. & p. 150. & 151. non auditur; nec proficit. p. 151. & 152. Michaëlem ergò, obſtinatè ſibi, ac Cæſari, rebellem, interficiendum curat. p. 155.

p. 155. tumultuantes verò, ejus cædis cauſsâ, milites Wallachos animosè coërcet. *ibid.* fin. & deinceps, uſq; ad pag. 158. *incluſ.* Biſtriciæ obſeſſum Sigiſm. Bathorium, cum ſuis omnibus, in poteſtatem redigit. paginâ 167.

Gladiatores. pag. 165. & 166. Et infrà, p. 422. f. & 423. princ.

Grotius (Hugo) pag. 421. ante med.

H.

Hajducci, Turcas damnô afficiunt. pag. 168. Prangérum apoſtatam, & Baſsam Halyn, capiunt. *ibid.* Iidem tamen, & rebus Imperii ſubinde damnoſi, tumultuantur in Hungaria. p. 429. & Homonajum, aut Redajum, trahere ad regnum acceptandũ, conantur: pag. 429. A Cæſare Rudolpho, ad hoſtes illius, eósque diverſos, deficere, conſtitutum habentes. p. 429. à med. Qui tamen ab Homonajo rejiciuntur. pag. 429. & pacantur interim à Ragozio. p. 430. princ. Multi tamen Hajduccorum, cum Ungaris aliis, ad Turcas tranſeunt & cur? *ibid.* ad med. ubi in cauſſas fluxæ militiæ illius temporis inquiritur. *ibid.*

Hatuanum, Ungaricum Turcarum præſidiũ: à Chriſtianis expugnatoribus, parùm Chriſtianè tractatũ. pag. 246. & 247.

Henricus IV. Galliæ rex, duella vetat. p. 171. Ejus vitæ, credebantur inſidiæ tenſæ à Duce Birono. p. 172. Ictu nefario appetitur, à Joanne quodam Caſtello. p. 306. caſu tamen mirando mortem evadens, *ibid.* ad med.

Herculis 12. labores, p. 476. princip. tomis duodecim Baronianis comparati: & minores inventi. *ibid.* & pag. 478.

Herodes Aſcalonites. pag. 238. & 239.

Herodes novus, Mahometes III. Turcarum Sultanus. pag. 239.

Homonajus (Valentinus) ab Hajduccis, ad defectionem à Rudolpho II. Cæſare, ſollicitatus, pag. 429. non ſinit ſe pertrahi ad ſumum Ungariæ culmen. *ibid.* per totum. Hujus factum, in excutienda per vim dignitate, fuſiùs, & meritò, extollitur. à p. 443. fin. & ſeqq. uſq; ad 449. *incluſ.* Laborat hic, vim armatam, ſe trahentem ad ſolium, armatâ viciſſim vî refringere. p. 446. idque, pro Cæſaris aſſerendâ dignitate. pag. 446.

Hypotypóſes. Quales, v. g. Equorum, inter ſe pugnantium. pag. 371. & 377. med. *Reginæ* periclitantis, ex everſione quadrigæ in aquis. pag. 372. per totum. & aliæ.

I.

Jacobi Bidermanni, S. J. mentio, pag. 8. obiter inſperſa.

Jacobus VI. Scotiæ, I. Angliæ Rex, Eliſabetæ ſuccedit. p. 189. Initiò ſtatim conjuratione conflictatur. p. 189. Idem & aliàs, multùm inter pericula verſatus. à pag. 317. uſque ad pag. 329. incluſ. Ejus nuptiæ: & ex iis, liberi prognati. pag. 318. & p. 331. med. Nuncius ei adfertur in Scotiam, regiæ ſucceſſionis adeundæ in Anglia. p. 319. quem is, quo animi habitu, corporiſq; geſtu, excepe-

ceperit, refertur. *ibid.* ſin. & 320. per totum. In Angliam venit, peſtilentiâ vexarí cœptam. pag. 220. Ubínam ergo interea verſaretur. pag. 321. præſertim tantâ multitudine funerũ: quæ & numerantur. pag. 321. & 322. princ.

Jacobus rex, præter peſtis periculum, diſcrimen etiam adit, à Ralleckiana conjuratione. p. 322. à med. & ab Arbelliana factione. pag. 323. De Auctoribus, Arbellianæ præſertim conjurationis, rumor duplex: alter falſus, p. 323. fin. & 324. princ. Alter verus. p. 324. à med. Quemadmodum ſeſe Rex, in illis conjurationibus opprimendis, geſſerit. pag. 324. & 325. Idem cum Puritanis quoque Scoticis conflictatur: etſi ſpectaculô ſcenicô ad concordiam, ſed fruſtra, illectis. pag. 325. & pag. 326. Ab ipſis denique Catholicis Anglis, vitæ regníque periculum extremum adit. p. 326. & 327. Ejus Conjurationis auctores; necnon modus ſeriéſque inſidiarum, referuntur. pag. 327. Periculi, & cladis (ſi res ſucceſſiſſet) magnitudo percurritur. pag. 328. & pag. 329. De copia pulveris nitrati, inventâ in loco inſidiarum. p. 333. princ. A quónam detecta Conjuratio illa pulveraria fuerit? p. 328. &, quo nocentium exitu? p. 329. Ejus totius hiſtoriæ enarratores ſinceriores. p. 332. ad fin.

Jacobus rex, ægrè compeſcit Puritanos Scoticos. pag. 356. Juramentum-Fidelitatis promulgat, per terras ſuas. pag. 357. ſe-

veriſſiméque obſervandum urget. p. 357. med. Ejus formulæ Summa. *ibid.* In id Juramentum dare nomen ſuum Henricus Garnetus detrectans; Londini è medio tollitur. pag. 358. Ut & alibi in inſula, eandem ob cauſſam, Edmundus Olgurnus. p. 358. poſt med.

Jacobus Sirmondus S. J. Baronio chariſſimus. p. 471. quónam ab eo moriente honoratus legatô fuerit. *ibid.*

Incomparabilium ingeniorum epitheta inflata. pag. 412.

Joannes Caſtellus. Vide ſuprà, V. *Caſtellus.*

S. Joſephus, aberrans viâ. pag. 1. reducitur in eam ab Angelo. p. 2. Unà cum S. Thereſia invocatur in morbo. p. 9. & utiliter. *ibid.* & pag. 10.

Iracundorum exagitatio ſatyrica. pag. 266. & pag. 267.

Iſthuanus Bathorius, arma copiáſque novas movet, adversùs Cæſarianos in Transſylvania duces. pag. 90. & 91. ſed impeditur in hoc, à rege Poloniæ, Sigiſmundo III. p. 91. & à Baſta comprehenſus, vincîtur. pag. 92.

Iſthuanus (ſeu Stephanus) Botskajus. Vide ſuprà, *Botskajus.*

Juramentum - Fidelitatis in Anglia: ſub Jacobo I. p. 357. in quod jurare detrectantes, plectuntur. pag. 358. inter quos Garnetus ſenior; & Olgurnus. *ibid.*

Juſtus Lipſius, moritur. p. 365. med. &c. Ejus laus plenior, & Vitæ ſcriptio copioſior, reſervata in alium Operum iſtorum locum. p. 404. Lipſius, ceu Juſtus, & bonus, Omnibus omnia reddit, ac reſtituit. pag. 405. & pag. 406. & 407.

407. & 408. & 409. Juſti Lipſii uxor. pag. 410. fin. & conjugii cum ea diuturnitas. pag. 410. & tamen comitans eam infœcunditas. pag. 411.

L.

Legationes ad portam Byzantinam, à Chriſtianis. pag. 260.

Libidinoſis æterna ſupplicia imminere, Sacrîs ex oraculis. pag. 495. & pag. 496. per totum. Eáque primùm idololatris: pag. 497. deinde, multò magìs & Chriſtianis. *ibid.* à med. quorum, ex utroque genere, nonnullorum exitus funeſti referuntur. à p. 498. uſque ad finem libri.

Lipſius. Vide ſuprà. *Juſtus* Lipſ.

Ludovici XIII. Gall. regis ortus. p. 29. Inſidiæ, ejus infantiæ, à veneno præparatæ: à p. 183. piâ tamen providentiâ nutricis depulſæ. p. 184. & p. 185.

M.

Mæoti Celtæ, teterrimum facinus. p. 479. deducitur uſque ad pag. 494. *Fuit* Mæotus vexillifer. p. 481. homo, in paucis impudicus, & fœdus. *ibid.* à med. Inſidiatur Virgini. pag. 481. & 482. miniſteriô uſus vetulę lenæ; 482. eáque virgine, quà aſtu, quà vi, potitur. pag. 482. & 483. Iratam, à vitio illato, placat. pag. 484. & 485. ſicque, parentibus inſciîs, retinet apud ſe, corruptam. p. 485. quam parentes, lamentantes, ubique quærunt: at fruſtra. pag. 485. & 486. Et ideò ad Præfectos militū deferunt cauſsam ſuam. pag.

Digitized by Google

pag. 486. Iis delatæ rei curam ſuſcipientibus, Mæotus mirîs eſt in anguſtiis. 487. donec tandem, à frequenti corruptela miſeræ, tranſivit & ad cædem illius: p. 487. & 488. princip. ac cæſam ex oculis omniū hominum ſubduxit. pag. 488.

Mæoti ſcelus, nihilô minùs in apertum tandem exit. p. 489. idque, occaſione novi flagitii, & raptûs: p. 489. quo in ſuſpicionem incidit gregarii militis. *ibid.* à med. à quo milite Mæotus ad prætores militares delatus, pag. 490. & à conſciis duobus patefactus, *ibid.* à med. capitur ipſe tandem. *ibid.* ac ſeq. atq; convictus, recuſat tamē ſubire pœnam. 491. &, quônam nixus impunitatis præſidiô? *ibid.* ante med. Trahitur nihiloſecius Lutetiam. pag. 491. à med. duobúſque ſceleris adminiſtrîs, è medio ſublatîs, pag. 491. à fin. ipſe tamen adhuc carnifici repugnat. 492. At, fruſtra invocatîs, & adhibitîs, mortis deprecatoribus, illuſtriſſimîs, p. 492. med. demum ferè per vim trucidatur. 493. ſed, an ſcelerum ritè pœnitens? *ibid.* princip. ſplendidę ſtirpis ipſe, familiæque, ſurculus degener. p. 493. ad med. Facti totius narratio hiſtorica reperitur & in Metro, ſuccinctè. pag. 493. & pag. 494.

Mahometes III. Turcarum Imperator, moritur. pag. 189. Ejus Acta, à pag. 239. uſque ad 270. incluſivè, deducuntur. Quando, & quo patre, genitus. pag. 240. med. Quando, & quo admini-

miniſtrô, circumciſus. p. 241. quantô ſimul-circumciſorum comitatu. *ibid.* med. quantâ pompâ, & epularum celebratione. *ibid.* & 242. Quorum item Principum legationibus, tunc præſentibus Conſtantinopoli. pag. 242. Ejus pater, Amurathes III. pag. 240. & 243. Vide ſuprà, ſuô locô, *Amurathes.*

Mahometes III. ob pronitatem in cædes, à ſuomet ipſo patre cædis periclitatur. p. 243. fin. Imbuitur autem à matre deſideriô fœminarum. p. 244. Nec tamen mitior ob id effectus, initiô ſtatim aditi regiminis, fratrum ſuorum complures trucidat. pag. 244. Pannonicam quoque ſuſcipit expeditionem; per ſemet obeundam. pag. 246. Quónam id prætextu ageret. p. 246. ad fin. Remorantes ſe, rejicit: & amicarum unam, ſe retinere conantem, ſævè coërcet. 247. fin. & 248. princ. Urbem Agriam deditione capit. pag. 248. Oſtentat crudelitatem ſuam, tanquam actum juſtitiæ. pag. 249. dum in præfecto ſæviſſimè plectit, deditionis pacta non obſervata. *ibid.*

Mahometes, cum Cæſarianis confligens, fugatur. pag. 250. fin. & 251. E victo tamen, & fugato, victorem illum, & ſalvum, præſtat dux Cicáda, pag. 252. effuſos in prædam Cæſarianos, magnâ clade multans. pag. 251. & 252. indéque ad Mahometem ducens victrices copias ſuas. pag. 252. Hunc Mahometes propterea multùm honorat, & ex-

extollit. p. 253. etſi paullò pòſt iterum imminutum. 253. & 254. Conſtantinopolim ex Ungaria revertitur; at inglorius. pag. 258.

Mahometes à Saraceno quodam inflamatur, adversùs ſepulcrum Domini Jeroſolymitanum. pag. 258. & 259. rationibus frivolis, pag. 259. & tamen avaritiæ Mahometis arridentibus. *ibid.* ſed à legatis Chriſtianorum, Byzantii agentibus, absterretur. p. 259. ubi & obiter, de Legationibus ad portam Byzantinam. p. 260. Ipſe Mahometes, per intemperantiã vires abſumens, pag. 261. evileſcit, & ſuis, & alienis. p. 261. & 262.

Mahometes, à Sultana interrogatus de futuro ſucceſſore, pag. 262. exardeſcit irâ, & ſuſpicionibus, adversùs eam. p. 263. unde Imprudentia facti Sultanæ, patuit; p. 263. & Iræ magnitudo in Sultano: qui primò interfici filium Sultanæ jubet: (qui & interficitur.) pag. 264. & 265. deinde & Sultanam ipſam. p. 265. poſt hos autem, & intimos eorum adminiſtros. p. 266. Ipſe, paullò pòſt, extinctus peſte. pag. 266. & 269. & 270. Cujus præceps furor exagitatur ſatyricâ digreſſione. pag. 266. & 267. Mahometi ſuccedit, filius Achmetes. pag. 274.

Mariæ Auſtriacæ obitus. p. 188. elogium. *ibid.* & 190. & 191. fin.

Mariæ Medicææ, Gallorum reginæ, periculum, è flumine Sequana, deſcribitur. à pag. 369. uſque ad 378. *incluſ.* Quantô ſuorum gaudio, ſalva ſit recepta. pag. 374. & 375.

& 375. princip. Illius Reginæ (quatenus Medicææ) quænam Inſignia. p. 380. poſt med. Quis, eâ ſubmerſâ, futurus fuerit hominum ſenſus, & ſermo? 381. quæ invidia quoque, & exſecratio, Sequanæ flumini, ſuſtinenda? pag. 382. cujus proinde fluminis Proſopopœja introducitur. p. 382. & 383.

Martyrologium Romanum: cum Notis Baronianis. pag. 459. per totum.

Mauritius, Comes Naſſovius; Graviam urbem capit. p. 170. & 171. Schluſam quoque oppugnat; & ſub poteſtatem redigit, pag. 178. exultatione ſuorum immodicâ: & idcirco, non diuturnâ. 278.

Maximilianus Auſtriacus, Rudolphi II. Cæſaris germanus; Transſylvaniȩ gubernandæ præficitur. pag. 69. ſed à Sigiſmundo Bathorio, anteceſſore, ei interſilitur. *ibid.* Ideóque nonnihil inter ſeſe hoſtiliter agunt. pag. 71. Averſatur denique gubernacula Transſylvanorum Archidux. & cur? pag. 132. & p. 133. Laus conſtantiæ ejus. *ibid.*

Mendoza (Franciſcus) thalaſsarchus Arragonicus, ad Oſtendā. qualis? p. 287. & 288.

Mercolius, alit: *Mercurius*, Dux Gallicus, laudatus. pag. 173.

Metæ, urbs Lotharingiæ. pag. 480. fin. in qua perpetratū Mæoti, homicidæ, facinus exſecrandum. Vide ſuprà, *Mæotus*.

Michaël Waywoda, &c. Vide infrà, *Waywoda* Wallachiæ.

Mors, in ſtatu peccati lethiferi obita: qualis judicanda ſit? p. 504.

Digitized by Google

Moſcoviæ Magnus Dux, fit Demetrius. p.316. fin. & 317. deſpondet ſibi Polonicę gentis virginem. *ibidem.* med.

Moſcoviæ Magnus Dux, Boriſius &c. p. 316. tyrannicam Imperii invaſionē ſubitâ morte finit. p. 316. med. Moſcoviæ Duces, per ſeriem, aliquot; & ſævi: nec tamen occiſi. pag. 392. & 393. & 394. In his, Joannes Baſilides, à morte fertur aliò raptus, infeliciter. pag. 393. med. Boriſius quoque Fedrowizius, Odium mortalium. p. 394. & 395. Moſcis imperare, periculoſum eſse, olim creditum. pag. 392. & 396. & 397. Moſci plerumque, tractari ſerviliter, amabant. p. 396. etiam in ſexu imbelliore. *pag.* eád.

Moſes, Ciculorum ductor. p. 82. à partibus Michaëlis Waywodæ deficit. p. 129. Cujus ſectæ fuerit. p.187. med. A Georgio Baſta victus, occiditur. *ibid.* fin.

Mulieris principis imprudens factum, ac dictum, pag. 262. & 263. Ea ſuâ ſuorúmq; morte plectitur. pag. 264. & 265. & 266.

N.

Navalis pugna, inter Hiſpanos, atque Batavos. pag. 419. & pag. 420. ductoribus, Hiſpanorum quidem Avilâ; Batavorum verò, Hembskerkiô. pag. 419. Quorum & uterq; occumbit. p. 420. & ſplendidè ſepeliuntur, alius alibi. pag. 421.

Nerius (Philippus). Vide infrà, *Philippus* Ner.

Nortfolcia, Angliæ provincia, nonnihilô deſcripta. pag. 418. à

prin-

principio, ac deinceps.

Nutrix, pia, fidáque, morte ſuâ vitam alumni ſervans. à p. 183. uſque ad p. 386.

O.

Octavii Sagittæ, tribuni, ſcelus in Pontiam Poſtumiam. pag. 498. & 499. & 500. Quo tempore id acciderit? pag. 500. fin. & 501. princ. Quid Poſtumiæ à morte accidiſſe, credendum ſit? pag. 501. per totum.

Operum Bonorum neceſſitas, in adultis. pag. 214. uſque 216. incluſivè.

OSTENDA Flandrica, cœpta obſideri. pag. 31. & defendi, Trojæ veteris imitamentô. *ibid.* & 32. Ejus oppugnationem Archidux Albertus, adversùs multa, ſibi aſpera, continuat. p. 170. Ab Albertæis, & Hiſpanicis, occupatur deditione, per rerum ipſam neceſſitatem extortâ. pag. 178.

Oſtendæ Flandricæ genuina effigies: ab eo, qui præſens eam ſpectavit, & obivit, expreſsa. pag. 282. Nova-Troja, à multis dicta. pag. 281. & 282. Et verò, reipſa Nova, ſeu Troja, ſeu Oſtenda, tunc ab incolis exſtructa. p. 282. poſt princ. dicta propriè Nova-Troja. *ibid.* Similitudo, ac Diſſimilitudo, inter Veterem illam Phrygum, & iſtam Novam Flandrorum, Trojam. à pag. 282. fin. uſque ad pag. 293. *Diſſimilitudo* quidem, pag. 283. *Similitudo*, contrà, utriuſq; Trojæ permagna. à pag. 283. fin. uſq; ad 292. ad med. In Troja Vetere intus; & ad eam

Digitized by Google

eam foris, quot occubuerint, è Phrygibus & Græcis. pag. 289. In Troja verò Nova, & ad eam foris, ex Batavicis, & ex Albertæis, quot ceciderint. pag. 289. & ſignatè, ex Ordinum ductoribus, magnîs ac minoribus, p. 289. & 290. & 291. quibus aliorum quoque generum numerus funerum additur. p. 290. med. & 291. ad fin. & 292. ad princip. *Diſparitas* inter utramq; Trojam, in mora Expugnationis. pag. 292. & 293. *Comparatio*, inter utramque, ſummaria. pag. 294. & 295. Quo die Oſtendam ingreſſus fuerit Albertæus exercitus. pag. 297. & quantum ex ea reſiduum invenerit. p. 297. & 298. & 300. & 301. Quónam animi ſenſu, exercitus, & ductor ejus Spinola, affecti circa eam. p. 299. & 301. Quot globi illic è catapultis, &c. emiſſi, ultro citróque. pag. 301. med. & 302. fin. quónam Hiſpanienſium compendiô lucróque capta ſit Oſtenda. p. 304. & 305.

Oſtendana Palæſtra. liber, ſic inſcriptus. p. 282. poſt med.

P.

Pacis tractatum negotium, inter Hiſpanos ac Batavos, pag. 421. uſque ad 426. exit tandem in inducias. pag. 425. princ. Pacis illius tractatores, qui nominis aliquãtò clarioris: ex utraque parte. pag. 425. per totum. Inter Pacis illius interpretes, eſt & R. P. Joan. Nayus, Ordin. S. Franciſci. pag. 421. poſt med. Batavorum ab Hiſpanis poſtulata. p. 422. à med.

à med. de Libera Republica, Liberôque Mari. *ibid.* Batavicorum Legatorum, de legatis Hiſpanienſibus, ſuſpiciones & ſermones. pag. 423. per totum. Cauſsæ quænam fuerint ſuſpicandi. pag. 424.

Pauli V. ad Sum. Pontificatum evectio. pag. 314. Is antea Camillus Burgeſius dictus erat. *ibid.*

Pennafortius. pag. 36. Vide V. *S. Raymundus*, inferiùs.

Penthesiléa, Amazon nova, ad Oſtendam. p. 288. qualis poſt mortem inventa. *ibid.*

Peplum, propriè quid eſſet priſcis. pag. 379. fin. & 380. uſque ad med.

Perſis, ac Turcis, diverſi duo planetæ in cultu & veneratione. pag. 314. fin. & 315. princ. Perſarum Rex, *Schách-abas.* Vide infrà, ſuô loco, *Schách-Abas.*

Petraſcus, Michaël: Waywodæ filius. p. 117. fin. nutare deprehenſus, in fide erga Cæſarem. pag. 118. unà cum patre ſuo. *ibid.*

Petri de Sicilia, immane facinus, in amatam. pag. 502. ſed ab eodem poſtea pœnitentiâ deletum. 503. Quid amicâ factum eſse, credi poſſit. *ibid.* med.

Petſius Jureconſ. pacificator utilis. pag. 114. & pag. 115. Hunc, Michaëli Waywodæ faventem aliquamdiu, demum alienât, ejus Ducis impudentia, & ambitio immodica. pag. 126. & 127. &, quòd Baſtam, poſceret ab ſuo commilitio, lateréque, removeri. 127. A Botskajo, unà cum Belgioſa, Petſius acie ſuperatur. pag. 277.

S. Philippus Nerius, auctor Cæſari Baronio, tractandi Hiſtoriam Eccleſia-

cleſiaſticam. p. 456. med. Quónam prævio ad id oſtentô impulſus. *ibid.* & p. 457.
Philippi IV. regis Hiſpaniarum, ortus. p. 314.
Phœnix avis. pag. 45.
Porphyrogeniti, qui? & unde ſic dicti? p. 268.
Porſena (rex Sabinorum) nec uno modô ſcribitur: nec uno pronuntiatur. pag. 369.
Prangérus, Chriſti deſertor. pag. 168.
Principes, Mundum gubernantes, initiô Sæculi hujus. pag. 22. uſque ad 25. incluſ. Quàm velociter omnes hi eſſe deſierint. pag. 27. & 28.
Provincius (Franciſcus) decollatus. pag. 30.
Puritani, in Scotia inquieti; pag. 356. Melvinô quodam, turbarum duce. *ibid.* med. Quídnam in Anglis Calvinianis, Scoti Puritani deſiderarent. *ibid.* med.
Pyramis Lutetiana, Societatis JESU infamatrix. p. 309. everſa ab Henrico IV. rege Gall. pag. 309. & 310. Vide etiam ſuprà, V. *Caſtellus.*

R.

S. *Raymundus* Pennafortius. à pag. 36. uſque ad pag. 49. Ejus vitæ breve Sum̃arium. à pag. 36. uſque ad 41. *incluſ.* Quid is in Jure Canonico laborârit, & effecerit? pag. 38. Arragonum regi à Confeſſionibus ſacris audiendis, operam præſtans, p. 40. eidem, emendari nolenti, valedicit. *ibid.* Vim regiam, ac poſitos fugæ obices, miraculô grandi perrumpit. p. 40. & 41. Poſt mortem, in Divos refertur. pag. 41. & 42. Quótnam inter obitum ejus, & apotheóſin, anni effluxerint. pag. 48. A morte

morte quoque mira operatur. paginâ 48. & 49.

Rokoſchiani, in Polonia, qui dicti. pag. 427. A rege Sigiſmundo III. domiti. *ibid.* & p. 428.

Rudolphus II. Cæſar, per legatos, ad Pacem, & obſequium, Bathorios reducere laborat. pag. 73. & 74. ſed incaſſum. pag. 74.

Ruinas hodiernorũ temporum, ac procerum, ſcribere, cur arduũ? pag. 12. & 13. & 14.

S.

Schach-Abas, Perſarum rex; bellacior initiò adverſùs Turcas, quàm in Chriſtianos. pag. 275. & cúrnam? *ibid.* ac pag. 434. fin. Variè Turciam affligit. pag. 275. & 276. Turcis Adénum eripit. pag. 315. Nominis Schách-Abę, quænam ſit ſignificatio. pag. 434. fin. & pag. 437. Vexat iterum iterúmq; Turcarum Sultanum, & Imperium. pag. 435. per totum. Legationibus quoque, ad principes Chriſtianos, eversionem illius machinatur: pag. 435. & 436. ſed, ſucceſſibus conſiliorum, ferè tunc irritis, lentore quorundam Europæorum, 436. etſi ſub ſpecie Virtutis, ac Boni publici. *ibid.* ad fin.

Septenriorum, & *Septenarii* numeri, omina. pag. 414. & 415.

Sera, ſubinde cum fœnore obtingunt. pag. 46. & 47. & 48.

Sigiſmundi III. Poloniæ Regis, de rebellibus victoria. pag. 359. & ejuſdem erga victos clementia. 359. fin. & 360. princ. Hæc manſuetudo tamen, auctoris in caput, immerentis, ſævit. pag. 426. exortis in eum con-

conjuratîs novîs. p. 426. fin. qui nominantur. *ibid.* generatim vulgò Rokoſchiani dicti. & cur? pag. 427. uſque ad med. Cum his acie congreſſus Rex, ter Victor evadit. *ibid.* à med. uſque ad fin.

Sigiſmundus Bathorius, Transſylvaniæ Princeps; uxorem ducit, Mariam Chriſtiernam, Archiducisſam. pag. 58. & pag. 64. A Sinane Baſsâ, Wallachiam invadente, inſenſatur etiam conatu Transſylvaniâ potiundi. pag. 58. Vincit autem, ac profligat, Sinanem, cum omnibus copiîs ſuis, pag. 59. &, in præſidio Turcico deprehenſum, Michaëlem, Waywodam Wallachiæ, capit, ut transfugam. p. 60. captum verò, veniâ donat, ac vetere præfecturâ potiri ſinit. pag. 60.

Sigiſmundus Bathorius à Turcica ſubjectione deficit, ad Rudolphum Cæſarem. pag. 62. Suorum quoſdam, in hoc ipſi reluctantes, pœnis coërcet. pag. 62. præcipuè verò, fratrem ſuum. pag. 62. & 63. atque Cancellarium Transſylvanici principatûs. pag. 63. & pag. 67. fin. & pag. 68. princ. Poſt hæc, Turcicæ ditionis loca depopulatur: & naves prædâ exhaurit. *ibid.* Tartaros quoque cædit, Daciam incurrentes. p. 64. & rurſus Turcas, in Transſylvania & Wallachia. pag. 65. & quoſdam, Turcæ ſtipendiarios, Regulos capit. pag. 65. Ob quæ fortia belli facinora, valde celebratur. pag. 65. Sed, poſt hæc omnia, variare mentem, & ſuî famam, cœpit. p. 66. credi-

creditus, etiam veneficiis contactus; & immiſsô dementiæ Vertumnô, mentem alternare. *ibid.*

Sigiſmundus Bathorius, in privatam vitæ ſortem ſeſe redigens, paciſcitur cum Rudolpho Cæſare. pag. 66. & 67. Principatus duos novos, cum Transſylvania permutatos, pag. 67. adit. pag. 68. Sed, aliquantò pôſt, eoſdem relinquens, redit in relictam Cæſari Transſylvaniam. p. 68. & in veterem ſuum Principatum ſe reponit. pag. 68. & 69. Unde, Maximilianum Archiducem, à Rudolpho ſucceſſorem ſibi miſsum, dehortatur à ſucceſſione capeſsendâ. pag. 69. idque, miniſteriô quoque litterarum Chriſtiernæ conjugis ſuæ. pag. 69. Interim & ab ipſa quoque Chriſtierna ſuâ (præſente præſens) abhorrere incipit. p. 72.

Sigiſmundus Bathorius, Andreæ Cardinali Bathorio, cognato ſuo, ceu *Hæreditarias* transſcribit, Transſylvaniæ ditiones. pag. 72. fin. & 73. Cæſaris, ac Summi Pontificis, internuntios, de Pace, non audit. pag. 74. uti nec Andreas. *ibid.* Victô quoque, ſub hæc, & occiſo Andrea, novum ipſe denuò colligit exercitum. p. 119. pro recuperanda Transſylvania; contra Baſtam, & Michaëlem, Wallachiæ Waywodam. *ibid.* idque, fautore Turcâ. pag. 119. & adjutante quoque Joan. Zamoſciô. pag. 120. Aſciſcit Sigiſmundus in belli ſocietatem, etiam Jeremiam, Moldaviæ tunc Waywodam. p. 120. Cæſi verò ambo,

bo, ac profligati, à Michaële, Waywodâ Wallachiæ; fugiunt in Sarmatiam. p. 122. ibíque rurſus grandem contrahunt exercitum. pag. 122. fin. Sed iterum, actum agunt: ab eodem etiam tunc victi. pag. 123. & poſtea tamē, Michaëlem Waywodam, aliunde fugatum, in anguſtias redigunt. pag. 130. fin. & 131. princ.

Sigiſmundus Bathorius, inter hæc, rurſus Tranſſylvaniam occupat. p. 137. & Michaëlis Waywodæ uxorem, ac filium, à Baſta in cuſtodia relictos, unà capit. pag. 137. Formidabilem quoque rurſus exercitū comparat. pag. 140. nec dubitat de victoria, ex Cæſarianis reportandâ. p. 141. Contra hunc, Cæſariani duces, conſultò tardiores ſunt, & utiliter. pag. 142. locum quoque pugnæ aptiorem deligunt. p. 142. & p. 143. Indè prælium ardeſcit, inter Sigiſmundæos, ac Cęſarianos, atrox. pag. 143. med. uſque ad pag. 146. Biſtriciæ, ad extremum, obſeſſus Sigiſmundus; ſe, & omnia ſua, Baſtæ permittit. pag. 167.

Similitudines. Arboris hibernæ; ex vicinia incendii repentè floreſcentis. p. 60. Rapidi *torrentis*, ſeu fluvii, omnia perrumpentis: & in hoc, comparati cum victore tunc Wallacho, omnia penetrante. p. 90. *Arboris degenerantis*, aſſimilatæ Michaëli Waywodæ; in pejus ruenti. pag. 139. *Urſæ*, à ſomno proſilientis, in prementem ſe; comparatę Mahometi III. in ſuos ſubitò ſævienti. pag. 263.

Sinan

Sinan Baſsa; in Wallachiam irrumpit, validô cum Turcarum exercitu. pag. 58. & Michaëlem Waywodam habet, partibus ſuis adjunctum. p. 58. Vincitur tamen, cum omnibus ſuis copiis; & profligatur, à Sigiſmundo Bathorio. p. 59. qui hunc eundem Baſsam, aliâ quoque occaſione, damnis gravibus, & animi doloribus, afficit. pag. 63. fin. & 64. princ.

Sirmondus (Jacobus). Vide ſuprà, *Jacob.* Sirm.

Societas JESU, in Galliam reducta. p. 271. & 272. Societatis religioſi duo, nave excluſi, pag. 256. bonò quidem ſuô: ſed excludentium magnô malô. p. 256. & 257.

Sommerſetia, Angliæ provincia, nonnihilô deſcripta. p. 417. à med.

Spinola (Ambroſius) & Spinola (Fridericus). V. ſuprà, in *Ambroſ.* & *Frider.*

Stella inſolita, apparens. pag. 279. diſputationum materies. *ibid.* & p. 280. fin. & 281. princ.

Studia litteraria, nimia; valetudini noxia. p. 472. poſt med. & 473. uſque ad med.

Suſpicacibus cum hominibus, cautè admodum agendum, & loquendum. 263. à med.

T.

Tampierius Comes, initia turbarum Bethlenii Gaboris comprimit. pag 276.

Tenebræ, in Gallia, formidabiles. pag. 329. & pag. 330.

Terræ-motus univerſalis. p. 49. & 50. & 51.

Transſylvania, quibúſnam à populis habitata. p. 83. ubi & de Daco-Saxonibus, p. 83. & de Ciculis. pag. 84. eorúmque moribus, & riti-

& ritibus. *ibid.* déque Ciculorũ ſeptem regiunculis. pag. 84.

Transſylvani mutabiles, à dominis ad dominos. pag. 131. Ob hanc inconſtantiam averſatur eos perpetuò Maximil. Archidux. pag. 132. ſed, eorum damnô. pag. 132. & 133.

Transſylvania, poſt Moſen Ciculum ſublatum, novîs turbîs affligitur, à Bethlenio Gabore. pag. 276. ſed repreſsîs à Tampierio. *ibid.* fin. Aliis item turbîs, à Botskajo. pag. 277.

Transſylvanorum pars rebellis, Botskajanis, cum Rudolpho Cæſare pactis, ſtare detrectat. pag. 362. & 363. Indè, Sigiſmundum Ragozium vi rapere ad Principatum conantur. pag. 363. ſed renitentem: *ibid.* med. & paullò pòſt, oblatô munere ultrò ſeſe, pacatéque, abdicantem. 364. per totum. Quibúſnam verborum ambagibus, conatus ſuos factioſi velarent? pag. 364. princ.

Tumba, quid. pag. 368.

V.

Valentiæ in Hiſpania, fœminæ facinus atrox. pag. 503. & 504. Ejus fœminæ, & adjutricis, ſupplicia. p. 504.

Venti in Belgio violentiſſimi, ac perniciosi, exorti. p. 365. à med. & p. 366 princ.

Violantæ Hiſpanæ immanitas, in deceptorem conjugii, Didacum. pag. 503. & 504. quónam eam ſupplicio luerit, cum miniſtra. pag. 504.

Viris præclaris, & doctiſſimis, cur ſæpe filii naſcantur, aut nulli; aut pravi, & inglorii. pag. 410. & 411.

W. Walla-

W.

Wallachiæ regio. pag. 54. & unde nomen ei. *ibid.* & pag. 55. Ejus deſcriptio brevis. p. 56. & 57.

Walſinghámus, apud Eliſabetam, Angliæ reginam, gratioſus. p. 197. fit ſocer, Roberti Devoreuſii, Comitis Eſsexiæ. *ibid.* Filia, à reginæ aditu alloquiôque repulſa, patri mœroris eſt lethiferi cauſsa. p. 197. & 199. fin.

Waywodæ vocabulũ, quid notet. pag. 56.

WAYWODÆ Wallachiæ (*Michaëlis*) interitus, generatim. pag. 31. Ejus verò particularia geſta, recenſentur, à pag. 53. uſq; ad p. 166. Cur autem ea diffuſiùs exponantur, ac per ſingula? pag. 53. Michaël iſte, Prætor ac Satrapes ſupremus eſt Wallachiæ. p. 57. rem Chriſtianam aliquando parùm promovens. pag. 58. talisq; deprehenſus in præſidio Turcico; à Sigiſmundo Bathorio capitur. p. 58. & 59. ceu verè defector, ac transfuga. pag. 59.

Waywoda Michaël poſt hæc captat occaſionem demerendi ſibi Rudolphi Cæſaris: cum Sigiſmundi Bathorii depreſſione. p. 60. Ideóque exortu diſſidii, inter Sigiſmundum Bathorium, & Auſtriacos fratres, avidè, ſuam in rem, utitur. pag. 71. fin. & pag. 72. An verò fide bonâ? pag. 72. & clariùs, pag. 75. totâ: & p. 76. & p. 80. Datam Cæſari ſubjectionis fidem, denuò renovat. pag. 76. & in Turcas iterum iterúmque movet: Bulgariæ inſeſsores, ingenti clade fundens, ac vaſtans. p. 77.

77. & 78. In Victoria tamen interim moderatè agens, p. 78. eâdē operâ Chriſtianorum plurimos in libertatem aſſerit. pag. 79. iiſque loca colenda, & incolenda aſſignat. p. 69.

Waywoda Michaël Georgio Baſtæ, archiſtratégo Cæſareo, à Rudolpho adjungitur, ut *Adjutor:* ſecundum tamen ab eo locum tenens. p. 79. & 80. Andreæ Bathorii, ſui hoſtis, legato interceptô; varia diſcit molitionum ejus ſtudia, apud portam etiam Byzantinam. p. 80. & 81. Eos ille internuntios (Legatum, inquam, & comites, è medio tollit. pag. 81. fin. Adversùs Andream verò Bathorium, ac Jeremiam Moldavum, copias ſuas educit. pag. 82. Eis auxilia gentium exterarum detrahit. pag. 82. & Moſen quoque, Ciculorum ducem, adjungere ſibi nititur; ab illis abſtractum. *ibid.* Urbe Braſsoviâ occupatâ, pag. 85. invadit Andream Bathorium. p. 86 fruſtráq; ſuam interponente pacificandi operam Nuntiô Apoſtolicô, p. 86. ſuos ipſe verbîs ſtimulat in hoſtem, pag. 87. & confligit acri prœliô. p. 87. fin. & 88. incaſſum iterum dehortante Nuntiô Pontificis. pag. 88. Caſtrîs Andreanîs, ac prædâ magnâ, potitur. pag. 88. & 89. Elapſum autem ex acie, Andream, veſtigandum curat, pag. 89. ac theſaurîs interim illius potitur. p. 90. Cum Baſta ſimul, militi prædam, & ſpolia Bathoriana, dividit. pag. 92. Quanta ea fuerint. *ibid.* med.

Subigit Cęſari Tranſſylvaniam. pag. 92. ſibi verò, vice Cæſaris, jurari fidem cogit. pag. 92.

Waywoda Michaël, Tartaros ac Turcas, ad ſe ſpontè tranſeuntes, ſuſcipit. p. 93. ſuſceptos, Chriſti ſacris adjungit; eiſque agros ac ſedes aſſignat. pag. 93. Legatos quoſdam Turcicos, ad ſe venientes, comprehendit: ceu ſuſpectos ſibi. p. 93. Alios item quoſdam, ut inſidiatores, capit: & captos, ſupplició afficit. pag. 93. fin. & 94. princip. Quemadmodum ſe Michaël geſſerit, Andreâ Bathorió ſuîs à Wallachis interfectô. pag. 94. à med. & 95. & p. 96. Caput Andreæ, & effigiem mortui, Cæſari Rudolpho dono mittit. pag. 96. & ipſe viciſſim donatus ſplendidè, *ibid.* poſt med. claves quoq; Daciarum Cæſari tranſmittit. p. 96. fin. Ob hæc, & ſimilia, Cæſari, orbique Chriſtiano, gratiſſimus, & glorioſus; pag. 97. &, proportione nonnullâ, S. Michaëli Archangelo comparatus. p. 97. & p. 98. ſed gloriâ præcoce; nec duraturâ. pag. 98. & 99. & 100. ubi Digreſſio, in Ambitioſos. à pag. 98. uſque ad 101. excluſ.

Waywodam Michaëlem, mirùm quantùm, fuiſse ambitioſum; oſtenditur à pag. 101. indè pag. 118. fine. A quo maximè principio aperire ſe cœperit hujus Waywodæ ambitio? p. 101. poſt med. & pag. 102. &c. Indignanter ferebat, Ad latus ſibi appoſitum, cuſtodem actionum, Georg. Baſtam. pag. 112. med. Indè,

Baſtæ ſe obtrectatorem paſſim præbet. p. 112. ad med. Huſtam, urbem munitam, præſidiô tenet, & præfectô, ſuarum partium: inconſultô Baſtâ pag. 113. his, à Baſta adjungi militem Cæſaris Germanicum, abnuit, ac detrectat. p 114. Hinc, inter utrumq; hoſtilia conſilia; & præliandi animus; *ibid.* ſed diſcuſsus. *ibid.*

Waywoda Michaël, apud Baſsas Turcicos, & portam, magnâ nonnunquam in auctoritate eſt. pag. 115. & 116. Honoratur & ab ipſômet Sultano Turcico; legatione, gratulatione, donis. pag. 117. Ab eodem Sultano prenſatur ejus mutuum ſecum fœdus. *ibid.* Et hinc à Waywoda viciſſim legati Byzantini curatiſſimè tractantur. p. 118. nec minùs à filio Waywodæ. *ibid.* Hac amicorũ talium fiduciâ, Waywoda Sigiſmundum Bathorium, & Jeremiam Moldavum, ſinè Baſta, in ſocietatem belli aſsumptô, invadit, cædit, profligat. pag. 121. & 122. Reverſos quoque, novo cum exercitu, rurſus & ipſe relaceſſit, cædit, pellit, ac fugat. pag. 123. Ibi Moldaviam ſubigit: ac ſubactæ, filium ſuum præficit Satrapen. p. 123. & eodem ipſo tempore poſtulata mittit ad Cæſarem, inſolentia pariter, & impudentia. *ibid.* & p. 124. & p. 125. Quibus & actis pariter, & poſtulatîs, offenſus Cæſar; rerum indignitatem expendit, pag. 125. ac poſtulatorum proinde pleraque rejicit. p. 126. Michaël autem, inter hæc, adhuc gra-

vius

viùs offendit, apud Petſium, legatum Cęſaris: maximè verò, propter deteſtationē Baſtæ. p. 127. Hinc,

Waywoda Michaël, à ſuprema Daciarū procuratione, mandante id Cæſare, aſpellitur: p. 128. maximè quoque, ob crudeſitatem, in Transſylvanos inſontes exercitam. pag. 128. Subeſse præterea Georgio Baſtæ, in poſterum, jubetur. *ibid.* & Wallachicæ militiæ partem duntaxat, etſi non aſpernandam, ſub ſignis retinere. pag. 128. Qui Transſylvanis, ob immanitatem, inviſus, *ibid.* ad fin. & pag. 129. princ. Georgium interea Baſtam, à contrariis moribus, & comparatione, deſiderabilem ſubditis efficit. pag. 129. Ob hæc,

Waywoda Michaël, in Georgiū Baſtam omnem ſtomachum effundit: pag. 130. &, congreſſus prælio, vincitur ab eo. & fugatur. *ibid.* in fuga autem incidit Waywoda in manus Sigiſmundi Bathorii, & Jeremiæ Moldavi, hoſtium veterum, *ibid.* à quibus & obſidetur. p. 131. Ab iis, hic tamen extricat ſe. p. 133. Sub hæc, iterum fœdus Turcicū Michaël reſpicit, ac ſollicitat. pag. 133. & 134. Verùm, peſſimè Conſtantinopoli exceptô legatô Waywodæô, vela Michaël retrò vertit, pag. 134. ac, Viennam Auſtriorum abiens, Cæſaris arbitrio clementiæque ſeſe totum permittit. pag. 134. fin. & pag. 135. princ. cùm, inter hæc, uxor Waywodæ, filiiſque Petraſçus, à Georgio Baſta capiuntur. pag.

135. med. & in cuſtodia, etiam Baſtâ migrante, relinquuntur. p. 137. Eô proinde nomine, Michaël, Baſtam apud Rudolphum Cæſarem graviſſimè inſectatur. p. 137. ſed jubetur hic, imperiô Cæſ: ſeveriſſimô, Baſtæ reconciliari pariter, & ſubdi. p. 137. Qua hic acceptatâ conditione, ſuos amiſsos, ac ſua, recuperat. pag. 138. Sociantur ergò, denuò, Wallachus & Baſta. p. 138. Hinc,

Waywoda Michaël, prœliô adversùs Sigiſmundum Bathorium ultimô, unà cum Baſta, fortiſſimè ſe gerit. pag. 144. & 146. Verùm, ex eo ipſo (ut ferè ſemper antehac) ſucceſsu proſperô, intolerabiliùs inſoleſcit. pag. 146. fin. ac varia cum variis, adversùs Cæſarem Rudolphum, fœdera, & molitiones, init. p. 147. med. Eodem tempore, Odium in Baſtam, & feritatem in Dacos, de integro reſumit: ac plurimùm auget. pag. 147. & 148. ídque, uſque ad infamiam; etiam Cæſarianas in copias redundantem. p. 149. Baſtam interea, ſe à crudelitate pacatè dehortantem, audire contemnit. pag. 151. & 152. ideóque, de concilii ſententia, vis in eum decernitur, pag. 152. ac meritò quidem. p. 153. Vocatur igitur ad Baſtam. *ibid.* Is, ad Baſtam ire, & in tabernaculum ejus, obſtinatè detrectat. pag. 254. Ob hanc cauſſam, immittitur ei militum armatorum caterva denſa, *ibid.* quorum militum unus, gente Wallo, Waywodam, ſariſsâ transverberatum, inter-

terſicit. p. 155. Wallachos autem, ob id tumultuantes, Baſta coërcet. pag. 155. fin. idque verbis, p. 156. & 157. inſuper autem, & teſtimoniis illius perfidiæ prolatîs, pag. 157. & 158. Placati ergò demum Wallachi, ſigna ad Baſtam, & Cæſarem, transferunt. p. 158. fin. & 159. Occiſi Waywodæ elogium. pag. 160. & 161. Ejuſdem effigies. poſt pag. 54. &, de eadem, Annotatio inferiùs, pag. 163. poſt med. Ejus agendi forma *Gladiatoria*. pag. 164. cadendi quoque mos, ac ritus, *gladiatorius*. pag. 165.

Hæc porrò hucuſq; per ſyntomen rerum Waywodæ, ſtrictim incedentem, & plerumq; concatenatam, propoſuimus. Erunt autem fortaſſis, quibus gratius ſit, Ejus Acta in *Summario* quopiam *Capitum ſeu Numerorum*, ſerie ſuâ, percurrere. Id ergo, principiô Waywodææ hiſtoriæ (pag. 53.) promiſsum, hic, Operis hujus primi fine, à p. 548. uſque ad 553. damus.

Z.

Zamoſcius, vir egregius factîs & famâ, regníque Polonici conſiliorum arbiter intimus; Bathoriis cur ſtuderet? paginâ 82. bellô præcipuè, contra Baſtam, & Michaëlem, Wallachiæ Waywodam. p. 120.

Finis Indicis.

Apocommatis Hiſtorici
Michaëlis, Wallachorum Waywodæ, Capitum, ſeu Numerorum, Summarium.

I. *Cauſſa hujus Apocommatis, diffuſiùs ſcripti. Wallachia, ubi ſita: & unde ſic appellata. Waywoda quid ſit?*

II. *Wallachiæ paullò plenior deſcriptio. Sedes Waywodarum-Wallachiæ.*

III. *Michaël, Wallachiæ Waywoda, à Sigiſmundo Bathorio victore deprehenſus, & captus, inter auxiliares Turcæ. Sigiſmundi glorioſa de Turcis victoria.*

IV. *Michaël Waywoda, à Sigiſmundo dimiſſus, & Waywodæ dignitati reſtitutus: dejectionis ſuæ dedecus fortiſſimis poſtea facinoribus bellicis abſtergit.*

V. *Multorum & gravium deinceps in Transſylvania bellorum cauſſa potiſſima, Sigiſmundus Bathorius. De Stephano Bathorio, rege poſtea Poloniæ: Deque Chriſtophoro, Stephani fratre, Sigiſmundi patre. De Balthaſare, Sigiſmundi fratre, cum aliis interfectô. De Sigiſmundi defectione à Turca; cuj, ſicut & Tartaris, ab eo tempore, multas & graves clades infert, Cæſariq; Rudolpho fœdere jungitur. De Stephano, Moldaviæ Waywodâ, ſublatô: & Sigiſmundi ſummâ gloriâ; ſi perſtitiſſet.*

VI. *Sigiſmundus Bathorius Transſylvaniæ principatum, à ſe ſpontè ejuratum, transfert in Archiduces Auſtriacos; pactione certâ, & utrimque firmatâ.*

VII. *Sed in ea mente non perſiſtit: & e Sileſia, ſibi delectâ, redit in Transſylvaniam; ubi omnia invertit, non abſque delirii, ipſi per faſcinum immiſſi, ſuſpicione.*

VIII. *Rudolphus Cæſar eum ad ſanitatem reducere, viâ lenitatis, conatur. Sed ipſe ſollicitat pro ſe exterorum auxilia: fruſtra verè, Michaëlis Waywodæ.*

IX.

IX. *Sigiſmundus, è conjuge Chriſtierna prolem, ac ſucceſſorem ſui ſanguinis, deſperans; Andream Bathorium ſibi in Principatum Daciæ ſubſtituit. & hic, fruſtra dehortantibus ipſum bonis ac prudentibus, delatum ad ſe culmen rerum ſuſcipit: & invadit.*

X. *Michaëlis interea Waywodæ felices excurſiones, ac fortiſſima prœlia adversùs Turcas, procedunt; in Bulgaria præſertim, ejuſq; finibus, tanquam pro Cæſaris emolumento: cuj VVaywoda VVallachus ſe, ſuámq; gentem, ſubſtraverat. Victoriarum illius quænam tunc extiterit utilitas.*

XI. *Georgio Baſtæ Michaël VVaywodas à Cæſare adjungitur, adversùs Transſylvaniæ turbatores. Andreæ Bathorii motus novi: ab eòque tenſæ Michaëli inſidiæ. Cur à Zamoſcio Polono Bathorius auxilia acciperet. VVaywodas, adversùm Bathorios magnâ vi agere in Transſylvania exorſus; ad ſe Ciculos allicit.*

XII. *Ciculi, in Transſylvania, quæ gens ſit; & ubi locorum. Eorum mores, leges, ſedes, ac ſedium numerus, & nomina. Transſylvanicæ juventutis militaris multitudo.*

XIII. *Inter Bathorianos & Waywodam, prœlium atrox; & Waywodæ proſperum. In eo dirimendo prælio, Nuntii Apoſtolici labor magnus; ſed irritus. Transſylvania, ejectô Andreâ Bathoriô, Cæſari reſtituta. Proſequitur victoriæ ſucceſſum Waywoda: & elapſum Bathoriũ, indagat.*

XIV. *Conjunctis Waywodæ Baſtæq; copiis, Huſta capitur; & theſauri Bathoriani. mox & Iſthuanus Bathorius; & urbs Vivára. Præda maxima, tota fit militis. Cæſari Transſylvania fidei juramentum renovat; ſub Waywoda, Cæſaris vices obeunte.*

XV. *Tartari Turcæq; complures ad Wallachiæ Waywodam, & Chriſti ſacra, confluunt. quidam tamen, ficte: qui non impunè ferunt. Cardinalis Bathorius, à Waywodæis deprehenſus, interficitur. Cadáver ejus, à Waywoda*

quo-

quomodo tractatum. Digitus ejuſdem, & annulus, ac caput, & effigies. pro iis, remuneratio Cæſarea, memorabilis.

XVI. *Michaëlis Waywodæ, è tot præclarè geſtis, ingens per orbem fama; per Cæſarem quoque propalata, in Imperio Romano.*

XVII. *In Ambitioſos, qui ſe aliquouſque, dum altius emergant, modicos demiſſósque oſtentant; at demum tamen in faſtum intolerabilem erumpunt; excurſio ſatyrica.*

XVIII. *In hac hominum claſſe Waywodas Michaël fuit. cujus, utrum poteſtas caſtrenſis, poteſtati Georgii Baſtæ ſociata, Reip. profuerit plus, an nocuerit; ambiguum eſt.*

XIX. *Dacia univerſim tripartita eſt.* Ripenſis, *adhuc Hungaris conſerta:* Mediterranea, *quæ nunc Tranſſylvanorum eſt: &* Alpeſtris *(quæ partim & Tranſalpina) VVallachia nempe, Moldaviaq;, conjunctim cenſæ. De moribus earum, & religione, nonnihil; deq; diverſis ſectis.*

XX. *Georgii Baſtæ meritiſſima laus. Is apponitur à Cæſare Michaëli, VVallachorum VVaywodæ; ut cuſtos fidelitatis ejus futurus. Hanc ſui cuſtodiam ægrè fert VVallachus: & Baſtam inſectatur. Utriuſque horum inter ſe diſſidium animorum, in prœlii denique procinctum erumpit, ſed operâ Juriſconſulti reconciliantur, pace ſaltem ſimulatâ.*

XXI. *Michaël VVaywoda, jam olim in magna Turcarum Imperatoris gratia eſſe cœperat: uſqueadeo, ut hic injuriam, illi factam à Chamo Tartarô, ſatrapæ Turcici operâ ſeveriſſimè ulciſceretur. Poſt ſuperatum autem & ſublatum Andream Bathorium, fit multò commendatior: & à Turca in fœdus mutuum ſollicitatur: donis colitur: & denique corrumpitur, unà cum filio. A Cæſare proinde defectionem meditari incipiunt, odiô Baſtæ, cupidinéque dominandi.*

XXII.

XXII. *Inter hæc, Sigiſmundus Bathorius denuò inquietus, & diverſas ſibi gentes auxiliares adjungens; gravi rurſus, eôq; geminô, prœlio cladèque, à Michaële VVaywoda, Baſtâ tunc non adjunctô, profligatur.*

XXIII. *Idem VVaywoda Moldaviam Cæſari ſubigit: eámque filio ſuo, vicariâ poteſtate regendam, committit: Cæſare inconſultô, ideóque offensô. Quam ille tamen offenſam magìs adhuc auget, impudentiſſimìs quibuſdam poſtulatìs. Sed repulſam ferens, Turcico fœderi (quantùmvis id diſſimulare conatus) exinde arctiùs illigatur: Legatúmque Cæſaris à ſe abalienat, dum amoveri caſtris ſocialibus Baſtam, flagitat.*

XXIV. *Ob nimiam igitur, ſimul inſolentiam, ſimul & in Tranſſylvanos crudelitatem, Michaël à Cæſare demum poteſtate malè uſurpatâ dejicitur: ſummæq; rerum Baſta præficitur. quem ſub hæc, ulciſcendi ſuî cauſsâ, prœliô adortus Michaël, à Baſta vincitur ac fugatur. Fugatus autem, in veteres hoſtes, Bathorium & Moldaviæ VVaywodam, incidit: ab iisque circumſidetur.*

XXV. *Admiratione virtutis Sigiſmundi Bathorii, hunc rurſus Principem ſibi Tranſſylvani expoſcunt, Baſtâ citò faſtiditô: & Maximiliano Auſtriacô ultrò eos, ob inconſtantiam, faſtidiente. Hic, contra ſcriptorem obtrectantem, laudatur.*

XXVI. *Elapſus porrò obſidione Michaël, ad Turcicam rurſus tutelam reſpicit; legatô ad Sultanum miſsô. Hic autem legatum interficit. Unde VVallachus, eô relictô, Viennam abit: ibique Cæſari Rudolpho, abſenti licèt, reconciliatur.*

XXVII. *Sed tantiſper, à Baſta Michaëlis uxor, filius, theſaurus, capiuntur. Sigiſmundus Bathorius, à Tranſſylvanis principatui denuò reſtituitur. Baſtâ terris illis exeunte, captivos VVaywodææ domûs, ab iſto relictos,* Sigiſ-

Sigiſmundus attinet. quos tamen, agente per legatos Cæſare, tandem emiſsos, Michaël recipit, cum theſauro: eâdemque Baſta redire juſsus in caſtra, redit illuc cum eodem, adversùs Transſylvanos.

XXVIII. *Michaëlis VVaywodæ incredibilis verſutia, & mutabilitas; arbori vitioſæ, in magnis ejus fructibus proferendis, comparata.*

XXIX. *Is, ingenti rurſus exercitu collectô, Sigiſmundum Bathorium, ſibi præſidentem, unà cum Georgio Baſta prudenter aliquantiſper eludit; intrà ſua ſe caſtra continendo.*

XXX. *Sed è caſtris illi demum erumpentes, magnô prœlio, maximâque ſtrage, Bathorianos fundunt. eorum caſtra, grandi cum præda, capiunt: ac Cæſari Transſylvaniam, tertiò jam, reſtituunt.*

XXXI. *Indè tamen VVaywoda VVallachus, longè, quàm unquam antehac, altiores concipiens ſpiritus; licentiùs etiam exterorum, & impiorum quoque populorum, fœdera procatur. Baſtam autem ante omnes infenſat: &, in Transſylvanos exercitâ crudelitate, Cæſareana tota caſtra infamat.*

XXXII. *Eum igitur ab utroque illo ſcelere Baſta cordatè dehortatur.*

XXXIII. *Qui tamen eâ dehortatione nihilô emendatior; in majores potiùs furias, ipſiúsque Cæſaris contemptum, prorumpit.*

De compeſcendo igitur illo, in concilio ducum & centurionum agitur: concorditérque decernitur.

XXXIV. *Accerſitus hinc ad Baſtam Michaël, & venire detrectans; immiſsâ militum manu opprimitur: & confoditur. Tumultuantes eâ cauſsa VVallachi, vivacibus à Baſta argumentis pacantur.*

XXXV. *Unde VVallachi ipſi, cognitâ VVaywodæ* perfi-

Digitized by Google

perfidiâ, Baſtæ factum laudant: & ad ejus ſigna tranſeunt.

XXXVI. *Duo in Michaële Waywoda vitia, præ ceteris illi fuerunt exitio.*

Menda typothetica, emenda.

Paginâ 3. verſ. 10. diffracta *Lege*, diffracta.
6. v. 12. cnivis. *l.* cuivis.
69. v. 23. ſterilitatom. *l.* ſterilitatem.
138. v. ult. præteritnm. *l.* præteritum.
141. v. 12. es iis. *l.* ex iis.
148. v. penult. volulata. *l.* volutata.
151. v. 5. defectionc. *l.* defectione:
185. v. ult. nomtna. *l.* nomina.
210. v. 11. artrahendas. *l.* attrahendas.
227. v. 7. à fin. mnltò. *l.* multò.
270. v. 2. vinclâ. *l.* vincla.
Ibid. v. 9. à fin. ſolinm. *l.* ſolium.
293. v. 16. deeem. *l.* decem.
315. v. 8. quodqne. *l.* quodque.
336. v. 5. qnem. *l.* quem.
490. v. 10. Marinum. *l.* Marium.

Digitized by Google

EFFIGIES,

Suîs quæq; paginîs reperiendæ.

Michaël, Wayvvoda W.	pag. 54.
Dux Bironus.	pag. 175.
Eliſabeta, Angliæ Reg.	pag. 192.
Oſtenda capta.	pag. 282.
Jacobus I. Angl. Rex.	pag. 318.
Maria Med. Galliæ Reg.	pag. 370.
Cæſar, Card. Baronius.	pag. 450.

Digitized by Google